JUS
ECCLESIASTICUM
UNIVERSUM

Vol 5

JUS
ECCLESIASTICUM
UNIVERSUM

BREVI METHODO AD DISCENTIUM

UTILITATEM EXPLICATUM

SEU LUCUBRATIONES CANONICÆ

IN QUINQUE LIBROS DECRETALIUM

GREGORII IX. PONTIFICIS MAXIMI

AUCTORE

R. P. FRANCISCO SCHMALZGRUEBER

SOCIETATIS JESU

Vol. 5

TOMUS TERTIUS, PARS PRIMA

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California

ALMA COLLEGE 348.71 LIBRARY Sch. 43 Alma, California

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA REV. CAM. APOSTOLICÆ
1844.

20296

INDEX TITULORUM

HUJUS VOLUMINIS

TITULUS I.

De vita, et honestate clericorum.

§. I. *De clericalis vitae honestate interna* - - pag. 2
II. *De honestate vitae clericalis externa* - - - » 13
III. *De probatione clericatus* - - - - - - - - » 27

TITULUS II.

De cohabitatione clericorum, et mulierum.

§. I. *De cohabitatione clericorum cum mulieribus licita, et illicita* - - - - - - - - - - - - - » 30
II. *De poenis clericorum cohabitantium faeminis* - » 34

TITULUS III.

De clericis conjugatis.

§. I. *De clericis minoribus matrimonia ineuntibus* - » 40
II. *De clericis majoribus ineuntibus matrimonia* - » 49
III. *De privilegio clericali in ordine ad clericos conjugatos* - - - - - - - - - - - - - - » 58

TITULUS IV.

De clericis non residentibus in ecclesia, vel praebenda.

§. I. *De obligatione ad residentiam* - - - - - - » 64
II. *De origine obligationis residendi, et poenis non residentium* - - - - - - - - - - - » 75
III. *De causis excusantibus a residentia* - - - - » 86
IV. *De distributionibus quotidianis* - - - - - - » 100

TITULUS V.

De praebendis, et dignitatibus.

§. I. *De praebendarum, et dignitatum ecclesiasticarum natura, et origine* - - - - - - - - - » 118
II. *De varietate beneficiorum ecclesiasticorum* - - » 126
III. *De collatione beneficiorum* - - - - - - - - » 139
IV. *De pluralitate beneficiorum* - - - - - - - - » 160
V. *De beneficiorum unione, divisione, et dismembratione* - - - - - - - - - - - - - - - » 185
VI. *De beneficiorum reservatione* - - - - - - - » 211
VII. *De alternativa collatione beneficiorum* - - - - » 241
VIII. *De primis precibus imperatoris, ac regis romanorum* - - - - - - - - - - - - - - » 262

TITULUS VI.

De clerico aegrotante, vel debilitato - - - - » 287

TITULUS VII.

De institutionibus.

§. I. *De institutione collativa tituli in beneficio* - - » 304
II. *De institutione authorizabili* - - - - - - - - » 322
III. *De investitura, et missione in beneficii possessionem* » 326

TITULUS VIII.

De concessione praebendae non vacantis - - » 334

TITULUS IX.

Ne sede vacante, aliquid innovetur - - - - - » 354

TITULUS X.

De his quae fiunt a praelato sine consensu capituli - - - - - - - - - - - - - - - - » 379

TITULUS XI.

De his, quae fiunt a majore parte capituli - » 389

TITULUS XII.

Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur - - - - - - - - - - - - » 406

TITULUS XIII.

De rebus ecclesiae alienandis, vel non.

§. I. *Explicatur rubrica tituli* - - - - - - - - » 432
II. *Referuntur res, quae libere alienari possunt, vel non possunt* - - - - - - - - - - - - » 444
III. *De causis ad alienationem rerum ecclesiasticarum requisitis* - - - - - - - - - - - - - » 456
IV. *De solemnitatibus in alienatione rerum ecclesiae praescriptis* - - - - - - - - - - - - » 465
V. *De effectu alienationis rerum ecclesiasticarum* » 489

CLERUS
SÆCULARIS, ET REGULARIS
SEU
DECRETALIUM GREGORII IX.
PONT. MAXIMI

LIBER III.

Post examinatum processum judiciale sequitur de actibus, et juribus clericorum, quos tum proprios, tum communes cum laicis habent. In quinque partes commode dividi liber hic potest. *Prima* continebit actus, et obligationes clericorum respective ad beneficia, quae ipsis conferuntur. *Secunda* perpendet eorum pacta, atque contractus. *Tertia* illorum dominium, et cetera jura examinabit. *Quarta* de regularium statu, juribus, obligationibusque discurret. *Quinta* denique jura, privilegia, et actus enumerabit, quæ vel ecclesiis competunt, vel in iisdem exercentur.

PARS I.

De actibus, et obligationibus clericorum respective ad beneficia ecclesiastica.

Tria pars ista continet 1. enumerat aliquas qualitates in beneficiariis requisitas, ut tum beneficia capere, et retinere, tum fructus eorum possint percipere. 2. Descendit ad ipsa beneficia ecclesiastica, et postquam beneficii naturam, varietatem, et alias qualitates descripsit, ad modum haec acquirendi, conferendique digreditur. 3. Denique de horum, bonorumque, ex quibus reditus beneficiarii capiunt, administratione discurrit.

TITULUS I.

De vita, et honestate clericorum.

Ab hac legislator noster initium capit, quia ante omnia requiritur in clericis; cum enim eorum vita, ut *trid. ses.* 22. *c.* 1. *de reform.* indicat, sit quasi speculum, et norma vivendi toti populo, necessarium est, non tantum nihil in iis esse, quod pusillos offendat, sed omnia talia, quae cunctos aedificent, atque animarum salutem promoveant. Porro haec vitae, morumque honestas, tantopere clericis, praesertim sacerdotibus, curam animarum habentibus, necessaria duplex est, interna, et externa: de utraque sigillatim agendum est.

§. I.

De clericalis vitae honestate interna.

SUMMARIUM

1 *Hæc consistit primo in rectitudine intentionis.*
2 3 *Qualitas hujus describitur.*
4 *An promovendus ad beneficium parochiale debeat etiam habere animum illud perpetuo retinendi?*
5 *An si illud recepit sine animo sacerdotii intra annum suspiciendi fructus ex illo perceptos restituere debeat ante sententiam?*
6 *An intentio recipiendi sacerdotium adesse debeat etiam in receptione dignitatum, quibus animarum cura connexa est?*
7 *Quid dicendum de recipiente beneficium simplex, quod ordinem sacrum annexum habet.*
8 9 *Qualem culpam committat, qui recipit beneficium simplex, quod non habet ordinem sacrum sibi annexum?*
10 11 *An, et quomodo peccet is, qui primam tonsuram, et minores ordines recipit sine intentione in clericatu perseverandi?*
12 *Quanta in clerico requiratur animi puritas.*
13 14 *Quomodo in ministro sacramenti sit necessaria fides, et probitas?*
15 *Aut status gratiae?*
16 17 *An idem status gratiæ requiratur etiam ad exercendos alios actus ordinum, qui non sunt confectio sacramenti.*
18 19 *An clericus peccati mortalis sibi conscius sacramenti administrationi teneatur praemittere confessionem sacramentalem.*

Vitae clericalis honestas interna tria exposcit maxime rectitudinem intentionis, animae et conscientiae puritatem, ac reliquas virtutes tum theologicas, tum morales.

1

Quaeritur 1. in quo consistat *rectitudo intentionis*? Resp. Rectitudo intentionis in eo consistit, ut clericus ad ordines, et beneficia ecclesiastica se promoveri curet non tam consequendi alicujus emolumenti temporalis, sed obeundi officii sui spiritualis, et gloriae divinae promovendae gratia; horum enim intuitu beneficia, et dignitates ecclesiasticae conferuntur; *c. fin. de rescript. in* 6. *et l. generaliter* 52. §. *eos tamen* 1. *C. de episc. et cleric.* Hinc *trid. sess.* 23. *c.* 4. *de reform.* non tantum ordinibus, sed etiam prima tonsura initiari vetat illos, *de quibus probabilis conjectura non est, eos, ut fidelem DEO cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.*

Et ne vagus sit a clericatu ad vota saecularia transitus, *c. cum in cunctis* 7. §. *inferiora de elect. c. ut abbates* 1. *de aetat. et qualit. etc. licet* 14. *de elect. in* 6. hi, qui dignitates, et alia beneficia ecclesiastica canonice consecuti sunt, sub poena haec amittendi jubentur ss. ordines illis annexos suscipere. Imo, *c. commissa* 35. *de elect. in* 6. statuitur, ut qui ad ecclesias parochiales sine sacerdotii suscipiendi intentione promoti sunt, fructus ex iis provenientes teneantur restituere.

Excipitur, nisi intentionem mutent, et ordine illo initientur; nam tunc fructus etiam ante animi mutationem perceptos non tenentur restituere, ut contra Sot. *l.* 10. *de just. q.* 5. *art.* 6. communis DD. habet sententia, et non obscure indicatur *c. commissa cit.* ubi *V. ceterum* dicuntur restituendi fructus, nisi ejusmodi beneficium recipiens, *mutata voluntate*, ad sacerdotium intra annum *promotus fuerit.* Igitur si mutaverit voluntatem, restituere non tenebitur.

2

Dub. 1. qualis debeat esse intentio promovendi ad beneficium parochiale? Resp. 1. promovendus ad beneficium parochiale debet habere intentionem seriam, et certam suscipiendi presbyteratum, et permanendi in statu clericali, ut patet ex juribus *citt.* Hinc qui beneficium tale suscipit, dubius adhuc, an ad ordines ss. promoveri velit, male agit, et ad restituendos, quos percepit, fructus tenetur, nisi deposito dubio, intra annum ss. ordinibus initietur, aut saltem propositum eos suscipiendi habeat, ut contra Garc. *de benefic. p.* 3. *c.* 4. *n.* 48. *et* 49. tradit Lud. Lopez *instruct. p.* 1. *c.* 255. *col.* 7. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 45. *n.* 10. Pal. *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 5. et sumitur ex *c. commissa cit.* ubi simpliciter requiritur voluntas suscipiendi presbyteratum, is autem, qui dubitat, dici non potest habere hanc voluntatem: ergo etc.

2. Intentio haec suscipiendi presbyteratum non debet necessario esse absoluta, sed sufficit etiam conditionata, e. g. nisi ante sacrum

ordinem susceptum clericalis status minus convenire videatur, nisi primogenitus frater moriatur sine haerede, nisi opulentum, et ad familiam conservandam opportunum matrimonium sese offerat etc. Navarr. *Man. c.* 25. *n.* 118. Garc. *c.* 4. *cit. a n.* 46. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 131. Sanch. *D.* 45. *cit. n.* 10. Laym. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 14. *n.* 9. Pirh. *hic n.* 106. Vviest. *n.* 19. et alii apud istos. Ratio est, quia, ejusmodi conditionata intentio saepe valde rationabilis est, nec reprobatur ab ecclesia, imo approbatur, saltem tacite, dum renuntiationes, ex hujusmodi causa factas, sine difficultate admittit, quod iis non raro magna bona promoveantur.

3

3. Non est necessarium, ut intentio illa suscipiendi sacerdotium sit constans; nam etsi postea intentionem clericus mutet, modo intentio seria fuerit, fructus, saltem ante animi mutationem perceptos, restituere non tenetur, *ut l. cit.* tradunt Nav. *n.* 118. Less. *n.* 134. Sanch. *n.* 11. Pal, *n.* 9. Vviest. *n.* 25. et ratio est, quia circa hos fructus fraus nulla commissa est. Dixi *saltem ante animi mutationem perceptos*; nam de perceptis post animi mutationem, distinguendum est, an fraus aliqua in mutatione hac intervenerit, an vero non; nam si primum contigerit, et hoc probatum fuerit, fructibus, a mutatae voluntatis tempore perceptis, et ipso beneficio privari possunt. *Si secundum*, non tenebitur restituere fructus, etiam illos, quos intra annum ita percepit, ut cum *cit.* DD. tradit P. Vviest. *hic n.* 26.

4

Dub. 2. an promovendus ad beneficium parochiale debeat etiam habere animum illud perpetuo retinendi? Affirmant hoc aliqui apud Sanch. *D.* 45. *cit. n.* 12. Ducuntur, quia assumens beneficium quasi contrahit matrimonium spirituale cum ecclesia, in qua recipit beneficium. Ergo sicut contrahens matrimonium carnale tenetur habere animum perpetuo manendi cum uxore, ita et recipiens beneficium tenetur habere animum perpetuo manendi in ecclesia, in qua recipit beneficium.

Sed dicendum, non esse opus, ut suscipiens hujusmodi beneficium velit in eo permanere, sed satis esse, si habeat animum suscipiendi requisitum ordinem, et beneficio inserviendi, etsi intendat illud permutare, vel resignare. Ita Navar. *cons.* 24. *de praeb. et dign. n.* 2. Sanc. *n.* 12. Less. *n.* 136. Pal. *n.* 11. Vviest. *hic n.* 27. Ratio est, quia beneficium recipiens non tenetur illud perpetuo retinere: et si eidem deserviat, et satisfaciat oneribus annexis, quamvis, offerente se occasione commoda, permutare illud intendat, in hoc non decipit ecclesiam, neque notabile illi detrimentum affert.

Aliud foret, si animum deserviendi beneficio non haberet, nam iste perinde, ac qui non residet, fructus ex illo provenientes deberet restituere, ut exploratum est ex *c. commissa cit. V. ceterum.*

Ad argumentum adversae partis negatur paritas inter matrimonium carnale, et spirituale; nam matrimonium carnale est vinculum perpetuum, quale non est matrimonium spirituale.

5

Dub. 3. an, qui parochiale beneficium sine sacerdotii intra annum recipiendi intentione acceptat, fructus ex illo provenientes et perceptos restituere debeat ante sententiam? *Ratio dubitandi est*, quia beneficii collatio ei facta jure subsistit; alias qui mutata voluntate, intra annum initiatur sacerdotio, ubi collatum cum perceptis fructibus sine nova collatione retinere non posset. Ergo et fructuum acquirit dominium. Si autem dominium illorum habet, iisdem non privatur ante sententiam declaratoriam criminis, cum jus quaesitum habeat, et hoc jure nemo privetur ante sententiam declaratoriam criminis; ergo etc.

Sed hoc non obstante, probabilius fructus ex beneficio sine sacerdotii intra annum suspiciendi voluntate percepti ante omnem sententiam restituendi sunt, ut recte gloss. *fin. in c. commissa* 35. *de elect. in* 6. Franc. *ibid.* §. *porro n.* 2. Rebuff. *prax. benef. tit. de non promot. intr. ann. n.* 15. Gutier. *qq. can. l.* 2. *c.* 5. *n.* 20. Sanch. *D.* 45. *cit. n.* 3. Less. *c.* 34. *n.* 100. Pal. *p.* 7. *n.* 6. Viest. *hic n.* 23. Ratio est, quia beneficium, et fructuum hujus dominium non aliter conceditur clerico, quam sub conditione intentionis recipiendi ordinis sacri et sacerdotii intra annum, vel purgandae fraudis, et voluntatis per actualem sacerdotalis ordinis intra annum receptionem mutandae. Igitur cum intentio haec defuerit, et fraudis purgatio, ac voluntatis mutatio intra annum secuta non fuerit, tam fructuum dominium, quam ipse beneficii titulus, sic disponente lege, evanescit, cum certa sit juris *maxima*, deficiente conditione, etiam actum conditionatum deficere.

Ex quo patet ad argumentum oppositum: dicendum enim titulum beneficii, et fructuum ex eo perceptorum dominium hoc casu beneficiario non esse quaesitum absolute, sed sub conditione memorata: hinc ut extinguantur, alio opus non est, quam ut conditio ista deficiat.

6

Dub. 4. an supradicta intentio recipiendi sacerdotium adesse debeat etiam in receptione dignitatum, quibus animarum cura connexa est, ita ut si aliquam ex his recipias non intendens promoveri, tenearis et dignitatem dimittere, et fructus restituere, non ex-

spectata sententia ? Affirmant Vasq. *de benef. c.* 2. §. 3. *n.* 33. ex ratione, quod hae dignitates parochialibus beneficiis aequiparentur et cum etiam ipsa sub conditione recipiendi ordinem presbyteratus annexum conferantur, eadem de istis, quae de illis videtur esse ratio.

Sed verius est, etsi moraliter peccet ita sibi collatam dignitatem recipiens, non tamen teneri illum aut dignitatem dimittere, aut fructus restituere ante omnem sententiam. Ita Pal. *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 12. cum communi DD. Ratio est, quia in odiosis extensio de casu expresso ad non expressum facienda non est. Versamur autem hic in materia odiosa, cum agatur de privatione, et restitutione fructuum. Igitur cum *cap. commissa et cap. licet cit.* solum fiat mentio de ecclesiis parochialibus, ab his ad dignitates, etiam curatas, quippe quae proprie beneficium parochiale non sunt, extensio fieri non debet.

Ad rationem in contrarium nego, quod eadem sit ratio dignitatum et beneficiorum parochialium; nam differentiam inter haec, et illas sufficienter jus ipsum indicat, dum ad illas promoti, si intra annum ad sacerdotium moniti non ascendant, *a trid. sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* iisdem privari jubentur; at parochialia recipientes, etiam nulla monitione praecedente, ipso jure privati afferuntur; *capit. commissa, et c. licet cit.*

7

Dub. 5. quid dicendum de recipiente beneficium simplex, quod ordinem sacrum annexum habet, si illud recipiat absque animo recipiendi illum ordinem ? Hunc ad restitutionem fructuum obligant Jacob. de Grassis *decis. cas. consc. l.* 2. *c.* 97. *n.* 55. Garc. *de benef. p.* 3. *c.* 4. *n.* 38. et alii apud istum, ex ratione, quia talis non minus committit fraudem, quam ille, qui sine animo recipiendi sacerdotium recipit beneficium parochiale, ut proin dispositio *c. commissa, et c. licet cit.* videatur porrigi etiam ad beneficia simplicia.

Sed dicendum, ita recipientem beneficium simplex ad fructus ex eo perceptos restituendos non obligari. Ita Gutier. *l.* 2. *can. qq. c.* 5. *n.* 24. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 9. *q.* 7. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 45. *n.* 15. Pal. *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 12. Vviest. *hic n.* 21. Ratio est, quia in *c. commissa*, *et c. licet cit.* solum est sermo de beneficiis parochialibus. Igitur dispositio illorum ad simplicia extendi non debet, praesertim cum longe minor inveniatur culpa in receptione beneficiorum simplicium, quam curatorum.

8

Dub. 6. qualem culpam committat is, qui recipit beneficium simplex animo non ascendendi ad ordines, sed potius relinquendi statum clericalem, postquam aliquo tempore fructus illorum perce-

perit ? Satis convenit inter DD. peccaturum graviter, si beneficium ejusmodi ex jure, constitutione, fundatione, aut consuetudine ordinem sacrum annexum habeat ; quia in re gravi caret intentione observandi jus.

At si nullum ordinem sacrum annexum habeat, triplex sententia est ; nam 1. Sot. *l.* 10. *de just. q.* 5. *art.* 6. *col.* 4. Navar. *miscell. de orat.* 44. *n.* 2. *edit.* 2. Tolet. *l.* 3. *sum. c.* 18. *n.* 4. et *l.* 5. *c.* 5. *n.* 5. putant illum peccare mortaliter ; quia decipit ecclesiam, quae ei beneficium non conferret, si sciret, illum cum hac intentione istud assumere.

2. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 45. *n.* 19. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 132. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. *n.* 12. in hujusmodi intentione solum agnoscunt peccatum veniale, si recipiens habeat voluntatem beneficio inserviendi, ejusque obligationibus satisfaciendi, saltem, si aliquo honesto fine, e. g. studiorum causa ducatur. *Rationem* dant, quia talis intentio aliquo modo repugnat beneficiorum ecclesiasticorum institutioni, quippe quae instituta sunt, ut conferantur iis, qui statum ecclesiasticum sincere amplectuntur animo servitio digno se perpetuo dedicandi, nisi nova justa causa eum statum mutandi emergat : proinde cum sit debiti ordinis, et finis perversio, a culpa excusari non potest ; ad gravem autem non ascendit, cum nullo jure naturali, vel positivo recipiens beneficium obligetur perseverare in clericali statu.

9

3. Garc. *p.* 3. *de benef. c.* 4. *n.* 43. et Pal. *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 16. putant in tali intentione per se nullam committi culpam ; quia nulla est culpa, ubi nulla est alicujus praecepti violatio. At nullum est praeceptum positivum, vel naturale obligans beneficiatum ex susceptione beneficii ad perseverandum in statu clericali : imo potius a jure liber transitus ad nuptias beneficiatis conceditur, modo beneficia a se obtenta relinquant; *c. diversis* 5. et *c. Joannes* 7. *de convers. conjugat.*

Ex quo cadit ratio, et argumentum secundae sententiae, petitum ex perversione ordinis, et finis a jure intenti. *Ad argumentum primae sententiae* respondet Palao, in hac intentione ecclesiam non decipi, neque juste esse invitam, cum eam habens non intendat aliquid contra id, quod ab ecclesia est dispositum ; beneficium enim datur ad sustentandum beneficiatum in statu clericali eo tempore, quo beneficium habuerit, non tamen cum obligatione, ut semper beneficium retineat, et statum incompatibilem non accipiat.

10

Dub. 7. an, et quomodo peccet is, qui primam tonsuram, et minores ordines recipit sine intentione in clericatu perseverandi? Iterum non conveniunt DD. nam aliqui cum Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 7. *n.* 2. *in fin.* ab omni culpa talem absolvunt, si id ex rationabili causa faciat, ad id opinandum inducti exemplo rectorum academicorum, in una, et altera universitate ea solum intentione minores ordines, aut primam saltem tonsuram, recipere solitorum, ut essent capaces jurisdictionis in clericos exercendae. Contra mortaliter peccare existimant alii, praecipue mota paritate cum eo, qui religiosi ordinis novitiatum ingreditur animo non profitendi, sed ad saeculum redeundi.

Tenenda via media, et cum Navar. *man. cap.* 25. *n.* 108. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 45. *n.* 17. Bonac. *D.* 8. *de Sacram. q. un. p. ult. in fin.* Dian. *p.* 1. *tr.* 8. *resol.* 10. Vviest. *hic n.* 17. dicendum, sic recipientem primam tonsuram, aut minores ordines excusari quidem a peccato mortali, plerumque tamen non vacare culpa veniali.

11

Et quidem quod culpae saltem venialis reus sit, non obscure insinuat Trid. *sess.* 23. *c.* 4. *de reform.* ubi *prima tonsura initiari* prohibet illos, *de quibus probabilis conjectura est, eos potius saecularis judicii fugiendi fraude*, et ecclesiastici fori privilegio fruendi animo, *quam ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse*: quibus verbis suspicientes tonsuram alio, quam fidelem cultum Deo praestandi animo aperte arguit fraudis, ac deceptionis; haec autem utique non vacat culpa, ergo etc. *Neque* contrarium probat exemplum universitatum a primae sententiae fautoribus adductum; quia ab eo usu in illis academiis recessum est, et ubi earum rectores ecclesiastici non sunt, jurisdictio in clericos fere in illarum procancellarios, sacrae facultatis decanos, aliasque personas ecclesiasticas transiit.

Quod vero culpa ista mortalis non sit, inde constat; quia nullum habetur praeceptum, quod recipientem primam tonsuram, aut ordines minores obliget ad hoc, ut in clericatu suscepto persistat. Cum novitio religionis nulla est paritas; hic enim in re gravi decipit praelatum, qui non intendit aliquem admittere ad novitiatum, institutum, et secreta religionis cognoscenda, et vitae regularis communionem, quam eum, qui in illa, quam prae se fert, vocatione constans fore speretur. Accedit, quia talis magnis expensis nutritur in novitiatu, nullo operae suae pretio. Tam gravis, et tam

[illegible]

[illegible]

[illegible]

tum umbra fuerunt sacrificii novae legis. Igitur longe magis decet sanctos, et immaculatos esse ministros mysteriorum novae legis.

Dixi autem, *extra casum necessitatis*; nam casu, quo urgeret necessitas, et baptismus conferendus esset statim morituro, nec minister, in statu peccati mortalis constitutus, confiteri posset, aut etiam contritionem elicere sine periculo, ne baptizandus interea moreretur, eo, inquam, casu sacerdotem ipsa sacramenti celeriter administrandi necessitas a peccato excusaret, et purgaret irreverantiam, Christo, et sacro ordini inferendam, ut bene notant Conick *q.* 64. *art.* 6. *dub.* 1. *n.* 22. Laym. *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 8. Pal. *tr.* 18. *D. un. p.* 5. *n.* 9. Vviest. *hic n.* 32.

15

Dub. 2. de quibus ministris lex ista existendi in statu gratiae, dum administratur sacramentum, intelligenda sit? Distinguunt aliqui inter ministros, qui ex officio proprio, ad quod per ordinationem specialiter deputati sunt, sacramentum administrant, et inter eos, qui illud administrant per accidens solum, ministro proprio deficiente, ut si laicus in necessitate administret baptismum; nam priores solum, non vero posteriores asserunt obligari ad statum gratiae procurandum, antequam administrent sacramentum.

Sed probabilius obligatio haec se extendit ad quoscunque ministros, etiam laicos, ita, ut quandocunque sacramentum aliquod, sive ex proprio officio, ad quod per sacram ordinationem deputati sunt, sive proprio ministro deficiente, per accidens publice, aut privatim administraturi sunt, statum gratiae procurare teneantur, et si illud in statu peccati mortalis scienter administrent, graviter peccent. Ita Navar. *in can.* 1. §. *sacerdos dist.* 6. *de poenit. n.* 10. Vasq. *D.* 136. *c.* 3. *n.* 38. Petr. Ledes. *de matr. q.* 42. *art.* 3. §. *ad ult.* Pal. *p.* 5. *cit. n.* 9. *et trib. seq.* Vvies. *hic n.* 51. nec immerito; ratio enim videtur esse universalis, quia sc. sit gravis irreverentia Christo, si personam ejusdem repraesentare, et thesaurum meritorum illius dispensare praesumat DEI hostis, et diaboli mancipium; unde etsi gravius peccent, qui ex officio hujusmodi sacramenta administrant, non tamen per hoc ceteri a peccato mortali fiunt liberi.

16

Dub. 3. an immunitas conscientiae a peccato mortali clericis necessaria sit ad alios actus ordinum exercendos, qui non sunt confectio sacramenti? Consentiunt DD. non peccare mortaliter, qui actus ordinum minorum in peccato mortali exercet.

Controversia solum est de actibus propriis majorum ordinum, uti est collatio primae tonsurae, consecratio chrismatis, vel altarium,

ministerium levitarum in sacrificio missae, praedicatio verbi divini, benedictio nuptiarum, olei, aquae etc. Sylv. *V. clericus* 2. *n.* 2. *in fin.* Navar. *man. c.* 25. *n.* 72. Cajet. *in* 3. *p. q.* 64. *art.* 3. *ad* 1. et alii putant, hos actus sine gravi peccato in eo statu exerceri non posse. Desumunt hoc ex *c. fin. de temp. ordin. ubi sacerdotes, et alii clerici, qui per reatum adulterii etc. bonum conscientiae rectae perdiderunt, monendi dicuntur, et sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium suae damnationis in susceptis ordinibus non ministrent. Conf.* exemplo Ozae, repentina morte percussi ob indecentem contactum arcae: atqui non minor infertur Deo irreverentia per ministerium diaconi, vel subdiaconi peccati mortalis sordibus inquinati: ergo etc.

17

Sed probabilius per non sacramentales ordinum functiones, in statu peccati mortalis factas, scandalo cessante, non peccatur mortaliter. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 6. *et dist.* 24. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 1. Suar. *in* 3. *p. D.* 16. *ser.* 3. Vasq. *ibid. D.* 136. *n.* 50. Valent. *to.* 4. *D.* 3. *q.* 5. *p.* 3. Coninck *q.* 64. *art.* 7. *dub.* 1. *n.* 39. Bonac. *D.* 1. *q.* 3. *p.* 3. §. 1. *n.* 4. Pal. *tr.* 18. *D. un. p.* 6. *n.* 2. Vvies. *hic n.* 33. Ratio est, quia cum functiones istae sacramenti alicujus confectionem, vel administrationem non contineant, non videtur gravis irreverentia committi in Christum: sed neque committitur ejusmodi irreverentia contra ordines, quorum exercitium, et actus sunt; quia functiones istae ad sanctificationem ex opere operato, conferendam non tendunt.

Neque obest *c. fin. cit.* nam intelligendum est secundum materiam subjectam, et qualitatem ministerii. *Ad conf.* ex plurium DD. sententia Oza peccatum mortale non commisit, licet incautus ejusdem contactus ad augendam reverentiam arcae temporali morte a Deo punitus sit.

18

Dub. 4. an clericus peccati mortalis sibi conscius sacramenti administrationi praemittere teneatur confessionem sacramentalem, vel satisfaciat, si ante illam eliciat contritionem? Resp. distinguendo inter sumptionem eucharistiae, et cons. antecedentem illius confessionem a sacerdote, et inter reliqua sacramenta. De his enim nihil jure definitum reperitur, et cons. sufficiet, si eorum minister statum gratiae per contritionem reparet. At celebrationi missae sacerdos, in statu peccati mortalis constitutus, confessionem sacramentalem praemittere debet, prout constat ex Trid. *sess.* 13. *c.* 7. et patet ex *decreto Alexandri VII. edito* 18. *Mart.* 1666. ubi contrarias propositiones duas, unam numero 38. alteram 39. damnavit.

19

Controversia fieri potest de jure, quo introductum est illud praeceptum: ad quod cum communi, et veriore sententia dico illud descendere ex jure divino. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 12. *art.* 4. Covar. *in c. alma p.* 1. §. 1. *n.* 8. Suar. *sect.* 3. *cit. concl.* 3. Vasq. *D.* 207. *a n.* 40. Vvies. *hic n.* 35. et hoc teste alii praecipui nominis TT. Ratio est, quia, ut ex Trid. *c.* 7. *cit.* patet, ecclesia declaravit, illis verbis Apostoli, *probet autem seipsum homo etc.* ab Apostolo proponi praeceptum de confessione sacramentali praemittenda celebrationi missae, et communioni. Apostolus autem hoc praeceptum non proponit ut conditum a se; quia dicit, *ego enim accepi a Domino*, quae verba ad omnia subsequentia videntur referri. Ex quo sequitur, praeceptum hoc etiam per consuetudinem contrariam tolli non posse.

§. II.

De honestate vitae clericalis externa.

SUMMARIUM

20 *Morum ac vitae integritas, in clerico requisita, exigit primo, ut sit extra omnem suspicionem incontinentiae.*

21 *Secundo, ut fugiat crapulam, et ebrietatem.*

22 *Tertio, ut sit alienus ab omni avaritia.*

23 24 *An, et quid judex a partibus possit accipere?*

25 *Quibus casibus?*

26 27 *An consuetudine induci possit, ut aliquid accipere liceat?*

28 29 *An ex causa redimendi vexam tale aliquid dare?*

30 *De restitutione acceptorum.*

31 *Clerici habitum, et tonsuram clericalem debent gerere.*

32 *Non comam nutrire, vel barbam.*

33 *Nec arma militaria gerere.*

34 *Vestitus qualitas.*

35 *Probabilius gestatio annuli prohibetur etiam doctoribus clericis.*

36 37 *Casus, quibus habitum, et tonsuram clericus licite, vel saltem impune non defert.*

38 39 *An etiam clerici minores teneantur deferre habitum, et tonsuram?*

40 *An reassumens habitum, et tonsuram privilegium fori amissum recuperet?*

41 *Quid si post habitum dimissum deliquisset.*

42 *An consuetudine induci possit, ut subdiacconi v. g. clericaliter non incedant?*

43 *An clericus arma prohibita gestans iis spoliari a sæculari magistratu possit.*

44 *Obligatio clericorum in ordine ad divina officia.*

45 46 *Negotia officia, et exercitia prohibita clericis.*

47 *An talibus intendens, privilegium fori amittat ipso jure?*

Externa vitae clericalis honestas etiam ipsa praecipue tria exposcit, 1. Morum, et conversationis integritatem 2. decentiam habitus externam 3. exercitium munerum, atque officiorum, convenientium statui clericali; Vagn. *hic not.* 2. Pirh. *ibid. princ.* Vvies. *n.* 37.

20

Quaeritur 1. in quo consistat morum, ac vitae integritas juxta SS. canones in clericis requisita? Resp. Haec maxime in tribus consistit, 1. ut praesertim si in sacris sint constituti, non solum continenter, et caste vivant, sed etiam ita caute, ut extra omnem suspicionem incontinentiae, et intemperantis animi sint, prout statutum habetur *C. ut clericorum* 13. *h. t.* Ratio est, quia nihil est a purissimis, et mundissimis illis ministeriis divinis, quibus mancipantur,

alienius, quam polluta conscientia. Hinc sine manifesta, et rationabili causa monasteria monialium sub poena depositionis frequentare prohibentur, ut habetur *c. monasteria* 8. *h. t. c. un. princ. de stat. regul. in* 6. quod innovavit Trid. *ses.* 25. *c.* 5. *de regul.* auxitque, dum statuit, ut deinceps nemini, cujuscunque conditionis, aut sexus fuerit, sub poena excommunicationis, ipso facto incurrendae, intra septa monasterii monialium ingredi liceat absque facultate in scripto impetrata ab episcopo, aliove superiore, cui monasterium subjectum est, quam licentiam ipse dare non possit, nisi in casibus necessariis; Laym. *t.* 4. *tr.* 5. *c.* 12. *n.* 1. *et seq.* Multo magis iisdem clericis vitanda est familiaritas cum aliis foeminis; tritum namque adagium est: *mare, ignis, et mulier tria mala; sed tamen minus tempestuosum est mare, ignis minus inflammat, in muliere omnia nocent. Excipiuntur* sacerdotes, diaconi, et subdiaconi orientales; nam hi etsi post susceptum sacerdotium, vel diaconatum contrahere amplius matrimonium nequeant, uti tamen matrimonio possunt, quod ante susceptum sacerdotium, vel ordinem sacrum contraxerunt, ut notat glos. *fin. in c. ut clericorum cit.* et dicetur *infra tit.* 3.

21

2. Fugienda est clericis crapula, et ebrietas, quae omnium vitiorum fomes, et nutrix est; *can. fin. dist.* 35. et mentis aciem hebetat, ejus exilium inducit, et libidinis est incentivum; *c. a crapula* 14. *h. t.* Ut vero a periculo se inebriandi sint remotiores. 1. inhibetur illis, ne ad bibendum se incitent, et usus ad aequales haustus provocandi, ac faecundiores calices exhauriendi aboleri jubetur, adjecta poena, ut si commoniti non destiterint, ab officio, et beneficio suspendantur, prout habetur *c. cit.* intelligi autem hoc debet, quando periculum est inebriationis; nam secluso isto periculo, ad aequales haustus potatio, quae causa honoris, et votivae salutis pro principibus, et amicis fit, licita est, ut advertit Vall. *hic n.* 7. Zypaeus *ibid. n.* 9. Schamb. *n.* 6. 2. iis interdicitur, ne edendi aut bibendi causa tabernas ingrediantur, nisi itineris necessitate compulsi; *can. non oportet n. et duob. seq. dist.* 44. *cap. clerici* 15. *h. tit.* in istis autem canonibus non est constituta poena contrarium facientibus et ideo relicta videtur arbitrio superioris, ut consideratis personarum qualitate, actuum frequentatione, videntium scandalo, majorem, vel minorem injungat; 3. non permittuntur convivia accedere, praesertim nuptialia, ubi majores illecebrae, et saepe Bacchus, et Venus convivantur; *can. presbyteri* 19. *dist.* 34. *can. convivia* 6. *et seq. dist.* 44.

22

3. Clerici ab omni avaritia maxime alieni sint, oportet ; nam qui festinat ditari, non erit innocens *prov.* 28. imo avaro nihil est scelestius, nihilque iniquius, quam amare pecuniam; *eccl.* 10. Quare ad vitium hoc evitandum ecclesia 1. iisdem sustulit potestatem condendi testamenta; *c. quorundam* 1. et passim *de testam.* 2. negotiationis exercitium, et praecipue usurarum, sub poena excommunicationis, iisdem prohibuit; *c. clerici* 2. *et c. fin. hoc tit.* 3. cambia, quae maxime spe lucri ineuntur, interdixit; *arg. cap. ex parte* 18. *in fin. de censib.* 4. Auri, et argenti alchymici confectionem, usumque vetuit ; *extrav. spondent. un. de crim. fals. int. comm.* 5. judices gratis judicare voluit, non acceptis litium decimis, nec earum quota; *c. cum ab omni* 10. *hoc tit.* Haec satis certa.

23

D. 1. utrum judex acceptare saltem licite possit munera , si haec liberaliter , et sponte eidem offerantur ? Resp. distinguendum inter judicem ordinarium, et delegatum. Judex ordinarius, sive ecclesiasticus, sive saecularis non potest illa accipere, etiam sponte oblata, sed eorum acceptio et multo magis exactio utroque jure gravissime est interdicta, canonico quidem *c. cum aeterni* 1. *de sent. et re judic. in* 6. *et c. statutum* 11. §. *insuper* 4. *de rescrip. in* 6. civili autem *l. solent* 6. §. *fin. ff. de offc. procons. l. un.* §. *donationes* 1. *C. de contract. judic. l. venales.* 7. *C. quand. provoc. non est necess.* ubi sententia lata ob mercedem irrita esse dicitur. *Ratio est* , quia judices ecclesiastici ordinarii habent beneficia , et alios rrdditus ecclesiasticos , quibus onera officio suo annexa sustineant; saecularibus autem ex publico salaria, et stipendia numerantur, ob quae ex justitia obligantur ad justitiam ministrandam partibus, officium illorum implorantibus. Et hinc, si judex etiam saecuris accipiat munus, tanquam mercedem , et pretium , peccat contra justitiam, ecclesiasticus vero etiam committit simoniam : et uterque ad restitutionem tenetur.

24

Difficultas major est de delegato, an pro labore judicandi munus, aut salarium a partibus litigantibus possit accipere ? Verum haec commode ope distinctionis solvitur, nam delegatis a papa permissum est accipere esculenta, et poculenta, si talia illa sint, quae spectata tam accipientis, quam dantis conditione sint modica, et sponte , ex mera liberalitate sine ulla exactione, vel petitione, etiam indirecta, offerantur , ut adeo suspicio esse non possit , ea oblata esse vel in compensationem laboris judicandi, aut animo judicii pervertendi; *cap. statutum et* §. *insuper cit.* ceteri vero delegati , spectato jure com-

munì, nihil omnino possunt accipere, sed expensas, et victualia ab ordinario delegante iisdem praestanda sunt, ut contra gloss. *in* §. *insuper cit. V. moderatas*, *et* Abb. *in cap.* 10. *hoc tit. n.* 13. advertit gloss. *in cap. V. praeter expensas*, Bartol. *ibid. n.* 9. Vvagn. *in exeges.* Pirh. *n.* 8. et colligitur ex *c. statutum cit.* §. *assessorem*, ubi decernitur, si judex ordinarius assessorem assumat, salarium huic non a partibus, sed ab ipso ordinario, qui ejus auxilio utitur, solvendum esse. Igitur similiter, si alicui causam deleget, expensae, et victualia solvenda erunt a delegante.

25

Dub. 2. quibus casibus judex vel delegatus, vel ordinarius accipere aliquid possit a litigantibus? Resp. Quatuor maxime excipiuntur apud DD. quorum *primus* locum habet in delegatis papae, qui, ut *n. praec.* dictum est, possunt accipere esculenta, et poculenta levia.

Secundus procedit etiam in delegatis ceteris, quando extra domicilium suum ad causam cognoscendam proficisci debent; nam tali casu moderatas expensas itineris aequaliter a partibus litigantibus, quarum commune negotium geritur, si pauperes non sint, accipere permittuntur; §. *insuper cit. et* gloss. *ibid. V. moderatas*, Abb. *in c.* 10. *hoc tit. n.* 13. Imol. *n.* 3. *et* 12. Vivian. *in rat.* Barb. *n.* Laym. *n.* 1. et ratio est, quia nemo suis stipendiis cogitur militare.

Tertius, *et quartus* denique etiam conveniunt judici ordinario: *unus* illorum est, quando judex ex beneficio, et redditibus ecclesiasticis congruam sustentationem non habet; nam tunc a partibus accipere potest salarium pro suo munere exequendo, ut *l. cit.* advertunt Abb. *n.* 11. Barb. *n.* 9. ex ratione paulo ante allata: *alter*, quando judex ad celeriorem causae expeditionem in se suscipit laborem extraordinarium, et adhibet diligentiam, ad quam ex officio suo non obligatur; nam istius compensationem aliquam admitti posse cum Navarro, et Sanchez docet Vviest. *hic n.* 45.

26

Dub. 3. an per consuetudinem introduci possit, ut judices saeculares, eorumque assessores a partibus pro labore aliquid certum loco salarii exigere, et accipere possint? Resp. affirmative, si id, quod solvitur, sit moderatum: secus, si immoderatum quid exigatur, vel irrationabiliter; tunc enim id nulla consuetudine introduci potest, quod per hoc praebeatur occasio pervertendi justitiam, ut recte advertit Laym. *in c.* 10. *hoc tit.* Pirh. *hic. n.* 9.

An idem dicendum etiam de judice ecclesiastico, difficultas est: et affirmativam videtur suadere argumentum a pari; potest enim per consuetudinem legitime praescriptam introduci, ut fideles aliquid sol-

vere teneantur parocho pro administratione baptismi, et aliorum sacramentorum, vel pro funere, licet ad hanc ex officio teneatur, et alioquin sufficientes redditus pro sustentatione habeat. *Sed non est paritas* cum casu nostro; nam memoratae oblationes continent causam pietatis, et ideo facilius per consuetudinem firmari possunt, quam eae praestationes, quae fiunt pro munere judicandi, quippe quae non pietatem, sed potius turpitudinem continent, seu praeseferunt ex parte exigentium, aut accipientium.

27

Hinc dicendum, casu, quo judici ecclesiastico aliunde ex beneficiis, vel aliis stipendiis de congrua sustentatione provisum est, non posse introduci ulla consuetudine, ut ille, saltem si ordinarius sit, pro labore judicandi aliquid accipiat a partibus salarii loco; *arg. c.* 10. *cit.* et docet *ibid.* Abb. *n.* 4. *et* 10. Laym. *n.* 4. *et* 5. Molin. *de just. tr.* 2. *D.* 84. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 9. idque tum ob periculum perversionis judicii, et justitiae, tum propter speciem mali, a qua ecclesiastici, utpote qui ceteris esse exemplo debent, abstinere sollicitius debent. Dixi autem *casu, quo judici aliunde de congrua sustentatione provisum est*, nam si istam non habeat, introduci consuetudine potest, ut aliquid accipiat a partibus, tanquam stipendium ad sustentationem vitae. Addidi, *saltem si ordinarius sit*: nam quoad delegatos facilius hujusmodi consuetudo introduci potest, cum hi salarium, vel stipendium ob causas speciales, ad quas delegantur, non accipiant.

28

Dub. 4. quid dicendum de redemptione indebitae vexationis, quae a judice v. g. causae cognitionem, vel sententiam differente, infertur? Resp. Hic distinguendum est inter acceptationem et oblationem: *de prima* certum est eam esse illicitam; quia non potest aliquid accipi pro eo, quod alias debetur ex justitia. Atqui judex habet obligationem justitiae ad sententiam justam ferendam, et cognitionem causae non protelandam: ergo etc.

De *secunda* dissident inter sese DD. Negant enim aliquid a partibus eo casu licite offerri posse; gloss. *in can. qui recte* 66. *V. exspectat in fin. caus.* 11. *q.* 3. Sot. *l.* 4. *de just. q.* 7. *art.* 1. *ad* 2. Salicet. *in l.* 1. *ff. de condict. ob turp. caus. n.* 1. desumunt hoc 1. *ex l. ut puta* 2. *ff. tit. cit. ibi. Hic quoque crimen contrahit; judicem enim corrumpere videtur*: *et novell.* 114. *c.* 1. cujus principio litigantes ex quacunque causa judici munera offerre prohibentur. 2. quia qui ex tali causa aliquid offert judici, ejusdem peccato cooperatur. 3. quia ad redimendam hanc judicis vexationem supersunt alia remedia, nempe recusatio, vel appellatio.

Sed verius dicitur id parti licitum esse. Ita gloss. *in c. cum ab omni* 10. *V. abstinere hoc tit.* Abb. *ibid. n.* 7. Innoc. *n.* 9. Joan. Andr. *n.* 8. Barb. *n.* 12. Vviest. *hic n.* 47. et alii ab *ci*. Ratio est quia id turpe, et illicitum non est spectato jure naturali, quod sui defensionem permittit omnibus : quam cum jus positivum non tollat, sequitur etiam licitam esse jure positivo.

29

Neque contrarium probant argumenta opinionis oppositae. *Ad* 1. textus ille, et ejus ratio non procedit in foro interno, ubi non praesumptionibus, sed veritate statur : in foro externo tum solum locum habet, quando ex circumstantiis non satis probatur intervenisse corruptionem; nam nisi hoc satis constet, in dubio praesumitur datum judici in malum finem, i. e. pro eodem corrumpendo, et sollicitando ad ferendam sententiam pro ipso dante. *Ad* 2. non omnis cooperatio ad peccatum illicita est, praesertim si coacta, sive necessitate extorta sit; liquet ex solutione usurarum, quae permissa est ob religionem juramenti, aut aliam necessitatem. *Ad* 3. illa juris remedia non sunt adeo certa in sui executione, imo plurimum in hoc respectu dubia, cum pendeant ex arbitraria probationum admissione, et ex aliis, quae solent cujuslibet litis eventum dubium reddere: hinc rationi consonat, ut aliud remedium quaeratur, quod non ita dubium sit, sed adeo certum, ac ipsummet damnum ex iniquitate judicis indubitanter imminens.

30

Dub. 5. an, et quando, quae data sunt judici, ab hoc restitui debeant? Resp. distinguendum, quo animo dentur : Vel enim coacte dantur, vel sponte. *Si coacte*, repeti possunt, et restitui debent; quia petita cum injuria, nec accipiens acquisivit rei datae dominium. *Si sponte*, videndum, an data sint tanquam pretium ex pacto pro sententia pro dante lata, an solum liberaliter, et mere gratuito. *Si primum*, iterum restitutioni obnoxia sunt; quia non potest aliquid accipi pro eo, quod alias debetur ex justitia : atqui judex habet obligationem justitiae ad ferendam justam sententiam; ergo etc. restitutio tamen fieri debet, non danti, sed fisco; dans enim ob turpitudinem commissam in emptione sententiae jure privatur re a se data. *Si secundum*, quamvis nec sic data judex possit accipere; ut eo liberior sit in pronuntiando, ante condemnationem tamen restituere non tenetur aut danti, aut cuilibet alteri : quia cum liberaliter data sint, datio fuit voluntaria, et cons. nisi aliunde accipiens inhabilis sit ad accipiendum dominium, hoc in ipsum translatum est; Barbos. *in c.* 10. *hoc tit. n.* 6.

1 Σαοὺλ δὲ ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου εἰς τοὺς μαθητὰς τοῦ
κυρίου, προσελθὼν τῷ ἀρχιερεῖ 2 ἠτήσατο παρ' αὐτοῦ ἐπιστολὰς εἰς
Δαμασκὸν πρὸς τὰς συναγωγάς, ὅπως ἐάν τινας εὕρῃ τῆς ὁδοῦ ὄντας,
ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας, δεδεμένους ἀγάγῃ εἰς Ἰερουσαλήμ. 3 ἐν δὲ τῷ
πορεύεσθαι ἐγένετο αὐτὸν ἐγγίζειν τῇ Δαμασκῷ, καὶ ἐξαίφνης περ-
ἀστραψαι αὐτὸν φῶς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· 4 καὶ πεσὼν ἐπὶ τὴν γῆν ἤκουσε
φωνῆς λεγούσης πρὸς αὐτόν, Σαοὺλ Σαοὺλ, τί με διώκεις; 5 ὁ δὲ εἶπεν,
Τίς εἶ, κύριε; ὁ δὲ κύριος, Ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς ὃν σὺ διώκεις· 6 ἀλλὰ ἀνά-
στηθι καὶ εἴσελθε εἰς τὴν πόλιν, καὶ λαληθήσεταί σοι τί σε δεῖ ποιεῖν.
7 οἱ δὲ ἄνδρες οἱ συνοδεύοντες αὐτῷ εἱστήκεισαν ἐνεοί, ἀκούοντες μὲν τῆς
φωνῆς μηδένα δὲ θεωροῦντες· 8 ἠγέρθη δὲ Σαοὺλ ἀπὸ τῆς γῆς, ἀνεῳγ-
μένων δὲ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ οὐδὲν ἔβλεπεν· χειραγωγοῦντες δὲ αὐτὸν
εἰσήγαγον εἰς Δαμασκόν. 9 καὶ ἦν ἡμέρας τρεῖς μὴ βλέπων, καὶ οὐκ
ἔφαγεν οὐδὲ ἔπιεν.

10 Ἦν δέ τις μαθητὴς ἐν Δαμασκῷ ὀνόματι Ἁνανίας, καὶ εἶπεν πρὸς
αὐτὸν ἐν ὁράματι ὁ κύριος, Ἁνανία. ὁ δὲ εἶπεν, Ἰδού, ἐγώ, κύριε. 11 ὁ δὲ
κύριος πρὸς αὐτόν, Ἀναστὰς πορεύθητι ἐπὶ τὴν ῥύμην τὴν καλουμένην
Εὐθεῖαν καὶ ζήτησον ἐν οἰκίᾳ Ἰούδα Σαοὺλ ὀνόματι Ταρσέα· ἰδοὺ γὰρ
προσεύχεται, 12 καὶ εἶδεν ἄνδρα Ἁνανίαν ὀνόματι εἰσελθόντα καὶ
ἐπιθέντα αὐτῷ χεῖρα ὅπως ἀναβλέψῃ. 13 ἀπεκρίθη δὲ Ἁνανίας, Κύριε,
ἤκουσα ἀπὸ πολλῶν περὶ τοῦ ἀνδρὸς τούτου ὅσα κακὰ τοῖς ἁγίοις σου
ἐποίησεν ἐν Ἰερουσαλήμ· 14 καὶ ὧδε ἔχει ἐξουσίαν παρὰ τῶν ἀρχιερέων
δῆσαι πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου. 15 εἶπεν δὲ πρὸς αὐτὸν
ὁ κύριος, Πορεύου, ὅτι σκεῦος ἐκλογῆς μοί ἐστιν οὗτος τοῦ βαστάσαι τὸ
ὄνομά μου ἐνώπιον ἐθνῶν τε καὶ βασιλέων υἱῶν τε Ἰσραήλ· 16 ἐγὼ γὰρ
ὑποδείξω αὐτῷ ὅσα δεῖ αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου παθεῖν. 17 Ἀπῆλθεν
δὲ Ἁνανίας καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὴν οἰκίαν, καὶ ἐπιθεὶς ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας
εἶπεν, Σαοὺλ ἀδελφέ, ὁ κύριος ἀπέσταλκέν με, Ἰησοῦς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τῇ
ὁδῷ ᾗ ἤρχου, ὅπως ἀναβλέψῃς καὶ πλησθῇς πνεύματος ἁγίου. 18 καὶ εὐθέως
ἀπέπεσαν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ ὡσεὶ λεπίδες, καὶ ἀνέβλεψεν, καὶ
ἀναστὰς ἐβαπτίσθη, 19 καὶ λαβὼν τροφὴν ἐνίσχυσεν.

Ἐγένετο δὲ μετὰ τῶν ἐν Δαμασκῷ μαθητῶν ἡμέρας τινὰς 20 καὶ εὐθέως
ἐν ταῖς συναγωγαῖς ἐκήρυσσεν τὸν Ἰησοῦν, ὅτι οὗτος ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ
θεοῦ. 21 ἐξίσταντο δὲ πάντες οἱ ἀκούοντες καὶ ἔλεγον, Οὐκ οὗτός ἐστιν ὁ
πορθήσας ἐν Ἰερουσαλὴμ τοὺς ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομα τοῦτο, καὶ ὧδε εἰς
τοῦτο ἐληλύθει ἵνα δεδεμένους αὐτοὺς ἀγάγῃ ἐπὶ τοὺς ἀρχιερεῖς; 22 Σαοὺλ
δὲ μᾶλλον ἐνεδυναμοῦτο καὶ συνέχυννεν Ἰουδαίους τοὺς κατοικοῦντας ἐν
Δαμασκῷ συμβιβάζων ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστός.

23 Ὡς δὲ ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναί, συνεβουλεύσαντο οἱ Ἰουδαῖοι ἀνελεῖν
αὐτόν· 24 ἐγνώσθη δὲ τῷ Σαοὺλ ἡ ἐπιβουλὴ αὐτῶν. παρετηροῦντο δὲ καὶ
τὰς πύλας ἡμέρας τε καὶ νυκτὸς ὅπως αὐτὸν ἀνέλωσιν· 25 λαβόντες δὲ οἱ
μαθηταὶ αὐτοῦ νυκτὸς διὰ τοῦ τείχους καθῆκαν αὐτὸν χαλάσαντες ἐν σπυρίδι.

26 Παραγενόμενος δὲ εἰς Ἰερουσαλὴμ ἐπείραζεν κολλᾶσθαι τοῖς μαθηταῖς·
καὶ πάντες ἐφοβοῦντο αὐτόν, μὴ πιστεύοντες ὅτι ἐστὶν μαθητής. 27 Βαρνα-
βᾶς δὲ ἐπιλαβόμενος αὐτὸν ἤγαγεν πρὸς τοὺς ἀποστόλους καὶ διηγήσατο
αὐτοῖς πῶς ἐν τῇ ὁδῷ εἶδεν τὸν κύριον καὶ ὅτι ἐλάλησεν αὐτῷ, καὶ πῶς ἐν
Δαμασκῷ ἐπαρρησιάσατο ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ. 28 καὶ ἦν μετ' αὐτῶν εἰσπο-
ρευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος εἰς Ἰερουσαλὴμ 29 παρρησιαζόμενος ἐν τῷ
ὀνόματι τοῦ κυρίου· ἐλάλει τε καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς· οἱ δὲ
ἐπεχείρουν ἀνελεῖν αὐτόν. 30 ἐπιγνόντες δὲ οἱ ἀδελφοὶ κατήγαγον αὐτὸν εἰς
Καισάρειαν καὶ ἐξαπέστειλαν αὐτὸν εἰς Ταρσόν.

31 Ἡ μὲν οὖν ἐκκλησία καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας καὶ Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας
εἶχεν εἰρήνην οἰκοδομουμένη καὶ πορευομένη τῷ φόβῳ τοῦ κυρίου καὶ τῇ
παρακλήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπληθύνετο.

32 Ἐγένετο δὲ Πέτρον διερχόμενον διὰ πάντων κατελθεῖν καὶ πρὸς τοὺς
ἁγίους τοὺς κατοικοῦντας Λύδδα. 33 εὗρεν δὲ ἐκεῖ ἄνθρωπόν τινα ὀνόματι
Αἰνέαν ἐξ ἐτῶν ὀκτὼ κατακείμενον ἐπὶ κραβάττου, ὃς ἦν παραλελυμένος.
34 καὶ εἶπεν αὐτῷ Πέτρος, Αἰνέα, ἰᾶταί σε Ἰησοῦς Χριστός· ἀνάστηθι καὶ
στρῶσον σεαυτῷ. καὶ εὐθέως ἀνέστη. 35 καὶ εἶδαν αὐτὸν πάντες οἱ κατοι-
κοῦντες Λύδδα καὶ τὸν Σαρωνᾶ, οἵτινες ἐπέστρεψαν ἐπὶ τὸν κύριον.

36 Ἐν Ἰόππῃ δέ τις ἦν μαθήτρια ὀνόματι Ταβιθά, ἣ διερμηνευομένη λέγεται
Δορκάς· αὕτη ἦν πλήρης ἔργων ἀγαθῶν καὶ ἐλεημοσυνῶν ὧν ἐποίει. 37 ἐγένετο
δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἀσθενήσασαν αὐτὴν ἀποθανεῖν· λούσαντες δὲ
ἔθηκαν αὐτὴν ἐν ὑπερῴῳ. 38 ἐγγὺς δὲ οὔσης Λύδδας τῇ Ἰόππῃ οἱ μαθηταὶ
ἀκούσαντες ὅτι Πέτρος ἐστὶν ἐν αὐτῇ ἀπέστειλαν δύο ἄνδρας πρὸς αὐτὸν
παρακαλοῦντες, Μὴ ὀκνήσῃς διελθεῖν ἕως ἡμῶν. 39 ἀναστὰς δὲ Πέτρος
συνῆλθεν αὐτοῖς· ὃν παραγενόμενον ἀνήγαγον εἰς τὸ ὑπερῷον, καὶ παρέστησαν
αὐτῷ πᾶσαι αἱ χῆραι κλαίουσαι καὶ ἐπιδεικνύμεναι χιτῶνας καὶ ἱμάτια ὅσα
ἐποίει μετ' αὐτῶν ἡ Δορκάς. 40 ἐκβαλὼν δὲ ἔξω πάντας ὁ Πέτρος καὶ θεὶς
τὰ γόνατα προσηύξατο, καὶ ἐπιστρέψας τῷ σώματι εἶπεν, Ταβιθά, ἀνάστηθι.
ἡ δὲ ἤνοιξεν τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῆς, καὶ ἰδοῦσα τὸν Πέτρον ἀνεκάθισεν.
41 δοὺς δὲ αὐτῇ χεῖρα ἀνέστησεν αὐτήν· καὶ φωνήσας τοὺς ἁγίους καὶ τὰς
χήρας παρέστησεν αὐτὴν ζῶσαν. 42 γνωστὸν δὲ ἐγένετο καθ' ὅλης τῆς Ἰόππης,
καὶ ἐπίστευσαν πολλοὶ ἐπὶ τὸν κύριον. 43 ἐγένετο δὲ ἡμέρας ἱκανὰς μεῖναι
ἐν Ἰόππῃ παρά τινι Σίμωνι βυρσεῖ.

10 Ἀνὴρ δέ τις ἦν ἐν Καισαρείᾳ ὀνόματι Κορνήλιος, ἑκατοντάρχης ἐκ
σπείρης τῆς καλουμένης Ἰταλικῆς, 2 εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν θεὸν
σὺν παντὶ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, ποιῶν τε ἐλεημοσύνας πολλὰς τῷ λαῷ καὶ δεόμενος
τοῦ θεοῦ διὰ παντός, 3 εἶδεν ἐν ὁράματι φανερῶς ὡσεὶ περὶ ὥραν ἐνάτην τῆς
ἡμέρας ἄγγελον τοῦ θεοῦ εἰσελθόντα πρὸς αὐτὸν καὶ εἰπόντα αὐτῷ, Κορνήλιε.
4 ὁ δὲ ἀτενίσας αὐτῷ καὶ ἔμφοβος γενόμενος εἶπεν, Τί ἐστιν, κύριε; εἶπεν δὲ
αὐτῷ, Αἱ προσευχαί σου καὶ αἱ ἐλεημοσύναι σου ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον
ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ. 5 καὶ νῦν πέμψον ἄνδρας εἰς Ἰόππην καὶ μετάπεμψαι
Σίμωνά τινα ὃς ἐπικαλεῖται Πέτρος· 6 οὗτος ξενίζεται παρά τινι Σίμωνι βυρσεῖ,
οὗ ἐστὶν οἰκία παρὰ θάλασσαν. 7 ὡς δὲ ἀπῆλθεν ὁ ἄγγελος ὁ λαλῶν τῷ
Κορνηλίῳ, φωνήσας δύο τῶν οἰκετῶν καὶ στρατιώτην εὐσεβῆ τῶν προσκαρ-
τερούντων αὐτῷ 8 καὶ ἐξηγησάμενος ἅπαντα ὑμῖν ἀπέστειλεν αὐτοὺς εἰς τὴν
Ἰόππην. 9 Τῇ δὲ ἐπαύριον ὁδοιπορούντων ἐκείνων καὶ τῇ πόλει ἐγγιζόντων
ἀνέβη Πέτρος ἐπὶ τὸ δῶμα προσεύξασθαι περὶ ὥραν ἕκτην. 10 ἐγένετο δὲ
προσπεινῆσαι καὶ ἤθελεν γεύσασθαι· παρασκευαζόντων δὲ ἔπεσεν ἐπ' αὐτὸν
ἔκστασις 11 καὶ θεωρεῖ τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον καὶ καταβαῖνόν τι σκεῦος
ὡς ὀθόνην μεγάλην τέσσαρσιν ἀρχαῖς καθιεμένην ἐπὶ τῆς γῆς, 12 ἐν ᾧ ὑπῆρχεν
πάντα τὰ τετράποδα καὶ ἑρπετὰ τῆς γῆς καὶ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. 13 καὶ
ἐγένετο φωνὴ πρὸς αὐτόν, Ἀναστάς, Πέτρε, θῦσον καὶ φάγε. 14 ὁ δὲ Πέτρος
εἶπεν, Μηδαμῶς, κύριε, ὅτι οὐδέποτε ἔφαγον πᾶν κοινὸν καὶ ἀκάθαρτον.
15 καὶ φωνὴ πάλιν ἐκ δευτέρου πρὸς αὐτόν, Ἃ ὁ θεὸς ἐκαθάρισεν σὺ μὴ κοίνου.
16 τοῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ τρίς, καὶ εὐθὺς ἀνελήμφθη τὸ σκεῦος εἰς τὸν οὐρανόν.
17 Ὡς δὲ ἐν ἑαυτῷ διηπόρει ὁ Πέτρος τί ἂν εἴη τὸ ὅραμα ὃ εἶδεν, ἰδοὺ οἱ
ἄνδρες οἱ ἀπεσταλμένοι ὑπὸ τοῦ Κορνηλίου διερωτήσαντες διὰ τοῦ πυλῶνος
18 ἐπέβησαν καὶ φωνήσαντες ἐπυνθάνοντο εἰ Σίμων ὁ ἐπικαλούμενος Πέτρος
ἐνταῦθα ξενίζεται. 19 τοῦ δὲ Πέτρου διενθυμουμένου περὶ τοῦ ὁράματος εἶπεν
τὸ πνεῦμα αὐτῷ, Ἰδοὺ ἄνδρες τρεῖς ζητοῦσίν σε· 20 ἀλλὰ ἀναστὰς κατάβηθι
καὶ πορεύου σὺν αὐτοῖς μηδὲν διακρινόμενος, ὅτι ἐγὼ ἀπέσταλκα αὐτούς.
21 καταβὰς δὲ Πέτρος πρὸς τοὺς ἄνδρας εἶπεν, Ἰδοὺ ἐγώ εἰμι ὃν ζητεῖτε·
τίνος ἕνεκα πάρεστε; 22 οἱ δὲ εἶπαν, Κορνήλιος ἑκατοντάρχης, ἀνὴρ δίκαιος
καὶ φοβούμενος τὸν θεὸν καὶ μαρτυρούμενος ὑπὸ ὅλου τοῦ ἔθνους τῶν Ἰουδαίων,
ἐχρηματίσθη ὑπὸ ἀγγέλου ἁγίου μεταπέμψασθαι σε εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ καὶ
ἀκοῦσαι ῥήματα παρὰ σοῦ. 23 εἰσκαλεσάμενος οὖν αὐτοὺς ἐξένισεν.

Τῇ δὲ ἐπαύριον ἀναστὰς ἐξῆλθεν σὺν αὐτοῖς, καί τινες τῶν ἀδελφῶν ἀπὸ
Ἰόππης συνῆλθον αὐτῷ. 24 τῇ δὲ ἐπαύριον εἰσῆλθεν εἰς Καισάρειαν. ὁ δὲ
Κορνήλιος ἦν προσδοκῶν αὐτοὺς συγκαλεσάμενος τοὺς συγγενεῖς αὐτοῦ καὶ
τοὺς ἀναγκαίους φίλους. 25 ὡς δὲ ἐγένετο τοῦ εἰσελθεῖν τὸν Πέτρον συναντήσας
αὐτῷ ὁ Κορνήλιος πεσὼν ἐπὶ τοὺς πόδας προσεκύνησεν. 26 ὁ δὲ Πέτρος
ἤγειρεν αὐτὸν λέγων, Ἀνάστηθι· καὶ αὐτὸς ἄνθρωπός εἰμι. 27 καὶ συνομιλῶν
αὐτῷ εἰσῆλθεν καὶ εὑρίσκει συνεληλυθότας πολλούς· 28 ἔφη τε πρὸς αὐτούς,
Ὑμεῖς ἐπίστασθε ὡς ἀθέμιτόν ἐστιν ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι
ἀλλοφύλῳ· κἀμοὶ ὁ θεὸς ἔδειξεν μηδένα κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον λέγειν ἄνθρωπον·
29 διὸ καὶ ἀναντιῤῥήτως ἦλθον μεταπεμφθείς. πυνθάνομαι οὖν τίνι λόγῳ
μετεπέμψασθέ με; 30 καὶ ὁ Κορνήλιος ἔφη, Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης
τῆς ὥρας ἤμην τὴν ἐνάτην προσευχόμενος ἐν τῷ οἴκῳ μου, καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ
ἔστη ἐνώπιόν μου ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ 31 καὶ φησίν, Κορνήλιε, εἰσηκούσθη σου
ἡ προσευχὴ καὶ αἱ ἐλεημοσύναι σου ἐμνήσθησαν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. 32 πέμψον
οὖν εἰς Ἰόππην καὶ μετακάλεσαι Σίμωνα ὃς ἐπικαλεῖται Πέτρος· οὗτος ξενίζεται
ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος βυρσέως παρὰ θάλασσαν· 33 ἐξαυτῆς οὖν ἔπεμψα πρός σε,
καὶ σὺ καλῶς ἐποίησας παραγενόμενος. νῦν οὖν πάντες ἡμεῖς ἐνώπιον τοῦ
θεοῦ πάρεσμεν ἀκοῦσαι πάντα τὰ προστεταγμένα σοι ὑπὸ τοῦ κυρίου.

34 Ἀνοίξας δὲ Πέτρος τὸ στόμα εἶπεν, Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι ὅτι
οὐκ ἔστιν προσωπολήμπτης ὁ θεός, 35 ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν
καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην δεκτὸς αὐτῷ ἐστιν. 36 τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλεν
τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὗτός ἐστιν
πάντων κύριος· 37 ὑμεῖς οἴδατε τὸ γενόμενον ῥῆμα καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας,
ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας μετὰ τὸ βάπτισμα ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάννης, 38 Ἰησοῦν
τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ ὡς ἔχρισεν αὐτὸν ὁ θεὸς πνεύματι ἁγίῳ καὶ δυνάμει, ὃς
διῆλθεν εὐεργετῶν καὶ ἰώμενος πάντας τοὺς καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ
διαβόλου, ὅτι ὁ θεὸς ἦν μετ' αὐτοῦ· 39 καὶ ἡμεῖς μάρτυρες πάντων ὧν ἐποίησεν
ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Ἰουδαίων καὶ Ἰερουσαλήμ, ὃν καὶ ἀνεῖλαν κρεμάσαντες ἐπὶ
ξύλου· 40 τοῦτον ὁ θεὸς ἤγειρεν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ
γενέσθαι, 41 οὐ παντὶ τῷ λαῷ ἀλλὰ μάρτυσιν τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ
τοῦ θεοῦ, ἡμῖν οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι
αὐτὸν ἐκ νεκρῶν· 42 καὶ παρήγγειλεν ἡμῖν κηρύξαι τῷ λαῷ καὶ διαμαρτύρασθαι
ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν. 43 τούτῳ
πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν διὰ τοῦ ὀνόματος
αὐτοῦ πάντα τὸν πιστεύοντα εἰς αὐτόν.

44 Ἔτι λαλοῦντος τοῦ Πέτρου τὰ ῥήματα ταῦτα ἐπέπεσεν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον
ἐπὶ πάντας τοὺς ἀκούοντας τὸν λόγον. 45 καὶ ἐξέστησαν οἱ ἐκ περιτομῆς πιστοὶ
ὅσοι συνῆλθαν τῷ Πέτρῳ, ὅτι καὶ ἐπὶ τὰ ἔθνη ἡ δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος
ἐκκέχυται· 46 ἤκουον γὰρ αὐτῶν λαλούντων γλώσσαις καὶ μεγαλυνόντων τὸν
θεόν. τότε ἀπεκρίθη Πέτρος, 47 Μήτι τὸ ὕδωρ δύναται κωλῦσαι τοῦ μὴ βαπτισθῆναι
τούτους οἵτινες τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔλαβον ὡς καὶ ἡμεῖς; 48 προσέταξεν τε
αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ βαπτισθῆναι. τότε ἠρώτησαν αὐτὸν
ἐπιμεῖναι ἡμέρας τινάς.

prout statutum est a Sixto V. *const.* incipit *sacrosancta edita* 18. *Januar.* 1589. 2. non virgata, vel partita, h. e. diversos colores, aut flores panno intextos, vel per artem superinductos habens, ut statuitur *c. clerici* 15. *h. tit.* et cum glossa, et aliis explicat *ibid.* Barb. 3. color ejusdem non sit rubeus, viridis, aut violaceus; quamvis enim hic posterior olim quibuscunque clericis in usu fuerit, ut notat Baronius *ad annum Christi* 393. *n.* 48. nunc tamen communis ecclesiae usus obtinuit, ut colore violaceo episcopis relicto, ceteri clerici utantur fusco, seu nigro. *Excipiuntur* quidam regulares, qui colore utuntur praescripto a sua regula, et s. r. e. cardinales, quibus Innocentius IV. in Lugdunensi concilio anno 1240. rubri galeri, et purpurae usum concessit, ut testis est Piasecius *prax. episc. p.* 2. *c.* 3. *art.* 2. *n.* 29. 4. clerici non gerant fibulas, aut corrigias auri, vel argenti ornatum habentes: item non utantur manicis, et sotularibus consutitiis, fraenis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis; *c. clerici* 15. *h. tit.* 5. annulos in digitis gestare non debent, nisi sint episcopi, vel in ecclesiastici officii dignitate constituti; Abb. *in c. clerici cit. in addit. lit. E.*

35

Extendunt nonnulli exceptionem istam etiam ad doctores clericos, et fundantur, quia annulus unum est ex insignibus, quibus inaugurantur doctores, dum creantur: et confirmatur ex *Clem.* 2. *de magistr.* ubi doctoratus, vel magisterium honor, adeoque dignitas dicitur. Ego extensionem istam limito ad illos, qui sunt professores scientiarum in academiis, quibus jurisdictio, vel superioritas aliqua in studiosos competit; de ceteris autem puto probabilius negandum cum Laym. *in c.* 15. *cit. n.* 4. Pirh. *hic n.* 18. Schamb. *n.* 10. *ad argumentum contrarium* dico, illud probare nimium; nam doctoribus in inauguratione sua etiam confertur torques aureus, quem tamen in publico gestare non possunt clerici ex recepta ecclesiae consuetudine. *Ad conf.* doctoratus in ecclesia honor, non dignitas est, nisi late; nam proprie loquendo dignitas ecclesiastica habet adjunctam aliquam superioritatem, aut jurisdictionem, vel saltem officium, seu administrationem rerum ecclesiasticarum, qualem non habet doctor.

36.

Dub. 2. quibus casibus habitum, et tonsuram clericus licite, vel saltem impune non deferat? Resp. Hujusmodi casus complures sunt. 1. Si hoc una tantum vice contingat; quia ut poenas non delati habitus competentis jure latas incurrat clericus, requiritur, ut perseveranter non ferat, ita, ut publice, ac communiter existimetur laicus; Farin. *prax. crim. q.* 8. *n.* 68. Piasec. *art.* 2. *cit. n.* 30. Vall. *hic n.* 15. Zypaeus *n.* 7. Pirh. *n.* 19. Sannig. *c.* 3. *n.* 6.

2. Si habitum clericalem deferat, sed non tonsuram; quia in tali locus non foret poenae a jure statutae, quamvis aliter arbitrio judicis puniri possit; gloss. *in Clem.* 2. *V. et tonsuram hoc tit.*

3. Si ratione paupertatis habitum ordini suo congruentem gestare non possit; Engl. *n.* 9. *hic*, Pirh. *de for. compet. n.* 98. cum *cit.*

4. Si habitum clericalem domi suae, et in occulto non gestet; Ugolin. *de offic. episc. c.* 12. *n.* 3. Barb. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 40. *n.* 3. *et seq. et in Clem. cit. n.* 2.

37

5. Si eundem dimittat ob probabile periculum vel illum non deferat, quia est spoliatus ab hostibus, aut latronibus; gloss. *in Clem. cit. cas. cum cit.*

6. Si in itinere sit constitutus; tunc enim clerici portare vestes breviores possunt: imo etiam alias sufficit, quod pallium pertingat ad talos, tegat genua; Barb. *l. cit. n.* 30. *et* 37. Zyp. *n.* 7.

7. Ex justa causa ad fructum animarum majorem ferendum, aut scandalum vitandum possunt religiosi habitum suae religionis exuere, vel eundem aliis vestibus superinductis occultare; gloss. *in c.* 11. *h. tit. V. professi*, Abb. *ibid. n.* 1. Imol. *n.* 1. Joan. Andr. *n.* Barb. Vivian. Vvagnerck etc.

38

Dub. 3. an etiam clerici, prima tonsura, aut minoribus tantum initiati, habitum clericalem et deferre teneantur? Resp. cum distinctione: vel enim habent beneficium aliquod, vel non habent. *Si primum*, omnino tenentur, ut patet ex *Clem.* 2. *h. tit.* et Trid. *sess.* 14. *c.* 6. *de reform.* quod innovavit Sistus V. *in bulla* quae incipit *cum sacrosancta*, qua sancivit, omnes clericos beneficiatos, et pensionarios, etiamsi nullum jus in beneficio, sed tantum ad beneficium habeant, non deferentes habitum clericalem, ipso jure suis beneficiis privatos esse. *Excipitur*, si alicubi constans, et multi temporis sit, ut in minoribus constituti, qui canonicatus v. g. obtinuerunt, in quibus vel investiti adhuc non sunt, vel residentiam non fecerunt, nec fructus percipiunt, habitum clericalem non gestent, nam hi, licet honestius facerent, habitum clericalem deferendo, ob non receptam bullam memoratam excusari possunt, ut monet Engl. *hic n.* 8. *fin.* Konig *ibid. n.* 22.

Si secundum, absolute quidem ab habitum deferendum non obligantur, si tamen eundem non deferant, privilegio clericali non gaudent, prout de *privilegio fori* consentiunt omnes. De *canonis privilegio* est controversia. Etiam hoc ab ipsis amitti extimat Suar. *de censur. D.* 22. *s.* 1. *n.* Fill. *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 1. *n.* 298.

Laym. *l.* 1. *theol. tract.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 3. *vers. tertio.* Engl *hic n.* 9. unde juxta hos ille, qui percutit clericum minorem non incedentem clericaliter, excommunicationem canonis sedi apostolicae reservatam non incurret. *Rationem* dant quia privilegium canonis facilius amittitur, quam privilegium fori, cum hoc divini, illud autem ecclesiastici tantum juris sit.

39

Sed esto; non eodem jure utrumque privilegium sit introductum, quod multi verisimilius negant, canonis tamen privilegium hujusmodi clerico non adimi docent Navar. *l.* 5. *cons.* 24. *de privil. edit.* 2. Clar. §. *fin. q.* 36. *n.* 19. Garc. *de benef. p.* 2. *c.* 3. *n.* 5. *in fin.* Molin. *tract.* 3. *de just. D.* 34. *n.* 9. Gonzal. *in reg.* 8. *cancell. gloss.* 5. §. 5. *n.* 7. Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 7. *n.* 79. Konig. *hic n.* 23. Vviest. *ibid. n.* 54. et declaravit s. congr. card. teste Gonz. *c. cit.* Ratio est, quia neutro privilegio excidit ante Trid. istud autem ad praedictas conditiones solum retrinxit privilegium fori, ut proinde privilegium canonis videatur relictum sub dispositione juris antiqui; *arg. l. praecipimus* 32. *C. de appell.* Accedit, quia tridentinum, ubi privilegiis clericorum derogare intendit, id exprimit, ut abunde elucescit ex *sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* ubi expressit, clericos conjugatos nullis aliis clericorum privilegiis gaudere, praeterquam canonis, et fori, et his tantum, servatis quibusdam conditionibus.

Ad rationem oppositum sentientium dico, illationem a privilegio fori illegitimam esse; quia imprimis canonis privilegium ab eo diversum, istiusque privatio, tanquam odiosa, restringenda potius, quam extendenda est; *arg reg. odia* 15. *de R. J. in* 6 Denique privilegium canonis magis necessarium est, quam fori, cum clericalis status magis inhonoretur clericum percutiendo, quam eum conveniendo coram judice saeculari. Denique privilegio canonis nulli praejudicatur, sicut privilegio fori; hoc enim aliquo modo derogat potestati curiae saecularis.

40

Dub. 4. an clericus in minoribus, habitum cum tonsura clericali semel dimissum reassumens, recuperet privilegium fori? *Negativam* tuetur Avendanno *l.* 1. *de exeq. mandat. reg. cap.* 22. *n.* 15. Fundatur, quia illorum dimissio, si stabilis sit, et nulla necessitate, vel alia causa urgente facta, est quaedam renuntiatio privilegii clericalis, sed hac semel facta, non est amplius locus poenitentiae, cum *quod semel placuit, amplius displicere non possit*, juxta *reg. in* 6. ergo etc.

Sed defendenda est affirmativa sententia, quam etiam tenent Clar. §. *fin. q.* 36. *n.* 15. Farin. *prax. crim. q.* 8. *n.* 66. Pirh. *de for. com-*

42

Dub. 6. an per diuturnam consuetudinem induci possit, ut subdiaconi v. g. clericaliter non incedant? Resp. posse; nam per diuturnum non usum potest abrogari lex positiva humana, si non usus in se implicite contineat quasi actum contrarium dispositioni legis, ut tradit Abb. *in c. Joannes 7. de cleric. conjug. n. 9.* sed non deferre habitum, et tonsuram clericalem est quasi actus contrarius legi, seu canoni praecipienti delationem; quia juxta *reg. 121. ff.* is, *qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quae non facit*: proinde accedente bona fide, si nim. sit communis persuasio in populo subdiaconos in tali loco non esse obligatos ad deferendum habitum, et tonsuram clericalem, potest induci via praescriptionis consuetudo contraria.

Veruntamen, ut bene notat Pirh. *tit. de cler. conjug. n. 24. in fin.* ordinarius loci potest per novum statutum, quod juri communi canonico conforme sit, v. g. in synodo dioecesana conditum, talem consuetudinem iterum abrogare, et sic pristinam legem, vel canonem reducere in observantiam.

43

Dub. 7. an clericus arma gestans, quae lege, vel statuto saeculari simpliciter, vel certo tempore, aut loco prohibita sunt, spoliari iisdem a ministris curiae saecularis possit? Affirmat Clar. §. *fin. q. 36. n. 26.* et Covar. *l. 2. var. c. 20. n. 18.* Rationem dant, quia ejusmodi statutum concernit utilitatem publicam, et ss. canonibus non adversatur, ut proinde etiam clerici eodem obligentur. Sed esto, eosdem obligari, coactio tamen ad ejus observantiam, et coercitio clerici transgressoris solius ecclesiasticae, non saecularis est potestatis, quod clerici a jurisdictione saeculari utroque jure exempti sint; *cap. nullus 2. c. si diligenti 12. de for. compet. auth. statuimus C. de episc. et cleric.*

Hinc dicendum, ejusmodi clericum, nisi in flagranti crimine, aut istius machinatione deprehendatur, aliaque via non supersit, qua injuria, vel damnum ab eo inferendum impediri possit, armis, etiam specialiter prohibitis, jussu saecularis magistratus spoliari non posse. Ita Ugolin. *de pot. episc. c. 13. §. 12. n. 3.* Guazzin. *p. 1. defens. 20. c. 9. n. 11.* Marta *de jurisdict. p. 4. cent. 1. cas. 7. per totum*, Vasq. *in 1. 2. D. 167. c. 4. n. 31.* Barbos. *in c. clerici 2. h. tit. n. 6.* Gonzal. *ibid. n. 7.* Pignatell. *tom. 5. consult. 5. n. 70. et* plurimi alii ab hoc *cit. Excipitur*, nisi a praelatis propriis ter moniti non paruerint; tunc enim, cum privilegium fori ipso facto amiserint, a judice saeculari juste iisdem auferentur arma, ut notat Gonzal. *loc. cit.*

44

Quaeritur 3. quae sit obligatio clericorum in ordine ad divina officia ? Resp. De his ss. canones statuunt , ut illa sedulo, industrie, eaque , quae illorum dignitatem , ac numinis , cui per illa inservitur , majestatem decet , gravitate obeant.

Quod ut eo certius obtineatur , statutum est , 1. *can. praeter hoc* 6. *dist.* 32. *can. necessaria* 3. *caus.* 12. *q.* 1. *can. in omnibus* 34. *de consecr. dist.* 5. *c. quoniam* 9. *h. tit.* ut in communi , et in una domo vivant , in uno dormitorio dormiant , et in refectorio reficiantur : unde etiam dicebantur canonici , seu regulares ; quia sub una regula vivebant. Sed ab hac vivendi ratione in capitulis tam cathedralibus , quam collegiatis , sciente , et tolerante pontifice, per contrariam consuetudinem jam pridem recessum est , ut notat gloss. *in c. quoniam cit. V. in una domo* , Host. *in summ. hic n.* 1. Zoes. *n.* 13. Pirh. *n.* 11.

2. *C. ut laici* 1. *h. tit.* constitutum est , ne clerici, dum sacra faciunt , permittant populum intra cancellos ad altare , vel extra in choro consistere , ut sic liberius sacra officia exerceant , et intendere divinis valeant ; gloss. *in c.* 1. *cit. V. ut laici,* Abb. *ibid. n.* 1. Imol. *n.* 1. Laym. *n.* 2. Barbos. *n.* 1. *et seqq.* Vall. *n.* 18. *hic* Pirh. *n* 12. Addidi, *dum sacra faciunt* ; nam extra celebrationem illorum laici non prohibentur orandi causa chorum ingredi : idem iisdem licet sub missae sacrificio communicandi causa, vel ad altare offerendi, Laym. *l. c.* imo propter consuetudinem cohonestari potest, ut laici, praesertim viri , tempore sacrorum officiorum in choro sint, ita tamen , ut clericos psallentes confabulatione, aut risu non interturbent.

3. *C. ut quisque* 3. *h. t.* ordinatur, ut quilibet parochus socium habeat clericum, qui cum ipso cantet epistolam, vel lectionem legat, doctrinam christianam juventuti, et rudi populo tradat etc. intellige, si parochus habeat sufficientes redditus, et ipse curae parochiali non sufficiat.

45

Dub. 1. quae negocia, officia, et exercitia sint prohibita *clericis*? Resp. De his regula generalis est, ne clerici officia, munera, et commercia, praesertim quae statui clericali adversantur, vel ecclesiasticis functionibus impedimento sunt, exerceant, prout statuitur *c. clerici* 15. *h. t. et toto tit. ne cleric. vel monach. etc.* alias post monitionem tertiam quoad bona sua privilegium clericale perdant; *c. fin. h. t.*

In specie vero prohibetur clericis 1. ne mimis, histrionibus, et joculatoribus intendant; *c. clerici cit.* imo clerici, qui se goliardos , buffones, joculatores, vulgo *Gauchler, schalchs Narren Meister sin-*

ger faciunt, si artem hujusmodi ignominiosam per annum, vel postquam ter moniti sunt, breviore tempore exerceant, infames fiunt, omnique etiam canonis privilegio ipso jure privantur; *c. un. h. t. in* 6. quod plerique extendunt etiam ad clericos in sacris constitutos; quia littera indistincte loquitur.

2. Praecipitur clericis, ut carnificum, i. e.. lanionum, et tabernariorum muneribus abstineant, ut habetur *clem. dioeces.* 1. *h. t.* ubi publice, et personaliter officia haec exercentes, si nominatim, seu propriis nominibus expressis, et tertio moniti ab iis non desistant, aut illa resumant, conjugati quidem utrumque privilegium clericale canonis nempe, et fori; non conjugati vero solum quoad res suas amittunt, nisi incedant ut laici; ita enim incedentes, quamdiu praemissis institerint, privilegio clericali excidunt etiam quoad personas suas, possuntque coram magistratu seculari conveniri, et percutiens illos excommunicationem non incurrit ex decreto concilii Viennensis *in clem.* 1. *cit.* relato.

46

3. Vetatur clericis lusus alearum, et taxillorum, ut habetur *cap. clerici* 15. *h. t.* et jam ante statutum fuit *can.* 41. *Apostolorum.* Intelligitur autem eo nomine omnis lusus varietate fortunae consistens, quippe casu potius, quam arte dirigitur, ut notat Imol. *in cap.* 15. *cit. n.* 4. Vall. *n.* 10. Zypaeus *n.* 2. Pirh. *n.* 25. Hinc ille, qui magis arte, quam fortuna regitur, ut est lusus conorum, latrunculorum etc. clericis non prohibetur, sicut nec omnis ille, qui consistit in ingenio, aut virtute corporis; Henric. Boich. *in c.* 15. *n.* 3. Barbos. *ibid. n.* 7. Konig. *n.* 15. Porro transgressores hujus praecepti, ut *cit.* DD. cum aliis notant, delinquunt mortaliter: intellige, si frequenter, et publice, ac cum scandalo populi ludant; nam si raro, moderate, ob recreationem, et sine scandalo ejusmodi ludos exerceant, licite faciunt, nisi lex dioecesana illos prohibeat; Laym. *l.* 3. *theol. tr.* 4. *cap.* 21. *n.* 1. *et* 2 Engl. *hic n.* 12. Schamb. *n.* 13.

4. Prohibentur vanae, et lascivae musicae in officiis divinis; *extr. un. int. comm. h. t.* item exhibitio ludorum theatralium, et scenicorum in templis, si profani, et multo magis, si inhonesti sint; *cap. cum decorem* 12. *h. t.* Ludi tamen honesti, et maxime pii, qui ad devotionem excitant, hoc textu non prohibentur etiam in templis exhiberi ut not. gloss. *in cap. cit.* V. *monstra larvarum.* Abb. *ib. n.* 1. *in fin.* Imol. *n.* 6. Gonz. *n.* 9. Barb. *n.* 6. Laym. *n.* 1. Vvagn. *in exeg. ibid.* Pirh. *hic n.* 26. Vvies. *n.* 58.

47

Dub. 2. an clericus in sacris constitutus, si insuper habita ecclesiae monitione, joculatorem, lanionem etc. agere pergat, et factus

sit incorrigibilis, fori privilegium amittat ipso jure. Affirmant Clar. §. *fin. quaes.* 36. *n.* 34. Scaccia *l.* 1. *de judic. c.* 11. *n.* 55. *et* 56. Farin. *prax. crim. q.* 8. *n.* 51. Negant Felin. *in c. cum non ab humine* 10. *de judic. n.* 10. compluresque alii, et probari hoc videtur ex *c. cit.* ubi clerici omnino incorrigibiles magistratui saeculari traduntur (utique per sententiam) non vero ab hoc, quasi ipso jure privati essent, statim apprehenduntur.

Tenenda est via media, et distinguendum inter sententiam declaratoriam incorrigibilitatis, et condemnatoriam. *Prima necessaria* est, ut in hujusmodi clericum, tanquam jurisdictioni suae subjectum curia saecularis possit procedere; *arg. c. cum secundum* 19. *de haeret. in* 6. non autem opus est sententia condemnatoria, ut recte Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 6. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 32. *not.* 4. Scham. *n.* 15. Vvies. *n.* 60. et colligitur ex *Clem.* 1. *h. t.* ubi asseritur eos privilegium clericale eo ipso amittere: quae verba privationem ipso jure inflictam denotant; ubi autem ipso jure inflicta est pœna, non est opus sententia condemnatoria, sed sufficit declaratoria commissi criminis: ergo etc.

§. III.

De probatione clericatus.

SUMMARIUM

48 *Qui clericum se esse asserit, illud debet probare.*

49 *Modi, quibus probari clericatus potest.*

50 *Quando dubium est de clericatu, id discutere debet solus judex ecclesiasticus.*

48

Quaeritur 1. an qui se clericum asserit, id probare debeat? Resp. affirmative. Sumitur ex *can.* p*resbyteri* 2. *dist.* 68. *can. legum* 9. *caus.* 2. *qu.* 1. tradit Decius *in cap.* 17. *de rescr. n.* 13. Ripa *in cap.* 2. *de judic. n.* 4. Decian. *tr. crim. l.* 4. *cap.* 9. *n.* 117. Masc. *de prob. conc.* 302. *n.* 13. Gomez *in reg. de annal. posses. q.* 58. Kon. *hic n.* 10. Vvies. *n.* 7. Ratio clara est, quia clericatus homini neque communiter inest, cum omnes nascantur laici, et tales esse plerique perseverent; qualitas autem, quae neque a natura, neque communiter inest, non praesumitur, sed ab allegante probanda est; ergo etc.

49

Quaeritur 2. quomodo probandus sit clericatus? Resp. varios istum probandi modos existere, ut videre est apud Masc. *de prob. concl.* 302. *et quatuor seq.* Garc. *p.* 7. *de benef. c.* 1. *a n.* 138. Sperel. *dec.* 17. *a n.* 21. Kon. *n.* 10. *hic* Vvies. *a n.* 8.

Et 1. quidem per litteras formatas, ut vocant, sive authenticas episcopi, testificantis ejusmodi clerico collatam primam tonsuram, vel ordinem. 2. per librum ordinatorum reservatum in archivio episcopali, cum ex eo, tanquam ex originali litterae testimoniales susceptorum ordinum transumantur. 3. per attestationem notarii, seu instrumentum publicum de ipso clericatu confectum. 4. ex confessione partis adversae, praesertim quoad praejudicium ipsius confitentis. 5. testimonio unius etiam testis omni exceptione majoris, attestantis se ordinationis actui interfuisse: quod intelligendum de probatione extrajudiciali, non praejudicante tertio, e. g. licentiam impetrandam pro celebranda missa; in judicio enim, in quo lis est super beneficio e. g. non admittitur unius testimonium, sed clericatus per duos saltem testes, vel aliter probari debet, ut notat P. Vvies. *hic n.* 8. 6. ex diuturna possessione, ut si per testes, vel aliunde constaret, aliquem longo tempore pro clerico habitum, vel in beneficio missas celebrando, evangelium vel epistolam solemniter cantando inserviisse; nam haec probatio, licet non sufficiat ad beneficium ecclesiasticum obtinendum, tamen sufficit ad eum in obtento manutenendum; Honor. *hic n.* 2. 7. per famam, seu communem existimationem, vel solam in casibus, ubi leviores probationes sufficiunt, vel adminiculatam, ubi requiritur probatio plenior, uti fit, quando illegitimus dicit se esse clericum; nam iste clericum se probare debet per litteras dispensatorias in defectu natalium, neque sufficit communis reputatio, aut possessio habitus clericalis, cum non praesumantur illegitimo collati ordines, nisi antea fuerit dispensatum; Honor. *l. cit.* 8. ex delatione habitus et tonsurae clericalis, praesertim diu continuata; quia ista quasi possessionem, et praesumptionem clericatus indicat; et talis quis esse praesumitur, qualis exteriori habitu reperitur, donec contrarium probatum fuerit. Sed hoc iterum procedit solum, quando agitur de modico praejudicio; nam quando de magno, ut cum beneficium tali est conferendum, accedere debent alia adminicula; Masc. *concl.* 302. *cit. n.* 1. 9. ex aliis argumentis, et indiciis, seu conjecturis, et aliquando etiam solo juramento asserentis, quando sc. de nullius praejudicio agitur, nec alia probatio suppetit; Rota *p.* 7. *dec.* 159. *n.* 11. Engl. *de cler. pereg. n.* 2. Konig *hic n.* 10. *in fin.*

Porro quantum singula ex memoratis efficaciae ad probandum habeant, judicis erit, considerata qualitate, et circumstantiis, in quibus probatio petitur, arbitrari.

Quaeritur 3. cuinam judici competat clericatus discussio, si dubitetur num is, qui, e. g. ob delictum ab executoribus judicis saecularis captus est, sit clericus? Videtur hoc casu de clericatu cognoscere posse judicem saecularem. 1. quia ita habet consuetudo, et praxis plerorumque orbis christiani tribunalium, prout de Gallia attestatur Guido Papae *decis.* 138. de Hispania Covar. *pract. c.* 33. *n.* 1. de regno neapolitano, et Sicilia Carol. de Grassis *de effect. clericat.* 1. *n.* 1258. de ducatu mediolanensi Clar. §. *fin. q.* 36. *n.* 21. de aliis alii: 2. quia quilibet judex cognoscit, an sua sit jurisdictio; *l. si quis ex aliena* 5. *ff. de judic.* 3. quia quaestio, an quis sit clericus, est quaestio facti, quae nihil spiritualitatis continet, et coram judice etiam laico tractari potest.

Sed clara in contrarium videtur esse decisio *c. si judex* 12. *de sent. excomm. in* 6. ubi Bonifacius VIII. apertissimis verbis statuit, discussionem clericatus, si malefactor, captus a judice laico, se clericum asserat, ad solum judicem ecclesiasticum pertinere, vocato tamen judice saeculari, vel alio, cujus interest: et additur ratio; *quia de ecclesiastico, et spirituali* nempe tali casu mixtim agitur de quaestione facti, et juris, neque separari ab ea potest ipse clericatus, dum principaliter ejus titulus controvertitur. Ita Clar. §. *fin. q.* 86. *n.* 14. Covar. *pract. qq. c.* 33. *n.* 1. Stephan. Gratian. *discept. for. c.* 190. *n.* 13. *et seqq.* Zerol. *prax. episc. p.* 1. *V. clericus n.* 3. Carol. de Grassis *l. cit. n.* 1257. Petr. Barb. *in l. Titia* 35. *ff. solut. matr. n.* 29. Aug. Barb. *in c. si judex cit. n.* 2. Oliva *for. eccl. p.* 1. *q.* 26. *n.* 24. Pirh. *tit. de for. compet. n.* 106. Vviest. *ib. n.* 182. Konig. *hic n.* 11. Intelligi autem hoc debet solum de cognitione judiciali; nam summaria aliqua, et perfunctoria cognitio, ut judex sciat, an reus sit in possessione clericatus, saeculari judici permissa est, ut recte Petr. Barbos. *l. cit. n.* 29. Oliva *n.* 25. Vviest. *n.* 183. et colligitur ex *c. si judex cit.* §. *et si notorium*, ubi papa, dum dicit a curia saeculari statim remittendum, si notorium fuerit, quod idem malefactor sit clericus, non obscure concedit judici saeculari aliquam saltem summariam cognitionem, et informationem super notorietate, fama, et communi reputatione.

Neque obstant argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. quod in regnis praedictis observatur, specialibus privilegiis summorum pont. imputandum est; nam absque ejusmodi privilegio consuetudo repugnans ecclesiasticae immunitati est corruptela, ut saepius decisum esse a S. congreg. card. affirmat Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 44. *n.* 1. *Ad* 2. id locum non habet, quando opponitur exceptio con-

cernens aliquid spirituale, ut hic fit; nam eo casu quiescit potestas saecularis, et ad judicem ecclesiasticum devolvitur articulus de dubio clericatus. *Ad* 3. de quaestione facti in re spirituali cognoscere judex saecularis tum solum potest, quando illa nihil habet admixtum juris; nam si admixta sit juris quaestio, utriusque cognitio ad judicem ecclesiasticum remitti debet, ne causarum continentia dividatur. Videatur *lib.* 2. *tit.* 10. *a n.* 12.

TITULUS II.

De cohabitatione clericorum, et mulierum.

Honestati vitae, cui studere clerici debent, plurimum repugnat incontinentia, ut *tit. prior. n.* 15. vidimus. De hac eosdem reddere suspectos solet cohabitatio, et familiaritas cum mulieribus: hinc ut a lapsu, et a lapsus periculo, ac suspicione remotiores sint, merito titulus hic priori subjungitur.

§. I.

De cohabitatione clericorum cum mulieribus licita, et illicita.

SUMMARIUM

1 *Non licet clerico cohabitare cum mulieribus, praeterquam cum iis, de quibus suspicio incontinentiae nulla esse potest.*
2 *Etiamsi affines sint, nisi in primo, vel secundo gradu.*
3 *Consanguineas in* 1. *et* 2. *gradu secum habere potest etiam episcopus.*
4 *Si suspicio incontinentiae absit.*
5 *Clerici concubinarii non possunt cogi ad abjurandas concubinas.*
6 *Harum judex competens de jure communi est ecclesiasticus.*

1

Quaeritur 1. an, et quatenus clericis liceat, vel non liceat cohabitare cum mulieribus? Resp. Regula universalis est, prohibitam esse clericis cohabitationem in una domo cum mulieribus quibuscunque, de quibus incontinentiae suspicio esse potest; *can. interdixit* 16. *dist.* 32. *can. oportet* 23. *et seqq. dist.* 81. *cap. inhibendum, et cap. fin. hoc tit.* Trident. *sess.* 25. *cap.* 14. *de re-*

form. Ratio est, quia conversatio cum illis ad lapsum provocat, cum dicantur *exurere conscientiam viri secum habitantis*, ut loquitur S. Hieronymus relatus *can. hospitiolum* 17. *dist.* 32. *cit.*

Excipiuntur 1. personae in primo, vel secundo gradu consanguinitatis conjunctae, ut mater, avia, amita, matertera, soror, neptis, sive filia fratris, aut sororis; nam cum his, modo personas suspectas secum non teneant, cohabitare clericis licet, ut habetur *can. interdixit cit. can. cum omnibus* 27. *et can. foeminas* 31. *dist.* 81. *cap.* 1. *nobis* 9. *hoc tit.* ubi etiam ratio redditur; quia in his *naturale foedus* (i. e. conjunctio sanguinis) *nihil permittit saevi criminis suspicari*, cum incestuosam copulam natura abhorreat.

2. Permittitur clericis habitare in eadem domo cum iis, quae de hujusmodi conjunctarum mulierum familia sunt, ut sunt illarum famulae, et pedissequae; item cum uxoribus, quas filii eorum acceperunt jam ordinatis parentibus, sicut etiam cum filiabus, et uxoribus servorum; *can. cum omnibus cit.*

3. Denique non prohibentur in servitium suum assumere, et cohabitare etiam cum extraneis foeminis, si provectioris aetatis sint, honestae famae, et extra suspicionem incontinentiae; Alagona *in c.* 1. *hoc tit.* Vall. *eod. n.* 1. Zoes. *n.* 2. Pirh. *n.* 3. Konig *n.* 4. Vviest. *n.* 1. et satis indicatur *can. interdixit cit.* ibi, *aut etiam eas idoneas personas, quae fugiant suspiciones;* quod confirmat communis Germaniae praxis, et plurium dioecesium statuta, per quae assumptio talium in famulatum clericis permittitur, modo non sit 40. annis minor, et alias immunis ab incontinentiae suspicione.

§ 2

Quaeritur 2. an sicut cum consanguineis, ita etiam cum affinibus cohabitare clerici licite possint? Resp. non posse. Patet ex textibus *cit.* ubi dum clericis prohibetur cohabitatio cum mulieribus, nominatim excipiuntur consanguineae, non autem affines; et ratio est, quia constat majus esse foedus, seu conjunctionem naturalem inter consanguineos, quam affines, cum illi per se immediate conjuncti sint, isti per accidens tantum, sive mediantibus consanguineis conjungantur; Pirh. *hic n.* 4.

Excipiendae tamen sunt mulieres in primo gradu affinitatis conjunctae, v. g. noverca, nurus, aut uxor fratris defuncti; vel etiam in secundo gradu, si alter alteri reverentiam debeat, uti est uxor defuncti patrui, vel avunculi: his enim permittendum videtur, ut cohabitent, si aliunde nulla sit suspicio incontinentiae; tum quia in his videtur pugnare eadem ratio, quae consanguineis, quam ob causam in veteri lege *levit.* 18. etiam inter tales personas conjunctio carnalis prohibita fuit, tum quia *can. interdixit cit.* clericis

permittitur cohabitatio etiam cum aliis personis idoneis, si suspicio in illis nulla sit.

3

Quaeritur 3. an licentia cohabitandi personis conjunctis sanguine se extendat etiam ad episcopos, et alios similes praelatos saeculares ecclesiasticos? Negat gloss. *in can. legitur* 25. *V. mea dist.* 81. ubi ait, episcopum nullam mulierem ne quidem matrem, aut sororem secum habere posse. Consentit Imol. *in c.* 1. *hoc tit. n.* 5. et expresse habetur *auth. episcopo C. de episcopo et cler.* ubi episcopus, si mulierem secum habere probetur, jubetur ab episcopatu dejici.

Verum haec juris civilis dispositio, cum sit de materia ecclesiastica, curanda non est: sed attendendae sanctiones canonicae, in quibus cum nulla talis prohibitio reperiatur facta episcopis, et aliis similibus praelatis, ideo dicendum, etsi omnino honestius, et magis consultum sit, ut hujusmodi foeminas conjunctas, non intra domum episcopalem, sed in domo alia separata habeant, et alant, idque maxime propter alios clericos cum episcopo commorantes, casu tamen, quo suspicio incontinentiae, et scandali periculum abest, licite eosdem posse intra eandem domum, sed in conclavibus distinctis cohabitare matri, et aliis foeminis in primo, vel secundo gradu conjunctis cum ipsarum ancillis, atque pedissequis; Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. n* 2. Pirh. *hic n.* 5. Schamb. *n.* 2. nam et olim in antiqua ecclesia episcopi, et alii sacerdotes cum uxoribus suis, tanquam sororibus, in eadem domo, et in separatis cubiculorum mansionibus degebant, easque alebant, ut constat ex *can. episcopus* 6. junct. gloss. *V. sequestratio dist.* 77.

4

Quaeritur 4. quousque clericis cohabitatio cum mulieribus sibi conjunctis sit licita? Resp. non aliter esse licitam, quam si periculum incontinentiae, et ejusdem suspicio absit; nam si lubricae, et incontinentis vitae suspicionem, et scandali occasionem praebeant, etiam illarum cohabitatio, licet alias a ss. canonibus, permissa, clericis est prohibita, ut recte monent Abb. *in c.* 1. *hoc tit. n.* 1. Imol. *ibid. n.* 3. *et* 4. Vivian. *in ration. V. etiamsi sit mater*, Barbos. *n.* 4. Gonzal. *n.* 4. Val. *hic n.* 2. et constat ex *c. inhibendum* 1. *cit.* ubi etiam ratio datur; *quia instigante diabolo et in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earundem.*

Neque dicas, hoc modo nullum esse discrimen inter conjunctas sanguine, et extraneas; nam adhuc latum discrimen inter has, et illas interjicitur: consanguineae enim, tametsi juvenes sint, non sunt suspectae, ideoque cohabitare possunt clerico ordinarie, et per se loquendo, nisi per accidens adsint tales circumstantiae, et indi-

cia, ut locus sit suspicioni sive propter ipsasmet consanguineas, sive propter famulas, et socias, quae esse cum illis solent. Contra extraneae eo ipso solent esse suspectae, quia juvenes sunt, ideoque cohabitatio illarum prohibita est clericis jure canonico. Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. n.* 2. *et in cap.* 9. *eod. n.* 3. Pirh. *hic n.* 3. Konig. *n.* 3.

5

Quaeritur 5. utrum clerici concubinarii, in ss. ordinibus constituti, compelli possint non solum ad dimittendas concubinas, vel alias personas suspectas, sed etiam ad juramentum praestandum de iis non amplius recipiendis? *Rationem dubitandi* facit textus *can. ab isto* 9. *caus.* 35. *q.* 6. ubi clerici in sacris constituti uxores, cum quibus matrimonium sacrilege de facto contraxerunt, abjurare coguntur. 2. *c. ex litterarum* 2. *qui cleric. vel vovent.* ubi commendatur episcopi cenomanensis prudentia, quod fecerit subdiaconum, qui mulierem aliquam conjugem sibi copulavit, eandem abjurare. 3. *c. ad abolendam* 9. *de haeretic.* ubi abjuratio haeresis praecipitur, perjurii periculo non obstante.

Sed clara est decisio *c. clericos* 3. *hoc tit.* ubi Alexander III. ejusmodi clericos ad abjurationem concubinarum, sive earum dimissionem cum juramento de iis non amplius recipiendis compelli vetuit. Ratio est, quia juramentum est remedium subsidiarium quod adhiberi non solet, nisi deficientibus aliis mediis aeque commodis, et efficacibus ad propositum finem obtinendum. Talia autem non deficiunt; nam suspensione, excommunicatione, depositione, etc. ad has deserendas compelli possunt: quae proinde media, cum aeque commoda sint ad eos abstrahendos a scelere, merito pontifex *l. cit.* abjurationi praetulit ad vitandum periculum perjurii verisimiliter incurrendi, cum durum sit assueta relinquere, praesertim vitia carnis ob magnam istius fragilitatem.

Neque contrarium probatur ex textibus allatis in ratione dubitandi. *Ad* 1. *et* 2. dico matrimonium hujusmodi, sicut consensu temere est contractum, ita dissensu distrahendum *arg. c. omnis* 1. *de R. I.* nullo autem modo melius constare de dissensu interno potest, quam juramento delato, et praestito. *Ad* 3. etiam constare ecclesiae debet de deposita haeresi: unde non est paritas cum nostro casu.

6

Quaeritur 6. quis sit judex competens foeminarum, si delinquant cum clerico contra decorem ordinis clericalis? Resp. de jure communi subjiciuntur jurisdictioni judicis ecclesiastici ob sacrilegium, quod ipsae cum clerico peccando committunt. Abb. *in c.* 2. *h. tit. n.* 5. Imol. *ibid.* n. 3. Barb. *n.* 4. Honor. *hic n.* 3. Pirh. *n.* 6. Schamb. *n.* 3. Patetque ex universali doctrina; nam generaliter, si

plures simul delictum committant, omnes ab eodem judice puniendi sunt, ne continentia causarum dividatur juxta *l. nulli* 10. *C. de judic.* et si clericus delinquat cum laico, uterque reus coram judice ecclesiastico, velut digniore, sortitur forum ratione delicti, ut plures docent apud Menoch. *de arbitr. cas.* 371. *n.* 12. *et* 13.

Dixi, *de jure communi*; nam in praxi istud non observatur, cum passim judices saeculares contra mulieres suspectas, et concubinas delinquentes cum clericis procedere soleant, ut cum Menoch. *cit.* advertit Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 4. *n.* 10.

§. II.

De poenis clericorum cohabitantium foeminis.

SUMMARIUM

7 8 *Poenae clericorum concubinariorum.*
9 10 *Requisita, ut incurrantur.*
11 12 *Quinam istis tangantur?*
13 *Non tenentur fructus beneficiorum suorum restituere ante sententiam declaratoriam criminis.*
14 15 16 *Nec incurrunt suspensionem proprie dictam.*
17 18 *Quando vitari debeant in divinis officiis?*
19 *An fructuum nomine, quibus privantur, etiam intelligantur distributiones?*

7

Quaeritur 1. quae poenae statutae sint clericis, qui cohabitant cum mulieribus suspectis, aut omnino concubinarii sunt? Resp. Olim diversis coercebantur poenis, nec unus, idemque in iis infligendis semper servatus est ordo. Hodie circa eosdem observanda sunt potissimum decreta poenalia tridentini, ut patet ex *bulla Pii V. edita* 1566. ubi dioecesium ordinariis in virtute sanctae obedientiae praecipit, ut districte illa observari faciant. Porro ordo adversus eosdem procedendi describitur a memorata synodo; *sess.* 21. *c.* 6. *et sess.* 25. *c.* 14. *de reformat.* et est sequens.

1. Jubet eos moneri, et quidem monitione speciali in personam, ut notat Gallemart *ad c.* 14. *cit. n.* 2. unde non sufficit generalis per edictum, aut in synodo facta, licet alias haec trinae monitionis vim habeat.

2. Si ita moniti non abstinuerint, ipso facto privati sunt tertia parte fructuum, obventionum, et proventuum beneficiorum suorum

quorumcunque, et pensionum, quae fabricae ecclesiae, aut alteri pio loco pro arbitrio episcopi applicentur.

8

3. Si in delicto eodem cum eadem, vel alia foemina perseverantes, nec secundae monitioni paruerint, eo ipso amittunt fructus, et proventus omnes, praedictis locis applicandos: atque insuper a beneficiorum suorum administratione, quamdiu ordinario videbitur, suspendi debent.

4. Si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis versentur, jubentur beneficiis, pensionibus, et officiis ecclesiasticis quibuscunque perpetuo privari, atque insuper ad ea, et ad dignitates, ac honores quoscunque inhabiles reddi, donec post manifestam vitae emendationem eorum superioribus cum illis ex justa causa videatur dispensandum.

5. Si etiam sic puniti, a scandalosis hujusmodi commerciis non destiterint, sed vel intermissum consortium repetant, vel alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, praeter praedictas poenas excommunicationis gladio plectantur.

9

Quaeritur 2. quid requiratur, ut incurrantur, et recte infligantur hae poenae? Resp. 1. is, cui infligitur poena a trid. taxata, debet esse vere concubinarius. Talis esse dicitur ille clericus, qui concubinam vel domi suae, vel etiam extra illam alibi instar uxoris continuo retinet, et assiduam cum ea tenet consuetudinem. Barb. *in c.* 4. *h. tit. n.* 5. Vvagn. *in c.* 6. *eod. not.* 3. Zypaeus *hic n.* 6. Pirh. *n.* 13. Unde poenae istae non cadunt in eum, qui simplicem incontinentiam commisit absque qualitate concubinatus, ut declaratum est a card. apud Jo. Gallemart *ad cap.* 14. *c. princ.* et ratio est, quia poenae, cum odiosae sint, restringi debent.

2. Monitiones, quae fieri debent, ad incurrendas, et infligendas poenas contra clericos concubinarios latas, debent esse speciales in personam factae, ut notavi *n. praec.* et requiruntur etiam in clerico concubinario notorio; nam nec iste absque trina monitione praevia beneficiis privari debet, ut cum aliis docent M. Ant. Genuens. *prax. archiep. Neapol. c.* 30. *n.* 4. Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 186. Barbos. *in c.* 4. *h. tit. n.* 6. Vvagn. *in c.* 6. *eod. not.* 5. Vallens. *hic n.* 3.

10

3. Crimen concubinatus debet esse aut publicum notorietate facti, aut sufficienter probatum per testes; nam si clericus tantum de fornicatione suspectus sit, licet pro ratione delicti, ex quo suspicio promanavit, puniri possit, ad suspensionem tamen a beneficiis, ad

eorundem privationem, ad depositionem a dignitate et praelatura procedi adversus illos non debet, etiam trina monitione praemissa, ut bene notat Abb. *in c. 2. h. tit. n. 2.* Vivian. *ibid. in ration.* Vall. *hic n. 3.* Pirh. *n. 15. not. 3.* Konig *n. 8.* et ratio est, quia universaliter, quando judex ex praesumptionibus procedit, nisi illae sint urgentissimae, et ex actibus valde propinquis delicto, mitigare sententiam debet, neque imponere poenam potest, quam mereretur delictum plene probatum.

4. Denique aequum est, ac conveniens, ut episcopus clericos concubinarios, aliosque delinquentes non statim excommunicet, sed prius leviores poenas, et censuras iis infliget, veluti suspensionis, interdicti, ut patet ex *c. clerico 3. h. tit.* et notat *ibid.* Abb. *n. 3.* Vall. *n. 3.* Pirh. *n. 11.* nisi crimen sit nimis atrox, aut valde perniciosum.

11

Quaeritur 3. quosnam clericos poenae relatae tangant? Resp. tangunt clericos concubinarios omnes, si beneficium habeant, et infra gradum episcopalem sint positi. Estque perinde, sive sint constituti in majoribus ordinibus, sive in minoribus; nam etiam hi poenas istas incurrunt, cum latae sint propter indecentiam status. *Neque obstat*, quod jura, quibus poenae hae imponuntur, tantum faciant mentionem de clerico in sacris constituto; nam hoc solum indicat, quod, hic gravius sit puniendus; Pirh. *hic n. 8.*

Dixi autem 1. *clericos concubinarios;* nam, ut *n. 9.* annotavi, poenae istae non afficiunt eos, qui simplicem solum incontinentiam commiserunt: et ratio est, quia concilium loquitur de eo clerico, qui consuetudinem habet cum muliere lasciva; hanc autem non censetur habere, qui semel tantum deliquit cum aliqua, sed requiritur, ut saltem bis id fecerit: ergo etc. proceditque hoc, considerato jure communi; nam ex praxi plurium Germaniae nostrae curiarum episcopalium etiam in clericos fornicarios tantum, etsi concubinarii non sint, seu assiduitatem consuetudinis cum muliere soluta non habeant, iisdem tamen poenis, quae in concubinarios per trid. statutae sunt, animadvertitur: idque rectissime, ut quo gravius punitur hoc scelus, eo magis refraenetur perversa vivendi licentia.

12

Dixi 2. *si beneficium habeant*; nam ii, qui nulla beneficia, vel pensiones ecclesiasticas obtinent, juxta trid. *c. 14. cit.* si post monitiones in delicto, et contumacia perseverent, juxta delicti qualitatem poena carceris, suspensione ab ordine, inhabilitate ad beneficia, et aliis, modis juxta SS. canones puniri jubentur.

Dixi 3. *si infra gradum episcopalem sint positi;* nam episcopi, si a tali crimine non abstineant, et a sinodo provinciali moniti, se non emendent, ipso facto suspensi sunt : et si perseverent, deferri debent ad summum pont. qui pro qualitate culpae etiam per privationem , si opus erit , in eos animadvertat , ut iterum statuit laudata synodus *c.* 14. *cit. in fin.*

13

Quaeritur 4. an statutam a concilio privationis poenam clericus concubinarius incurrat , ita , ut fructus amissos statim , et ultro restituere teneatur? Resp. probabilius non teneri , antequam per sententiam declaretur reus criminis concubinatus. Ita Grac. *p.* 11. *de benef. c.* 10. *n.* 90. Farin. *prax. crim. q.* 138. *n.* 66. Engel *hic n.* 4. *in fin.* Vviest. *ibid. n.* 10. et colligitur ex ipso synodi decreto, quo jubentur fructus ejusmodi, ipso jure amissi, fabricae ecclesiae , vel alteri pio loco applicari arbitrio episcopi, utique clericum criminis reum prius declarantis. Accedit praxis clericorum concubinariorum , qui fructus nunquam restituunt , priusquam sententia judicis ecclesiastici declarentur criminis concubinatus rei.

Ratio est, quia, ut *arg. c. cum secundum* 19. *de haeretic. in* 6. docet Covar. *de sponsal. p.* 2. *c.* 6. §. 8. *et* 10. *et lib.* 5. *c.* 37. amplius explicabitur, de facto praeter censuras, irregularitates, et amissionem juris exigendi debitum carnale conjugi incestuoso inflictam, vix ulla, imo spectata saltem consuetudine , nulla poena est , quae re , sive jure quaesito ita privet , ut sententia saltem criminis declaratoria nequeat exspectari: *declaratoria*, inquam; nam condemnatoria opus non est , utpote quae tali casu lata est ab ipsa lege, et statim afficit delinquentem : hinc fit , ut postquam declaratoria criminis commissi lata est, ejusdem reus restituere teneatur fructus, non tantum , quos percepit a sententia lata , sed etiam , quos percepit ante illam post crimen patratum ; quia haec natura declaratoriae est, ut retrotrahatur ad tempus commissi criminis.

14

Quaeritur 5. utrum clericus concubinarius ipso jure incidat in suspensionem proprie dictam ? Convenit inter DD. concubinarium clericum, sive notorium, sive occultum, sicut etiam quemlibet cujusvis alterius peccati mortalis conscium incurrere suspensionem improprie dictam, quae, licet censura non sit, ante peractam poenitentiam tamen illicitam reddit sacramentorum administrationem , et perceptionem, ut clare habetur *c. fin. h. tit.*

Controversia solum est de suspensione proprie dicta , quae est censura, et poena ecclesiastica , ex cujus violatione incurritur irregularitas, seu inhabilitas ad beneficia, et officia ecclesiastica. Hanc

ipso facto incurri a clerico concubinario, saltem notorio, contendunt Abb. *in c. 4. h. tit. n. 3. et in c. 7. eod. n. 7.* Vival. *in candel. aur. tit. de suspens. a n. 19.* Clar. §. *fornicatio n. 4. et §. fin. q. 75. n. 3.* Garc. *p. 7. de benefic. c. 14. a n. 11.* Bellet. *Disquis. cler. p. 1. tit. de discipl. cleric. §. 5. n. 45.* ubi refert sic decisum a S. congr. concil. moventur 1. *can. siqui sunt 15. dist. 81.* ubi concubinatus sub censura interdicti personalis, vel potius suspensionis ab ordinibus prohibetur. 2. *can. praeter hoc 5. dist. 32.* ubi concubinarii missa audiri prohibetur. 3. praecipue *c. fin. hoc tit.* ubi cavetur, clericum, si in fornicationem lapsus sit, suspensum non esse, nisi peccatum hujusmodi sit notorium: ergo si notorium est, suspensionem incurret.

15

Sed his non obstantibus, probabilius est, ab hujusmodi concubinario, aut fornicario, etiam notorio, suspensionis veram censuram, saltem hodie, non incurri ipso jure. Ita Covar. *in Clem. si furiosus p. 1. §. 1. n. 2.* Garc. *de benef. p. 7. c. 14. n. 19.* Gutier *q. can. l. 2. c. 7. n. 85.* Suar. *de censur. D. 31. sect. 4. n. 10.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 11.* Fagn. *in c. fin. hoc tit. n. 23. et seq.* Gonzal. *ibid. n. 2.* Barb. *n. 4.* Vvagn. *not. n.* Pirh. *hic n. 17.* Engl. *n. 6.* Konig. *n. 10.* Vviest. *n. 13.* et colligitur 1. ex Trid. quod *sess. 25. c. 14. de reform.* dum poenas clerici concubinarii dictat, utitur verbis *suspendantur, et juxta SS. canones puniantur*, quae cum sint comminatoria, et actionem judicis significent, indicant ante sententiam ipso jure poenas istas non incurri. 2. ex usu, et consuetudine ecclesiae, quae ejusmodi suspensionem jure ipso incurrendam non agnoscit. 3. ex ratione, quia ut primum clerici concubinarii, aut fornicarii poenitent, cessat ista suspensio, ut colligitur ex quaestione *c. fin. cit.* proposita pontifici: *quaesitum est, ait, de clericis in fornicationem prolapsis, si eorum sit officium, priusquam poenituerint, audiendum?* quod non convenit censurae suspensionis, quae absolutione indiget: ergo etc.

16

Textus in contrarium allegati parum juvant; praeterquam enim quod canones *cit.* etsi statuissent suspensionis censuram ipso jure incurrendam, in hac parte per consuetudinem, vel dispositionem tridentini abrogati sint, ut apud P. Konig *hic n. 10.* cum aliis testis est Caesar de Panimoli *decis. 149. n. 5.* ex iis nequaquam probatur, hoc casu incurri censuram proprie dictam; nam *Ad 1.* ibi non de suspensione, sed de interdicto sermo est, quo clerico fornicario prohibetur ingressus ecclesiae. *Ad 2.* clerici concubinarii in divinis, praesertim in celebratione missae, vitari jubentur, non quod

malitia, et peccato indigne celebrantis sacrificium inquinetur, sed ut ita a peccatis alii quidem absterreantur, ipse vero ad poenitentiam perducatur. *Ad* 3. textus ille intelligi debet de censura improprie dicta, quo modo accepta denotat simplicem prohibitionem vitandi scandalum, quod oriretur, si clericus notorie concubinarius, non acta poenitentia, sacris operaretur.

17

Quaeritur 6. an, et qualiter sacerdos, vel clericus concubinarius, seu fornicarius vitandus sit in missis, et aliis officiis divinis? Resp. cum distinctione: Vel enim crimen concubinatus notorium est, vel nondum est notorium. *Si nondum notorium est*, non est vitandus clericus concubinarius, ne forte contingat aliquem aspergi infamiae nota, qui bonus est *c. vestra* 7. *et cap. fin. h. tit. Si notorium sit*, videlicet aut notorietate facti, aut juris per sententiam, vel confessionem in jure factam, iterum distinguendum est inter jus antiquum, et novum; nam olim secundum antiquos canones tenebantur fideles eum vitare, neque poterant concubinarii, aut fornicarii missam audire, vel sacramenta ab ipso percipere *can. nullus* 5. *cap. praeter hoc* 6. *dist.* 32. *cap. vestra, et cap. fin. cit.*

18

At hodierno jure juxta extravagantem concilii constantiensis, quae incipit *Ad evitanda*, non tenentur fideles a concubinarii, vel fornicarii etiam notorii missa abstinere, eumque vitare in officiis divinis; Suar. *de censur. D.* 31. *sess.* 4. *n.* 16. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 11. *et l.* 4. *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 4. Fagn. *in c. vestra cit. n.* 17. Barb. *in fin. cit. n.* 3. Pirhing. *hic n.* 19. Engl. *n.*7. *Proceditque* hoc, etiamsi suspensio, quam notorius concubinarius ipso jure incurrit, esset proprie suspensio, ut cum *cit.* advertit Vvagn. *in c. fin. cit. not.* 3. Ratio est, quia per *extrav. cit.* nunc solum vitandi sunt excommunicati nominatim, ac publice denuntiati, et notorii percussores clericorum: et eadem ratio est de suspensione: igitur etsi clericus hujusmodi concubinarius esset proprie suspensus, non tamen esset vitandus, quamdiu toleratur ab ecclesia, et ab officio per judicis sententiam non suspenditur, vel suspensus declaratur.

Dixi, *non tenentur*; nam si velint, possunt fideles a concubinario notorio tolerato abstinere, et nolle ad ejus missam audiendam venire; quia per praedictam constitutionem nullus factus est favor ipsis excommunicatis, vel suspensis.

19

Quaeritur 7 an quando tridentinum, ut *n.* 7. relatum est, dicit clericos, si post primam monitionem concubinas, vel alias suspectas mulieres non dimittant, ipso facto privari tertia parte fructuum,

hoc fructuum nomine comprehendantur etiam distributiones quotidianae.

Affirmant aliqui cum Riccio *prax. decis.* 307. *n.* 7. Monet. *de distribut. p.* 3. *q.* 10. *n.* 56. Barbos. *in c.* 4. *h. tit. n.* 5. Pirh. *hic n.* 13. Sed contrarium tenet Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 186. *vers. nona*, testaturque ita declaratum a Card. Ratio est, quia versamur in materia poenali, quae juxta *reg. odia* 15. *in* 6. est strictae interpretationis.

TITULUS III.

De clericis conjugatis.

Actum est praecedente titulo de illicita cohabitatione clericorum cum mulieribus; nunc de alia, jure divino, et naturali licita per matrimonium quod pariter prohibitum est clericis, cum simul divinis obsequiis, et carnalibus voluptatibus, ac desideriis vacare non possint. Quia vero non eodem rigore, nec indiscriminatim omnibus clericis connubia ab ecclesia sunt interdicta, hinc distinguendum inter clericos in minoribus solum ordinibus constitutos, et inter eos, qui majoribus initiati sunt. Quare sit

§. I.

De clericis minoribus matrimonia ineuntibus.

SUMMARIUM

1 *Clericus in minoribus constitutus matrimonium potest contrahere.*
2 *Sed eo contracto, ad beneficia ecclesiastica obtinenda fit incapax.*
3 *Ita, ut eidem etiam non prosit regula de triennali possessione.*
4 5 6 *Ante obtenta amittit ipso jure.*
7 *Si sponsalia de praesenti, seu matrimonium contraxerit, etsi ratum solummodo.*
8 *Et intelligi hoc debet de quibusvis juribus ad beneficia.*
9 10 *Item de pensionibus assignatis titulo clericali.*
11 12 13 14 *Si matrimonium ex aliquo defectu nullum sit, privatio haec non inducitur.*
15 16 17 *Cum clerico conjugato ad beneficia obtinenda, vel retinenda dispensare solus pontifex potest.*

1

Quaeritur 1. an clerici, qui in minoribus ordinibus tantum constituti sunt, dimisso clericatu, matrimonium possint contrahere, et

si possunt, an possint omnes? *Rationem dubitandi* facit *can.* 25. *apostolorum*, ubi dicuntur *lectores*, *et cantores tantum*, si velint, *nuptias contrahere* posse, ex quo sequi videtur, quod acolythis id non sit permissum.

Sed juris certi, et indubitati est, id licitum esse clericis his, in quocunque ordine minore sint constituti; ita enim aperte constat ex *can. siqui* 3. *can. placuit* 13. et *can. seq. dist.* 32. *can. quia tua* 8. *vers. siqui vero caus.* 12. *q.* 1. *c. siqui* 1. *h. tit.*

Proceditque hoc, etiamsi is, qui ordines minores suscipit, eos suscipiat, existimans, etiam ipsis annexum esse votum solemne continentiae, ut recte notat Pirh. *l.* 4. *tit.* 6. *n.* 4. Ratio est, quia talis non intendit per se, et principaliter votum castitatis emittere, sed solum quatenus illud annexum putabat ordinibus minoribus; cum ergo non sit annexum, nullo voto obligatus erit.

Neque obstat *can. cit.* dicendum enim, quod in eo, et similibus canonibus lectorum, et cantorum appellatione contineantur omnes clerici inferiores subdiacono, ut sic jura juribus concordentur. Et esto, hoc dici non possit, est tamen eadem de omnibus ratio. Nec scrupulum movere debet dictio *tantum*; haec enim, ut ex Everhardo advertit Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 31. *n.* 6. ita excludit extranea, et dissimilia, ut includat similes casus, in quibus est eadem ratio.

2

Quaeritur 2. an clericus in minoribus ordinibus constitutus, si contrahat matrimonium, capax, et habilis sit ad beneficia ecclesiastica obtinenda? Rationem dubitandi aliquam facit vers. *siqui cit.* ubi clericis extra SS. ordines constitutis, uxores ducentibus, dicuntur assignanda stipendia.

Verum hoc non obstante, dicendum est, clericos etiam minores, si uxores duxerint, ad beneficia ecclesiastica obtinenda redditos esse inhabiles, et si quae antea obtinuerint, iis esse privatos. Consentiunt in hoc omnes, nemine discrepante, ut testis est Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 42. *n.* 14. et patet ex *c. siqui* 1. *c. quod a te* 3. et *c. diversis* 5. *h. tit.* Ratio est, quia clericus conjugatus in omnibus habetur ut laicus, exceptis casibus expressis *c. un. h. tit. in* 6. sed laicus non est capax beneficii ecclesiastici *c. cum adeo* 17. *de rescript.*

Additur *c. diversis cit.* triplex alia congruentia: 1. quia in clericorum *conversatione cithara cum psalterio male concordat*, i. e. laicalis conversatio cum clericali ministerio, ut explicat gloss. *in c. cit. V. cithara*: 2. quia qui alligatus est uxori, ut apostolus loquitur, cogitat, quomodo placeat uxori, et sic divisus est, quasi in

duo, ac minus aptus ad serviendum ecclesiae: 3. quia per tales rerum ecclesiasticarum substantia perire solet; periculum enim est, nè ea, quae ecclesiae sunt, filiis, ac nepotibus largiantur. Hinc merito *c. siqui h. tit. in princ.* statuitur, ut ejusmodi clerici, si matrimonium contraxerint, per ecclesiasticam censuram compellantur ad beneficia ecclesiastica, si quae habuerint, relinquenda.

3

Estque hoc ita verum, ut etiam ipsis non prosit *regula de triennali possessione*, qua prohibetur is, quamdiu possedit beneficium, postea super ea possessione molestari, licet illa regula juventur etiam inhabiles, ut excommunicati, irregulares. *Ratio differentiae est*, quod excommunicatus, et irregularis non sit omnino incapax beneficii; quamvis enim illud eo tempore obtinere non possint, at antea obtento non privantur, sed retinere illud possunt: at vero clericus conjugatus, quia, ut dixi, in omnibus habetur pro laico, hoc ipso incapax redditus est ad beneficium ecclesiasticum tam acquirendum, quam retinendum.

Ad textum in ratione dubitandi allatum, ut cum communi eundem explicat Sanch. *l. 7. de matr. D. 42. n. 19. fin.* dicendum: ea jura postea correcta, vel intelligenda esse de stipendio temporali, quod ex miseratione ad sublevandam inopiam, vel ob laborem, et ministerium ecclesiae ab ipsis exhibitum eisdem assignatur.

4

Quaeritur 3. an clerici minores, si matrimonium contrahant, beneficia ecclesiastica amittant ipso jure, an vero solum per sententiam judicis iisdem privandi sint? Posterius nonnulli tenent cum Carrer. *l. 3. de sponsal. c. 3.* et Rodriq. *summ. tom. 1. c. 123. n. 1. edit. 2.* ex quorum sententia, ut tali casu inducatur actualis privatio, requiritur sententia judicis condemnatoria. Fundantur 1. textus *c. siqui 1. c. quod a te 3. hoc tit.* ubi dicitur, *si clerici infra subdiaconatum uxores acceperint, ipsos ad relinquenda beneficia ecclesiastica compellendos, iisque privandos esse*: igitur non sunt privati ipso jure, et facto; nam verba *compellere, privare, spoliare etc.* sententiam judicis primum ferendam denotant: 2. siquis ab initio sit habilis ad beneficium obtinendum, illud non perdit, etsi postea fiat inhabilis e. g. irregularis, cum ergo clericus in minoribus tempore, quo obtinuit beneficium, fuerit inhabilis, non perdit illud ratione conjugii subsequentis, per quod inhabilis fit ad obtinendum: 3. concubinarii ante sententiam, saltem declaratoriam criminis, ut *n. 13. tit. praec.* dixi, non tenentur restituere fructus, nec alii clerici cedere beneficiis, quae amiserunt ob alia crimina; *arg. c. secundum 19. de haeretic. in 6. 4.* imo communis sententia

habet non vacare beneficium ante sententiam, quamvis canon statuat, ipso jure amitti, addatque clausulam *absque alia declaratione*.

5

Sed his non obstantibus, dicendum, ab hujusmodi clericis, si matrimonium, saltem valide, ineant, beneficia ecclesiastica ante obtenta ipso jure, et facto amitti: et hinc 1. si ita privatus beneficio redditus ex eodem aliquos percepit, restituere illos tenetur a die, quo contraxit matrimonium: 2. si illud permutet, vel resignet in favorem alterius, postquam matrimonium ita contraxit, permutatio, vel resignatio nulla est: 3. ipsum beneficium, post contractum matrimonium, tanquam vacans, ab alio impetrari, et huic saltem quoad titulum valide conferri potest. Ita glossa *in c.* 1. *h. tit. V. relinquenda*, Joan. Andr. *ibid. n.* 6. Abb. *n.* 4. Alegon. *in gloss.* Imola *n.* 4. *et* 5. Gonzal. *in cap.* 5. *tit. eodem*, *n.* 2. Sequuntur Garc. *p.* 11. *de benef. cap.* 8. *n.* 1. Less. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 112. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 42. *n.* 4. Barbos. *de offic. episcop. alleg.* 57. *n.* 202. Vall. *de benef. l.* 1. *tit.* 19. *n.* 2. Honor. *hic*, *n.* 2. Zoes. *n.* 15. Pirh. *n.* 11. Konig *n.* 10. Vviest. *n.* 4. Ratio est, quia matrimonium validum est incompatibile cum beneficio ecclesiastico, ac proinde, cum clericus sciat, vel scire debeat, quod simul beneficium retinere, et uxorem habere non possit, hoc ipso, quod uxorem duxerit, censetur tacite, et ipso facto renuntiasse beneficio suo. *Conf.* quia sub ea tacita conditione confertur clerico beneficium, ne statum incompatibilem assumat, si beneficium retinere velit, talis status est matrimonii, ergo eo assumpto, hoc ipso, tanquam deficiente conditione, statim perdit beneficium.

6

Neque obstant argumenta opposita in contrarium. *Ad* 1. textus illi, ut cum communi eosdem explicat Sanch. *l. cit. n.* intelligendi sunt de spoliatione, et privatione, non ipsius juris, sive tituli, sed solius possessionis beneficiorum, si haec post matrimonium initum adhuc retineant; nam ad ea dimittenda compellendi sunt, quod injuste, et de facto solum illa retineant. *Ad* 2. id verum est, quando quis excluditur a beneficio ob inhabilitatem personae; non vero, quando id perditur ob renuntiationem tacitam, prout perditur in casu praesenti, ut bene cum *cit.* Sanchez observant Pirh. *n.* 12. Schamb. *n.* 8. *Ad* 3. negatur paritas: in casibus objectionis bene attenditur sententia saltem declaratoria, quia in iisdem privatio beneficii inducitur ut poena criminis, ad quam ex communi doctrina ante sententiam nemo tenetur in conscientia; at in casu nostro, ut paulo ante dictum est, privatio beneficii non ex crimine tanquam poena (neque enim clericus minor contrahens matrimonium peccat; sed

ex propria beneficiarii voluntate tanquam tacitâ resignatio oritur. *Ad* 4. eadem est responsio ; nam communis illa sententia tantum procedit, quando privatio beneficii poenalis est.

7

Quaeritur 4. quousque extendi debeat memorata privatio beneficiorum ? Resp. 1. intelligi debet de solo matrimonio ; nam per contractum sponsalium de futuro clerici in minoribus constituti ipso jure beneficia ecclesiastica non amittunt. Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 5. Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 8. *n.* 19. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 42. *n.* 1. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 114. Barbos. *in c. cit. n.* 11. Pirh. *hic n.* 14. et ratio est, quia per sponsalia de futuro non assumitur status plene incompatibilis cum beneficiis, sed illa tantum sunt via ad statum incompatibilem obtinendum.

2. Intelligi debet non tantum de matrimonio consummato, sed etiam de rato tantum ; quia per hoc, quamdiu non dissolvitur, jam inducitur status incompatibilis cum beneficio. Estque hoc verum, ut beneficium sic amissum hujusmodi clericus etiam non recuperet, licet ante consummatum matrimonium uxor sit mortua, vel religionem ingressa : quia jus semel extinctum non reviviscit, etsi causa cesset, per quam extinctum est ; *can. quam periculosum* 8. *caus.* 7. *qu.* 1. *Clem. gratiae* 4. *de rescript.* Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 6. Imol. *ibid. n.* 4. Garc. *l. cit. n.* 3. Sanch. *n.* 6. Vall. *hic* §. 2. *n.* 1. Zoes. *n.* 16. Honor. *n.* 2. Pirh. *n.* 13. Konig. *n.* 8. Vviest. *n.* 6. Hinc, ut dissoluto matrimonio ejusmodi clericus conjugatus beneficia amissa recuperet, opus habet nova collatione.

8

3. Intelligi debet non tantum de beneficiis, sed etiam de gratiis exspectativis, accessu, regressu, et quibusvis aliis juribus spiritualibus ad beneficia ecclesiastica, quae ante initum matrimonium clericis ex collatione, nominatione, praesentatione competebant ; vacant enim ipso jure, instar beneficiorum; Barbos. *de offic. episc. alleg.* 57. *n.* 205. Garc. *l. cit. n.* 2. Sanch. *n.* 7. cum aliis supra. Ratio est, quia beneficia primum obtinenda, et ad ea competentia jura facilius amittuntur, quam jam obtenta, et possessa, cum jus in re fortius sit, quam jus ad rem.

Addidi tamen, per matrimonium amitti jura ad beneficia; nam aliae gratiae, quae jus ad beneficia nullum tribuunt, uti est dispensatio cum illegitimo ad obtinendum beneficium, per contractum matrimonii non amittuntur ; quia talis dispensatio solum aufert impedimentum, et dispensatum restituit capacitati naturali, cui status matrimonii non repugnat; Sanch. *n.* 9. Et hinc sequitur, quod talis, cum quo sic dispensatum est, solutô matrimonio, non habeat opus

nova dispensatione in impedimento natalium ; sed potest vi prius obtentae dispensationis beneficium obtinere.

9

Quaeritur 5. an per matrimonii contractum clericus minor matrimonium contrahens etiam amittat pensiones , quas antea obtinuit ab ecclesia ? Resp. distinguendum inter pensiones , quae assignatae sunt clerico in minoribus constituto pro ministerio mere temporali , et inter eas , quae eidem sunt assignatae titulo clericali.

Priores clericus matrimonium contrahens non amittit ; quia dantur tanquam laico : proinde per mutationem status clericalis in laicalem non vacant , cum nulla sit earum cum statu laicali incompatibilitas; Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 44. *n.* adeoque casu, quo clericus ante contractum matrimonii pensionem aliquam ab ecclesia habuit , quia fuit advocatus ecclesiae , sacrista , cantor , organoedus etc. post matrimonii contractum haec officia continuando merito pro iis, tanquam laboris stipendium , pensionem sibi assignatam percipit.

10

Alia ratio est de *posterioribus pensionibus* , seu assignatis clerico ex titulo clericali ; nam hae , ut beneficia , etiam ipsae per contractum matrimonii a clerico celebratum amittuntur; Sanch. *l. cit. n.* 5. Barb. *de offic. episc. alleg.* 57. *n.* 206. Vall. *hic* §. *num.* 1. Zoes. *n.* 19. Honor. *n.* 2. Pirh. *n.* 13. Konig. *n.* 8. Vviest. *n.* 5. et alii apud istos. *Ratio* est manifesta ; quia pensiones ecclesiasticae beneficiis subrogantur , subrogatum autem sapit naturam ejus , cui subrogatur , igitur cum clericus conjugatus incapax sit beneficii ecclesiastici , etiam incapax erit pensionis clericalis.

Excipiuntur 1. Milites lauretani , et alii quidam ordinum militarium , quibus ex speciali privilegio summorum pont. concessum est , ut retinere possint pensiones ecclesiasticas, etiamsi matrimonium contrahant , si illud contrahant cum unica, et virgine; Barbos. *in c.* 1. *h. t. n.* 6. Vvagn. *ibid. not.* 2. Pirh. *n.* 13.

Excipiuntur 2. etiam alii, quibus a summo pont. ex justa causa e. g. paupertatis , hujusmodi pensio concessa est ; quia incapacitas haec in clericis conjugatis ad pensiones est tantum juris ecclesiastici , quo superior pontifex est , tanquam legislator lege a se condita; Sanch. *n.* 9.

Excipiuntur 3. illi , quibus a pont. concessa pensio est, ut illa duret toto tempore , quo victurus est pensionarius ; nam tales retinere eandem poterunt , etiam post contractum matrimonium, ex tacita pontificis voluntate; Sanch. *n.* 7.

11

Quaeritur 6. an clericus in minoribus constitutus beneficia, pensiones ecclesiasticas et similia jura ipso facto amittat etiam per contractum matrimonii, quod ob defectum, vel impedimentum aliquod invalidum est? Abb. *in c. Joannes 7. tit. n. 7. et* 8. Imol. *ibid. n.* 24. Barbos. *n.* 8. *et alleg.* 57. *n.* 207. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 113. Garc. *de benef. p.* 11, *c.* 8. *n.* 7. et communis aliorum fere sententia putat ea amitti etiam hoc casu, quo matrimonii contractus est irritus ex defectu consensus. Fundantur maxime hac ratione, quia ex intentione clericorum contrahentium matrimonium assumptus est status incompatibilis, adeoque juris interpretatione beneficium ipso facto renunciatum intelligitur; *arg. c. nuper de bigam.* ubi propter affectum, seu intentionem cum opere subsecuto quis inter Bigamos reputatur: et certe in jure frequens est, ut non ad validitatem, et veritatem rei, sed potius ad effectum operis subsecuti attendatur. 2. per adeptionem secundi beneficii, si curatum illud sit, vacat primum ipso jure; *c. relatum* 4. *de cleric. non resid. et c. cum singula* 32. *de praeb. in* 6. estque hoc verum, etsi adeptio secundi sit irrita, ut statuitur *c. cum qui* 18. *eod.* non alia ex ratione, quam quod per adeptionem secundi ob incompatibilitatem cum primo censeatur primum haberi pro derelicto: atqui non minus incompatibilem cum beneficii retentione statum ingreditur ille, qui contrahit matrimonium: ergo etc. 3. Episcopus propria authoritate ab uno episcopatu ad alium transiens, priore excidit, licet non potiatur posteriore; *c. quando* 3. *de translat. episc.* ergo pari modo clericus minor beneficio excidet, quantumvis conjugium, quod inivit, non subsistat, et dicta conjuge non potiatur.

12

Sed etsi relata sententia communior sit, verior tamen est negativa, quam cum aliis defendunt Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 43. *n.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. §. 8. *n.* 9. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. *n.* 7. *vers. dixi autem.* Vall. *de benef. l.* 1. *tit.* 19. *n.* 3. Schamb. *hic n.* 10. Konig. *n.* 11. Vviest. *n.* 8. *Procedilque*, quocunque ex titulo, sive ob defectum consensus, sive ob omissam solemnitatem per trid. requisitam, sive ob consanguinitatis, aut aliud impedimentum dirimens conjugium irritum sit.

Ratio est 1. quia SS. canones, quando beneficiorum privationem in clerico matrimonium contrahente inducunt, loquuntur de matrimonio valido, ut constat ex *c. siquis* 1. *h. tit.* ubi clerici ejusmodi, sicut ad beneficia relinquenda, ita ad uxores retinendas compelli jubentur; hoc autem alterum fieri nequit, quando matrimonium invalide contractum est: ergo etc.

2. In matrimonio invalido cessat ratio, ob quam jure ecclesiastico inducta est privatio beneficiorum; nam beneficiis ecclesiasticis clericus conjugatus privatur, quia uxori, et carnis voluptatibus operam dare, et divinis obsequiis vacare simul non potest: at clericus, qui matrimonium iniit, quod publice constat invalide contractum esse, ab obsequiis divinis per hoc suum matrimonium non impeditur, cum eidem jus ad usum nullum praebeat.

13

3. Si matrimonium invalide contractum a clerico in minoribus constituto induceret ipso jure privationem beneficii prius obtenti induceret illam vel in poenam delicti, vel ob incompatibilitatem status, vel ob tacitam renuntiationem, vel ob aliam juris positivi dispositionem. Nullum ex his dici potest. *Non primum*; quia vel scit subesse impedimentum, vel nescit; si nescit, illud bona fide ineundo non peccat; si scit, peccat quidem, sed tunc privatio beneficii est poena, quae ante sententiam criminis declaratoriam non incurritur. *Non secundum*; quia per matrimonium invalide contractum, cum nullum inducat vinculum, clericus illud contrahens uxori non obligatur. *Non tertium*, quia tacita renuntiatio, non habet majorem vim, quam expressa: atqui haec non inducit privationem beneficii nisi facta sit in manibus legitimi praelati, seu superioris; *c. nisi* 10. *et c. quod in dubiis* 8. *de renunt.* ergo nec matrimonium vim habebit renuntiationis validae, nisi et ipsum legitime sit contractum. *Non quartum*; quia nullus est canon qui matrimonio invalide contracto privationem beneficiorum ipso jure annectat. Et hinc in hujusmodi clericis locum habebit *reg.* 52. *in* 6. *Non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*: cum ergo tali casu matrimonium contractum nullum sit, ipso jure privationem beneficiorum non inducet.

Dixi *ipso jure*; nam per sententiam judicis ita contrahens beneficio privandus est, nisi ex justa causa cum eo dispensetur; Scham. *n.* 10.

14

Neque obstant rationes dubitandi allatae. *Ad* 1. per matrimonium invalidum non est assumptus status incompatibilis cum beneficio, ut patet ex probationibus allatis. *Ad* 2. tum solum clericus contrahens beneficium antea possessum pro derelicto habere censetur, quando contraxit matrimonium cum effectu vinculi: quod in nostro casu non contingit. *Ad* 3. etsi in aliis quibusdam casibus reperiatur dispositum, ut sola attentatio facti sufficiat, non tamen sequitur, idem dicendum in casu nostro; et ratio est, quia canon ita disponens poenalis est, et cons. ad casus expressos extendi non debet. Eadem est responsio ad exemplum de bigamis in prima ratione dubitandi allatum.

15

Quaeritur 7. an episcopus cum clericis conjugatis dispensare possit ad beneficia obtinenda, vel retinenda? Rationem dubitandi facit textus *c. Joannes* 7. *h. t.* ubi supponitur cum clerico conjugato ad beneficium obtinendum, vel antea obtentum retinendum dispensari posse: quod frustra diceretur, si dispensare eum eo solus pontifex posset, cum de hoc aliunde constet, cum dispensare posse in omni jure ecclesiastico. *Conf.* episcopus ad beneficium obtinendum, et obtentum retinendum dispensare potest cum deposito ab ordine, et officio; *can. Salonitanae* 24. *dist.* 63. item cum homicida, et irregulari; *c. ad audientiam* 12. *de homicid.* ergo etiam dispensare potest cum clerico conjugato. *Prob. conf.* nam dispensare cum deposito, homicida irregulari plus est, quam dispensare cum clerico conjugato: atqui cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus: ergo etc.

16

Sed multo melius dicitur, solum pontificem posse dispensare, ut conjugatus qualecunque beneficium obtineat. Ita Abb. *in c. Joannes* 7. *h. t. n.* 7. Selva *de benef. p.* 1. *q.* 7. *n.* 17. *et* 18. Sylv. *V. beneficium* 3. *q.* 4. *n.* 8. Flam. *de resign. l.* 4. *q.* 2. *n.* 28. Sanc. *l.* 7. *de matr. D.* 42. *n.* 18. Vall. *hic* §. 2. *n.* 8. Pirh. *n.* 20. Kon. *n.* 9. Vvies. *n.* 9. Sumitur 1. ex *c. diversis* 5. *h. t.* ubi clericus conjugatus beneficio, quod ipsi episcopus scienter contulit, asseritur spoliandus, non per ipsum episcopum, qui illud contulit, sed per superiorem ejusdem videlicet archiepiscopum: atqui si episcopus dispensare cum clerico conjugato posset ad beneficium aliquod obtinendum, vel obtentum retinendum, hoc fieri nequaquam deberet; quia hoc ipso, quod episcopus scienter ejusmodi clerico beneficium contulisset, cum ipso tacite et ipso facto dispensasse praesumeretur: ergo etc. 2. episcopus non potest dispensare contra decreta SS. canonum, nisi id expresse ei concessum sit; inferior enim legem superioris non potest tollere: atqui secundum SS. Canones clerici conjugati in ordine ad res ecclesiasticas seu beneficia censentur ut laici: ergo sicut cum his episcopus ad obtinendum beneficium dispensare non potest, ita nec cum clericis conjugatis 3. Clerici conjugati non admittuntur ad ecclesiasticas administrationes; *c. sane* 2. *h. t.* ergo neque ex dispensatione episcopi capaces sunt beneficii; quia etsi simplex tantummodo sit, datur solum ratione administrationis, vel officii ecclesiastici *c. proposuit* 6. *de fil. presbyt. c. conquerente* 6. *de cler. non resid.*

17

Ad rationem dubitandi oppositam dico, textum illum intelligi debere de dispensatione non episcopi, sed papae, ut eundem interpretantur glos. *fin. ibid.* Barbos. *n.* 3. Gonz. *n.* 1. Sanc. *n.* 18. *cit.*

Pirh. *n.* 20. Konig *n.* 9. Vvies. *n.* 9. *Neque obstat,* quod de dispensatione papae hoc per se clarum sit; quia non est novum in jure pro majori claritate aliqua statui, quae independenter a tali constitutione aliunde certa sunt: ostenditur enim per tale statutum, impedimentum hoc, quod inducitur per matrimonium, esse absolute dispensabile. *Ad conf.* regula *cui licet loc. cit.* non procedit in materia exorbitante, qualis est materia dispensationis, ne licet inferre a casibus permissis ad non permissos, tametsi casus non permissi sint majores; et graviores permissis; est enim decantatissima regula, *quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda,* ut habetur; *reg.* 28. *in* 6.

§. II.

De clericis majoribus matrimonia ineuntibus.

SUMMARIUM

18 *Clericus in majoribus constitutus nec valide contrahit matrimonium.*

19 *Quod verum est etiam in graeca ecclesia.*

20 *Post contractum matrimonium in latina ecclesia ad ordines non admittuntur, nisi consentiat uxor, et votum continentiae edat.*

21 *In graeca usus matrimonii licitus ipsis est.*

22 23 24 *Non in latina.*

25 26 27 *Caelibatus clericis majoribus injunctus est jure ecclesiastico tantum.*

28 29 30 31 *Quo votum continentiae SS. ordinibus annexum est.*

32 *Potuit ecclesia hoc votum annectere ordinibus.*

33 34 *Poena clericorum, qui suscepto s. ordine contrahunt matrimonium.*

35 36 37 *Defacto illud solum contrahendo privationem beneficiorum non incurrunt ipso jure.*

18

Quaeritur 1. an, et quomodo matrimonium incompatibile sit cum SS. ordinibus? Resp. distinguendum inter matrimonium contrahendum et contractum. *Matrimonio contrahendo* SS. ordines ita obstant, ut clerici, qui in his constituti sunt, nec licite, nec valide contrahere illud possint, ut aperte desumitur ex *c. siqui* 1. *h. t. c. de diacono* 1- *qui cler. vel nov.* et definitum est a trid. *sess.* 34. *can.* 9. In quo dispar est ratio cum clericis, qui constituti sunt solum in ordinibus minoribus: et ratio disparitatis est, quia in majoribus constitu-

ti propinquius ad altaris accedunt ministerium: hinc etiam major in iis sanctitas, et puritas requiritur, cum ordinem sacrum ineundo perpetuo se consecrarint Deo.

19

Estque lex ista universalis omnino, etiam clericos ecclesiæ græcae obligans, nam nec isti, postquam aliquando in sacris sunt constituti, ducere amplius uxores possunt; ut notavi *tit.* 1. *n.* 20. Eadem lex etiam, saltem quoad sacerdotes, est antiquissima. Nam ut Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 11. *n.* 5. notat, his nunquam concessum fuit post susceptum sacerdotium uxorem ducere. Dixi, *saltem quoad sacerdotes*, nam diaconis, et subdiaconis, si in susceptione ordinis continentiam non promiserunt, quibusdam in locis videtur permissum fuisse uxores ducere, ut non obscure colligitur de diaconis ex concilio Ancyrano *c.* 10. de subdiaconis vero ex Greg. I. *l.* 1. *epist.* 42. *ad Petrum diaconum.* Vide Gratian. *super can. de Syracusanae* 13. *dist.* 28.

20

Si vero loquamur *de matrimonio contracto*, istud quidem graecae ecclesiae clericis nequaquam obstat, quin promoveri adhuc ad ordines majores possint, in latina tamen ecclesia suscipiendis ordinibus impedimentum objicit ita; ut ad eos clerici conjugati nequaquam admittantur, praeterquam si perpetuam continentiam voverint, et unicam, eamque virginem uxorem duxerint; prout statuit Alexander III. *c. sane* 2. *h. t. Proceditque hoc* etiam de minoribus ordinibus; nam neque ad istos admitti possunt praeter casum proxime exceptum. Abb. *in c. sane cit. n.* 3. et ratio est, quia minores ordines ordinarie conferuntur in ordine ad majores suscipiendos. Imo iisdem etiam negatur prima tonsura, quippe quae tantum confertur tanquam dispositio ad ordines. *Neque obstat* quod *c. cit.* pontifex tantum dicat *sacros ordines*; nam, ut cum communi textum hunc explicat Pirh. *hic. n.* 2. nomen SS. ordinum hic late accipiendum est, pro ut comprehendit omnes ordines etiam minores.

21

Quaeritur 2. an, et quomodo SS. ordines obstent licito usui matrimonii? Resp. distinguendum inter clericos graecae, et latinae ecclesiae. *Graecae ecclesiae clerici*, si matrimonium ante clericatum, vel subdiaconatum contraxerint, eo uti non prohibentur etiam post susceptum praesbyteratum; *can. aliter* 14. *dist.* 31. *c. olim.* 6. *hic*, *et c. quaesitum* 7. *de poenit. et remiss.* quoad *latinae ecclesiae clericos* videndum, an cum uxoris suae consensu, an sine illo ordines SS. susceperint; nam *si primum*, non tantum possunt, sed etiam compelluntur cohabitare suis uxoribus, utpote quas jure per matrimonium sibi acquisito spoliare non potuerunt, prout fusius dice-

tur *lib.* 4. *tit.* 6. *Si vero alterum*, matrimonii usus iisdem penitus est interdictus : hinc etiam uxores eorum vel castitatem vovere, vel omnino religionem profiteri debent.

22

Dubium moveri potest , an aliquando permissum fuerit in universali ecclesia post susceptum praesbyteratum uti uxoribus prius ductis? Trahunt hoc aliqui in controversiam , et pro hoc allegant 1. concilium nicaenum , in quo, ut Socrates *l.* 1. *hist. c.* 11. et Sozomenus *l.* 1. *c.* 23. testantur, suasore Paphnutio, decretum fuit, ut sacerdotes, qui ante susceptum presbyteratum uxores duxerant, a conjugii usu non prohiberentur. 2. *can.* 5. *apostolorum* ubi statuitur , ne episcopus , aut presbyter , vel diaconus uxorem suam praetextu religionis abjiciat, sub poena excommunicationis, depositionis. 3. *synodi constantin.* 6. *can.* 6. *et* 13. ubi constitutis in sacro ordine (episcopis exceptis) permittitur matrimonio uti , quod ante ordinationem legitime contraxerunt, ita tamen, ut tempore , quo secundum vices in ecclesia ministerio fungi debent, ab uxoribus abstineant.

23

Sed retinenda antiqua, et certa doctrina, usum matrimonii nunquam fuisse permissum passim post susceptum presbyteratum, sed in ecclesia latina semper vetitum, et etiam in graeca, ubi canones ecclesiastici sinceri manserunt. Ita Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 11. *n.* 5. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 4. confirmantes id plurium SS. PP. testimoniis. Accedunt antiquissimorum conciliorum decreta, agathensis *c.* 16. illiberitani *c.* 33. carthaginiensis 5. *c.* 3. arelatensis 2. *can.* 2. turonensis 1. *c.* 2. arvernensis *c.* 11. lugdunensis *c.* 1. aurelianensis 2. *c.* 8. aurelianensis 4. *c.* 17. *etc.*

24

Neque contrarium probant argumenta opposita. *Ad* 1. scriptores illi fuerunt sectae novatianae , et sicut alia plura, ita etiam hoc mendacium posterioritati obtruserunt. Certe , quae mens concilii nicaeni fuerit, satis indicat *can.* 3. ubi episcopis, diaconis, et iis, qui in clero sunt, interdixit, ne in domos suas inductas haberent mulieres, praeter matrem, sororem , aut amitam, sive eas , quae omnem suspicionem effugiunt; si autem in sacris constituti potuissent ex uxoribus suis liberos procreare, tunc nec periculum talis suspicionis fuisset, nec observatio ejus canonis conveniens, aut possibilis, ut adverteni patebit. *Ad* 2. intelligendus canon ille est de sustentatione, et praestatione alimentorum uxori facienda , si quam ante clericatum duxerint. *Ad* 3. canon ille fuit unus ex centum et duobus illis , quos decem annis post Constantin. *cit.* orientales conscripserunt in Trullo, qui proinde, quia a summo pontif. nunquam fuere confirma-

ti, vim juris non habent. Consuetudo orientalis ecclesiae, ut sacerdotes uti uxoribus antea ductis possent, invaluit primum post trullanam illam constitutionem, quae cum facile tolli non potuerit, tandem in usum matrimonii tanquam orientalibus licitum consenserunt etiam summi pontif.; Laym. *cap. cit. n.* 9.

25

Quaeritur 3. quo jure divino, an humano clericis latinae ecclesiae coelibatus injunctus sit? Non desunt, qui cum major. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. Vvald. *de sacram.* 2. 28. *et seq.* et aliis apud Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 27. *n.* 4. existimant esse juris divini: quorum unicum hoc fundamentum est, quod ab ipso nascentis ecclesiae exordio continentiae lex in divinorum ministris, praesertim sacerdotibus, fuerit observata, nec extet exemplum, vel constitutio, qua clericis permissum fuerit post clericatum uxorem ducere, etsi quandoque in ecclesia graeca, ut dictum est, fuerit toleratum, ut uxoribus ante ductis uterentur: unde colligunt hanc legem latam a Christo, et promulgatam a S. Paulo 2. *Tim.* 1. *v.* 4. *ibi*, *nemo militans Deo*, *implicat se negotiis saecularibus.*

26

Sed hoc non obstante, altera, et verior sententia est, caelibatum SS. ordinibus nec divino, nec naturali, sed solum humano ecclesiastico jure annexum esse. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *in corp. fin.* Cajet. *tom.* 1. *opusc. tr.* 28. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 12. *q.* 1. Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 9. *c.* 13. Bellarm. *l.* 1. *de cleric. c.* 18. *et* 19. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 27. *n.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 11. *n.* 1. Abb. *in c.* 6. *h. tit. n.* 5. *et in c.* 12. *eod. n.* 5. Barb. *ibid. n.* 5. Gonz. *n.* 3. Zoes. *hic. n.* 3. Engl. *n.* 35. Vviest. *n.* 17. et hoc teste plerique alicujus nominis, et notae DD. Colligitur ex *can. presbyteris* 8. *dist.* 27. et trid. *sess.* 24. *can.* 9. *de matr.* ubi vis dirimendi matrimonium, quam ordo sacer habet, refunditur in legem ecclesiasticam, et SS. canonum definitiones. *Ratio est* 1. quia alias usus matrimonii antea legitime initi graecis, sive orientalibus permitti non potuisset, cum jus divinum, et naturale ab humana potestate relaxari nequeat §. *sed naturalia* 11. *inst. de J. N. G. et C. et can. sunt quidem* 6. *caus.* 25. *q.* 1. 2. si matrimonium clericis in majore aliquo ordine constitutis esset jure divino prohibitum, id constaret ex aliquo loco scripturae, vel concilii, dicentis id esse juris divini; atqui nullus habetur hujusmodi locus: nam textus apostoli supra allegatus praeceptum divinum non probat, cum multa in ejus epistolis passim reperiantur, quae solum sunt praecepta humana. 3. nec obligationem hanc juris naturalis, et divini probat aliqua efficax ratio; nam etsi ordo sacer

suapte natura afferat quandam congruentiam, et decentiam castitatis, matrimonium autem muniis, et officiis ecclestiasticis impedimento sit, non tamen sequitur, quod ordo, et matrimonium, ejusque usus inter se pugnent; alias nec graecis sacerdotibus usus iste fuisset permissus.

27

Proceditque hoc etiam de statu episcopali; nam neque episcopi aliter ad continentiam obligantur, quam ratione ordinis sacri, cui ex praecepto ecclesiastico annexa est continentia: et hinc si episcopus tantum esset electus, et confirmatus, et nondum in sacris constitutus, non teneretur ratione status ad castitatem; Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 27. *n.* 7. Ratio est, quia status conjugalis non habet repugnantiam cum ministeriis episcopalibus, sed tantum ex quadam decentia, et honestate oportet episcopum a conjugio abstinere, quod secluso jure ecclesiastico, non transit in praeceptum.

Ad fundamentum adversae sententiae observantia a temporibus apostolorum ad nos usque prorogata non probat obligationem coelibatus ex jure divino descendere, sed solum, quod primordia sua, et originem trahat ex apostolorum instituto, et traditione.

28

Quaeritur 4. utrum obligatio, qua tenentur clerici SS. ordinum ad continentiam servandam, oriatur ex mera constitutione ecclesiae praecipientis continentiam, an etiam ex voto, quod ecclesia annexuit ordini sacro? *Primum* affirmat Scot. 4. *dist.* 37. *q. un.* §. *dico igitur.* Imol. *in Clem. ad nostram de haeret. n. ult.* Joan. de Lignano *de cleric. conjug. c.* 2. Gutier. *q. can. l.* 2. *c.* 7. *n.* 45. Valent. *de caclib. c.* 2. *paulo post princ.* Desumunt hoc ex *can. presbyteris* 8. *dist.* 27. *c. a multis* 9. *vers. verum de diacon* 1. *in fin. qui cler. vel vov.* et Trid. *sess.* 24. *can.* 9. qui textus omnes legis ecclesiasticae expresse meminerunt, nulla mentione facta de voto.

29

Contra ex solo voto oriri obligationem istam contendunt Cajet. *in opusc. tom.* 1. *tr.* 27. *q. un.* §. *quoad secundum*; Valdens. *de sacramental. c.* 66. *n.* 2. Sot. *l.* 7. *de just. q.* 4. *art.* 2. *vers. de tertia propositione.* Bellarm. *contr. l.* 1. *de matr. c.* 21. *paulo post princ.* §. *impedimenta.* Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 12. *q.* 6. *et c.* 14. *q.* 10. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 27. *n.* 10. et plurimi alii ab hoc cit. Sumitur ex *c. cum olim* 6. *hoc tit. c. un. de vot. in* 6. *et extrav. antiquae Joan. XXII. eod.* ubi mentio fit voti in latina ecclesia annexi SS. Ordinibus: quod nunc quidem a suscipiente illos emittitur tacite, quod silentium ejus pro consensu reputetur *can.*

diaconus 1. *dist.* 27. *et can. diaconi* 8. *vers. quicunque. dist.* 28. olim vero praestabatur expresse *can. quanquam* 6. *dist.* 23. *can. quando* 3. *et can. praeterea* 7. *dist.* 28. Unde in hac sententia clericus in majoribus constitutus, si adversus castitatem peccet, committet sacrilegium, et licet ad matrimonium valide contrahendum absque justa causa a pont. dispensari possit (quia ordo sacer matrimonium contrahendum solum dirimit jure ecclesiastico) non tamen dispensari poterit, ut voto continentiae non ligetur, et licitus sit ei matrimonialis contractus.

30

Videtur controversia haec dirimi ope distinctionis posse: Vel enim clericus suscipiens sacrum ordinem scit ei annexum esse continentiae votum, vel hoc ignorat. *Si primum*, multum interest, an ita suscipiens adversus obligationem continentiae non protestetur, an vero in promotione expressam intentionem habeat non se obligandi ad continentiam; nam *in priori casu* adstringetur ad castitatem obligatione religionis ex voto, quod ita suscipiendo ordinem sacrum censetur tacite emisisse. *In posteriori* autem ad continentiam solum obligabitur ex constitutione ecclesiae, non vero ex voto; quia votum est lex privata, quam quispiam sibimet voluntarie ponit: cons. repugnat naturae voti, ejus obligatione adstringi aliquem, qui expressam intentionem habet non obligandi se voto.

31

Si vero secundum contingat, et suscipiens sacrum ordinem nesciat eidem annexum esse votum continentiae, videndum, an talis saltem sciat, se suscipere sacrum ordinem, vel etiam hoc ignoret; nam *si hoc posterius*, in foro externo quidem cogetur servare continentiam (quia ea ignorantia non praesumetur probabilis) in interno tamen continentiam servare non obligabitur, quod non susceperit sacrum ordinem voluntarie. *Si vero prius*, licet durante sua invincibili ignorantia, excusetur ab obligatione in actu 2. obligabitur tamen in actu 1. quia lex semel legitime promulgata omnes obligat. An vero is obligetur tali casu ex solo ecclesiae praecepto, an vero etiam ex voto, litigant inter se DD.; Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 14. *q.* 10. affirmat secundum, et id sibi valde placere asserit Sanch. *D.* 27. *cit. n.* 11. *in fin.* ex ratione, quia eo ipso, quod sciens, et volens SS. ordinibus initiatus sit, licet ignorarit votum annecti, emiserit votum tacite; qui enim unum sciens ac prudens efficit, et vult, efficit, et vult subinde ei annexa, sicut qui suscipit officium praetoris, suscipit etiam onera annexa officio praetoris.

32

Quaeritur 5. an ecclesia potuerit votum continentiae tacitum annectere SS. ordinibus? Ii, qui sordibus delectantur, ut plerique haeretici, negant id potuisse ecclesiam, quod matrimonium sit juris naturae, et propterea ab inferiori prohiberi non possit. Est tamen catholica sententia, ac propterea indubitata, quod ecclesia hoc potuerit; licet enim neminem cogere ad continentiam, quippe quae meri consilii est, ipsa possit, potest tamen sacro ordini apponere conditiones, et leges justas, quae isti statui competunt, et juxta quas vivere debet is, qui ordines vult suscipere.

Porro ad obligationem hanc inducendam multiplex causa movit ecclesiam. 1. Exemplum Christi, et apostolorum, ceterorumque ejus discipulorum, qui post vocationem suam non solum non duxerunt alias uxores, sed etiam ductas reliquerunt: quod exemplum secuti sunt omnes episcopi, et presbyteri ab iis ordinati; Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 3. 2. ut divina purius, ac sanctius tractarent; si enim in veteri testamento ministrantes Deo in sacrificiis, et panes propositionis comedentes sanctificari, i. e. ab uxoribus abstinere oportuit, quanto magis in nova lege ab iisdem, et omni immunditia abstinere decet eos, qui in sacrificio incruento immaculatam Deo hostiam offerunt, et sanctissimo Christi corpore, ac sanguine quotidie reficiuntur? 3. ut tanto liberius serviant Deo, et ad divina serio tractanda fierent expeditiores, quanto saecularibus negotiis, curis, et sollicitudinibus, quas uxores, et liberi creant, minus implicantur: 4. ut fidelibus laicis majori venerationi essent, eosque non verbo tantum, sed inculpatae etiam, sanctaeque conversationis exemplo abstraherent a vitiis, et ad virtutem pellicerent: 5. Denique ut redditus sibi ad ecclesia assignatos studerent impendere non ad dotandos, et ditandos liberos, sed ad exercendam in pauperes liberalitatem, et hospitalitatem in peregrinos.

33

Quaeritur 6. quae sit poena eorum, qui post susceptum libere sacrum ordinem, insuper habito voto continentiae, et praecepto illius, temere praesumunt uxores ducere? Resp. praeterquam quod matrimonium ita contractum invalidum sit, de jure canonico gravissimae in eos statutae poenae sunt, antiquo quidem; *tolet.* 8. *c.* 6, jubentur ejusmodi foeminae recludi in monasteriis, ut ibidem sub gravibus poenitentiae oneribus usque ad finem vitae degant; neocaesar. *c.* 1. Presbyterum uxorem ducentem deponi, fornicantem, vel adulterantem extra ecclesiam abjici, et inter laicos redigi ad poenitentiam mandat. Sed hae, et aliae juris antiqui poenae hodie exoleverunt, et loco illarum nunc

1. Clerici, qui in subdiaconatu, et aliis superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur, ad dimittendas illas, et poenitentiam de scelere commisso agendam per suspensionis, et excommunicationis sententiam compellendi sunt; *c. siqui* 1. *vers. sed si h. tit.* imo facto ipso excommunicationem incurrunt; *clem. un. de consang. et affinit.* a qua tamen, quia jure reservata non est, absolvi possunt ab episcopo; ut in *clem. cit.* notat gloss. *V. obtinere.* Barb. *ibid. n.* 24. Schamb. *hic n.* 2. Vvies. *n.* 22.

34

2. Fiunt irregulares, ut nec in susceptis ordinibus ministrare, nec ad altiores ascendere possint; *can. monachum* 32. *caus.* 27. *q.* 1. ibi, *nunquam ecclesiastici gradus officium sortiatur.* Potest tamen episcopus in ea irregularitate dispensare, ut patet ex *c. de diacono* 1. et *seq. qui cler. vel vov.* dummodo talis clericus doleat de peccato suo, et poenitentiam injunctam peragat, absitque scandalum aliorum; Barb. *in c.* 4. *h. tit. n.* 1. *Excipitur*, nisi cum vidua, vel corrupta contrahat; quia tunc contrahit irregularitatem bigamiae interpretativae, in qua episcopus dispensare potestate ordinaria nequit.

3. Reddantur suspecti de haeresi, ita, ut contra eos procedi possit per inquisitores sacri officii; Diaz. *pract. crim. canon. c.* 80. *n.* 3. Caesar. Panimoll. *decis.* 65. *n.* 6. Vivian. *in c.* 4. *h. tit.* Vvagn. *ibid. in exeg.* Konig *hic. num.* 6.

4. Incurrunt etiam poenam stupri, si virginem sub figura, et praetextu matrimonii violarint, quamvis verba de praesenti, et benedictiones praecesserint; Farin. *prax. q.* 138. *n.* 99. *cum citt.*

5. Denique beneficiis, si quae habent, privantur; *can. decernimus* 2. *can. de iis* 5. *can. praesbyter* 9. *dist.* 28. Sed hinc ulterius oritur

35

Quaestio 7. an clericus, in majoribus constitutus, si matrimonium defacto contrahat, privationem beneficiorum, quae habuit, incurrat ipso jure, an vero iis solum privandus sit per sententiam? *Prius* affirmant Abb. *in c.* 1. *h. cit. n.* 7. Ancharan. *ibid. n.* 2. Zabarell. *nu.* 2. Sylv. *V. clericus* 2. *n* 2. *vers. primo si contrahat*, Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 6. §. 3. *n.* 5. *prope finem*, Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 13. *q.* 6. *vers. sed quaestio est*, Farin. *prax. q.* 138. *n.* 98. Fundantur 1. quia talis clericus, quantum est in se, assumpsit statum incompatibilem cum beneficio, et cons. huic ipso facto renuntiasse censetur, ut dictum est *supra n.* 5. 2. Clericus ejusmodi, si post SS. ordines matrimonium ineat, contrahit bigamiam similitudinariam, et si prima mortua, ducat aliam, interpretative bigamus efficitur, licet propter talis matrimonii invaliditatem non sit vere bi-

gamus. Igitur etiam beneficio ipso facto privabitur, sicut illo ipso facto privatur clericus in minoribus constitutus, si valide contrahat matrimonium. 3. Si is, qui habet unum beneficium curatum, alterum curatum per vim accipiat, seu se in illud intrudat, licet adeptio secundi sit irrita, tamen ipso jure vacat primum, et amittitur; *c. eum qui* 18. *de praebend. in* 6. ubi ratio redditur, quia non decet, ut invasor melioris conditionis sit, quam is, qui juste accepit beneficium. Haec autem argumentatio similiter locum habet in clerico constituto in sacris, si matrimonium temere, et invalide praesumat contrahere. Igitur ne melioris conditionis sit, quam qui valide contrahunt matrimonium, sicut isti, ita et ipse beneficiis possessis ipso jure debet excidere.

36

Verum his non obstantibus, probabilius est, clericum in sacris constitutum, si matrimonium invalide contrahat, ipso jure beneficiis suis non privari. Ita gloss. *fin. in c.* 1. *h. tit.* Imol. *ibid. n.* 24. Abb. *n.* 7. Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 8. *n.* 17. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 42. *n.* 4. Less. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 115. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. *num.* 7. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 8. *n.* 14. Barbos. *de offic. episc. alleg.* 57. *n.* 207. Pirh. *hic n.* 13. Schambog. *n.* 10. Konig *num.* 7. Vviest. *n.* 24. et colligitur ex *c. siqui* 1. *h. tit.* ubi Alexander III. discrimen statuit inter clericos majorum, et inter clericos minorum ordinum: et *primos* quidem, si matrimonium inierint, jubet compelli ad beneficia sua relinquenda; *posteriores* autem solum dicit per suspensionis, vel etiam excommunicationis censuras cogendos ad dimittendas uxores sic ductas, et poenitentiam agendam: atqui frustra esset suspensionis censura, si beneficium ipso jure fuisset amissum; nam suspensio supponit habitum: ergo etc. *Conf.* si clericus in SS. ordinibus existens, et ducens uxorem ipso jure privatus esset beneficiis, tunc vel iis privatus esset per assumptionem status incompatibilis, adeoque propter tacitam renuntiationem, vel in poenam delicti. *Non primum*; quia cum matrimonium sit irritum, illud contrahens non potest vere dici assumpsisse statum incompatibilem cum beneficio; non *secundum*; quia talis constitutio poenalis in proposito casu non extat: ergo etc.

37

Ex hoc patet *ad* 1. et sequitur, quod ita contrahens non renuntiaverit beneficio suo absolute, et voluntate efficaci; voluntas enim, et conatus inefficax, cum de contrahendis poenis, et impedimentis agitur, pro facto non habentur, nisi in jure expressum sit; Sperell. *decis.* 137. *a n.* 29. Pirh. *hic n.* 19. Vviest. *n.* 24. *Ad* 2. quod bigamia similitudinaria contrahatur a clerico, matrimonium

defacto, et invalide contrahente, habetur expressum jure; quod vero clericus, in majoribus constitutus, ipso jure amittat beneficia, si matrimonium defacto, et invalide contrahat, nuspiam est jure expressum. *Ad* 3. leges poenales, etiam ob paritatem rationis extendi ad diversos casus non debent, nisi necessitas cogat, quod nimirum alias iniquitas, aut contradictio jurium, aut aliud absurdum sequeretur: tale autem nihil sequitur in nostro casu, sed potius omnia jura clamant, id, quod nullum est, nullum producere defectum.

§. III.

De privilegio clericali in ordine ad clericos conjugatos.

SUMMARIUM

35 *Clerici in majoribus constituti matrimonium de facto contrahendo adhuc gaudent privilegiis clericalibus.*

39 *Constituti in minoribus tantum tunc, quando conditiones a trid. praescriptas servant.*

40 *Referuntur hae conditiones.*

41 42 43 *His instructi privilegio fori gaudent solum in criminalibus.*

44 *Apprehendere tamen illos, et incarcerare judex secularis super causa civili nequit.*

45 *Privilegium canonis et fori non amittunt exercendo negotiationem alias prohibitam clericis.*

46 *Amissum recuperant iterum vivendo clericaliter.*

47 *Etiam matrimonio nondum soluto.*

48 *Delictum a clerico commissum ante depositionem habitus pertinet ad forum ecclesiasticum.*

38

Quaeritur 1. utrum clericus conjugatus adhuc gaudeat privilegiis clericalibus? Resp. distinguendum hic esse inter clericos majorum, et minorum ordinum. *In majoribus ordinibus constituti* vel contrahunt matrimonium invalide, et defacto tantum, vel illud contrahunt valide, quia cum iisdem est dispensatum. *Si primum*, nullum amittunt privilegium ipso jure, sed potius dimissis uxoribus ita ductis, coguntur redire ad clericatum; *c. siqui* 1. *h. tit. Si secundum*, ita contrahens privilegia clericalia perdit; quia non amplius habetur pro clerico, sed abstrahitur omnino, et deponitur a statu clericali, ut notat Vall. *hic* §. *n.* 6.

39

Clerici in minoribus ordinibus constituti, quamdiu uxoribus suis cohabitant, solum gaudent privilegio canonis, et fori, si tamen

conditiones a Trid. praescriptas habent ; ceteris vero privilegiis clericalibus exuuntur : hinc non minus , ac alii laici ad tributa , collectas , vectigalia , gabellas , aliasque exactiones saeculari magistratui solvendas obligantur; *c. ex parte* 9. *h. tit.* quia quoad haec habentur ut laici; *c. Joannes* 7. *eod.*

Dixi autem , *quamdiu uxoribus suis cohabitant* ; nam, ut recte Vall. *hic* §. 3. *n.* 5. monet , si clericus conjugatus cum una , et virgine separetur ab uxore communi consensu , et legitimo modo ordinetur , immunitate clericali gaudebit ex integro perinde, ac ceteri non conjugati ; quia talis reputatur ab ecclesia non tanquam conjugatus , sed tanquam viduus continens , et civili quodam modo quoad usum, et societatem matrimonii, uxor illi quasi mortua censetur.

40

Addidi , *si tamen conditiones a trid. requisitas habent* ; nam si istas non habeant , etiam privilegio canonis, et fori privabuntur. Sunt autem conditiones a Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* requisitae sequentes 1. ut contraxerint cum una , eaque virgine. 2. Ut habitum , et tonsuram deferant. 3. Ut alicui ecclesiae ex episcopi deputatione serviant. Debent autem haec omnia simul concurrere ; nam unico ex his deficiente , etiam istis privantur, ut habetur *c. Joannes cit. Proceditque hoc* etiam citra admonitionem , vel declarationem judicis ; quia ista privatio non imponitur ut delicti poena, sed ob defectum conditionis requisitae. Hinc ut liberrimum hujusmodi clericis est gestare habitum et tonsuram , ita in arbitrio eorundem est gaudere , vel non gaudere his privilegiis ; neque enim compelli ab episcopo possunt , ut tanquam clerici incedant; *c. Joannes cit. Excipe* , nisi ex dispensatione pontificis officium , et beneficium ecclesiasticum habere permittantur ; tunc enim jure compelli possent ad habitum, et tonsuram clericalem ferendam; *c. cit.*

41

Quaeritur 2. in quibus causis privilegio fori gaudeant clerici conjugati , conditionibus supra positis instructi ? an in criminalibus solum , an etiam in civilibus ? In utrisque eos gaudere hoc privilegio , defendunt Franc. *in c. un.* §. *cum n.* 4. *h. tit. in* 6. Riccius *p.* 4. *decis. Neapol. cur.* 330. *n.* 5. Bona. *de censur. in bull. cen. D.* 1. *q.* 16. *p.* 3. *n.* 3. et probabile affirmat Barbos. *alleg.* 12. *n.* 25. dubitat Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 43. *in fin.* Nituntur 1. textu *c. un. cit.* ubi postquam dictum est , *non posse hujusmodi clericos trahi ad judicium saeculare , sive criminaliter , sive civiliter* , subditur , *sive etiam pecunialiter nullatenus condemnari* : quae verba ne otiosa sint , videntur intelligi debere de causis mere civilibus ; nam de criminalibus jam ante dictum est. 2. *Dicto cap.* adduntur

verba, *pro commissis ab eis excessibus*. Atqui verba haec comprehendunt etiam illum, qui contrahendo promisit aliquid, et promissum non implet; is enim vere excessum committit, ob quem convenitur. 3. concilium parisiense relatum *c. nullo* 2. *de for. compet.* absolute prohibet judicibus saecularibus quemcunque clericum condemnare, nec distinguit inter causas civiles, et criminales, inter clericos non conjugatos, et conjugatos. Igitur etiam ad hos extendi debet dispositio illius, nisi per aliud jus recentius sit correcta: non est autem correcta; quia *c. un. cit.* quod prima facie aliquam ejus correctionem videtur continere, potius est ejusdem declaratio, ut patet ex ejusdem verbis, *et cum juxta concilium parisiense nullus clericus distringi, aut condemnari debeat a judice saeculari, praesenti declaramus edicto*. Neque obstat, quod *c. un. cit.* videatur strictius loqui; quia juxta regulam, quae sumitur ex *Clem.* 7. et ibi gloss. *V. de consuetudine de elect.* constitutio declarans debet recipere omnes interpretationes, quas recipiebat constitutio declarata; ergo etc. 4. *trid. sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* clericos conjugatos clericis non conjugatis voluit esse pares in illis requisitis: ergo similiter gaudent privilegiis. 5. Alias melior esset conditio clerici conjugati delinquentis, et per furtum v. g. acquirentis, quam innocentis, qui accepit ex mutuo; hic enim potest coram judice saeculari conveniri, non item prior.

42

Sed his non obstantibus communior et juris rigore attento, verior sententia DD. habet, hujusmodi clericos conjugatos in solis criminalibus causis, sive criminaliter, sive civiliter intententur, gaudere privilegio fori ecclesiastici. Ita Joan. Andr. *in c. un. cit. n.* 2. Anchar. *ibid. not.* 4. Abb. *in c. Joannes* 7. *h. tit. n.* 3. Imol. *ibid. n.* 4. *et in c. ex parte* 9. *eod. n.* 3. Sylv. *V. clericus* 1. *q.* 6. Covarr. *pract. c.* 31. *n.* 6. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 14. *q.* 16. *vers. si tertio quaeras*, Suar. *defens. fid. l.* 4. *c.* 28. *n.* 2. Farin. *prax p.* 8. *n.* 7. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 46. *n.* 22. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 8. *n.* 5. Barbos. *de offic. episc. alleg.* 12. *n.* 25. Lauren. *for. benef. p.* 1. *s.* 2. *c.* 2. *q.* 307. Gonzal. *in c.* 9. *h. tit. n.* 3. Vall. *hic* §. 3. *n.* 1. Zoes. *n.* 21. Vviest. *n.* 12. et ita declarasse s. congr. concil. referunt Fagn. *in c. proposuisti n.* 28. *de for. compet.* et Barbos. *in c.* 6. *trid. cit. n.* 44. Colligitur ex *c. un. cit.* ubi expresse habetur ejusmodi clericos trahi non posse ad judicium saeculare pro delictis ab eis commissis, et additur, in ceteris nullo eos gaudere privilegio. *Ratio*, ob quam pontifex solas causas criminales excepit fuit, ut consuleret honori, et reverentiae ordinis clericalis; indecentius autem est in causa criminali, in qua agitur ad vindictam publicam, clericum subdi foro

saeculari, quam in causa civili, in qua agitur de restitutione debiti. *Excipitur,* nisi alicubi sit consuetudo, ut hujusmodi clerici sint exempti etiam in causis mere civilibus, ut est in regno neapolitano. Passerin. *in c. un. cit. n.* 43.

43

Neque obstant rationes, et fundamenta adversariorum. *Ad* 1. verba illa otiosa non sunt, sed adduntur declarationis causa; poterat enim dubitari, utrum non judex saecularis clericum pro delicto condemnare possit pecunialiter: quod dubium tollitur per verba *cit.* ut adeo sensus illorum sit, hujusmodi clericos pro delictis a judice saeculari ne quidem mulctari posse pecunia: quem sensum satis indicat in *c. cit.* adjecta ratio, *ne per unam viam concedatur iisdem judicibus, quod per aliam denegatur*; quae ratio nequaquam stringeret, si vox *pecunialiter* accipi deberet in ordine ad causas civiles. *Ad* 2. licet is, qui contractum non implet, committat peccatum, non tamen proprie committit delictum, vel excessum; excessus enim, et delictum proprie appellantur in causa criminali, quae ex se ad vindictam publicam tendit; Sanch. *D.* 46. *cit. n.* 24. *Ad* 3. *c. un. cit.* non tantum est declaratio concilii parisiensis, sed simul generalitatem ejus restringit, ita, ut sensus ejusdem sit; *etsi concilium parisiense indistincte statuerit, nullum clericum subdi foro judicis saecularis; at quoad clericum conjugatum declaramus id solum accipiendum esse imposterum in criminalibus*; Sanch. *l. cit. Ad* 4. etsi concil. Trid. clericos conjugatos pares esse voluerit in requisitis, noluit tamen pares esse in privilegiis; quod ex eo colligitur; quia respectu illorum innovat constitutionem *c. un. cit. Ad* 5. ratio discriminis, ut dictum est, fuit decentia, et honor status clericalis, cui voluit pontifex hoc modo consulere.

44

Quaeritur 3. an sicut judex saecularis juxta dicta causas mere civiles clericorum conjugatorum potest cognoscere, ita etiam super iisdem possit illos capere, et in carcerem conjicere? Non conveniunt patroni proxime confirmatae sententiae. Affirmat Sanch. *l.* 7. *de mat. D.* 46. *n.* 23. cum Montalv. Covar. Gutier. ex ratione, quia si aliquid obstaret, quo minus in causa mere civili clericus conjugatus a judice saeculari capi, et incarcerari posset, obstaret privilegium canonis, quo gaudet hujusmodi clericus, et quo sub poena excommunicationis prohibetur, ne violentae manus injiciantur clericis: atqui hoc non obstat; nam manus istae non possunt dici violentae, sed potius justae, utpote cum in ea causa saecularis sit judex competens.

Negativam tamen communius defendunt DD. et inter hos Anch. *in c. un. h. tit. n.* 4. *not.* 4. Franc. *ibid.* §. *et cum n.* 2. Sylv. *V.*

clericus 1. *q.* 6· Farin. *q.* 8. *n.* 7. et sic declaratum a S. C. card. Conc. testis est Fag. *in c. proposuisti n.* 28. *de for. comp.* et Passer. *in c. un. cit. n.* 44. ob cujus declarationis authoritatem judico posteriorem istam probabiliorem. *Confirmari* potest congrua hac ratione ; quia de jure communi personae clericorum sunt exemptae a jurisdictione laicorum, neque per hoc, quod ss. canones eos judici saeculari subdiderint in causis realibus, et mere civilibus, etiam subdiderunt ipsorum personam, ut illam possint distringere.

45

Quaeritur 4. an clericus conjugatus, servans omnes conditiones requisitas, amittat privilegium canonis, et fori, si negotiationibus vacet? Affirmant Jo. Andr. *in c. un. h. t. in* 6. *n.* 3. Clar. §. *fin. q.* 36. *n.* 12. Far. *prax. q.* 8. *n.* 93. et alii apud Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 46. *n.* 25. Videtur sumi ex *c. Joannes* 7. *h. t.* ubi dicitur, quod tonsura illius, qui saecularia negotia exercet, videatur in ministerii, sive status clericalis vituperium, seu opprobrium redundare.

Sed verius, et probabilius est non amittere. Ita Franc. *in c. un. cit.* §. *et cum n.* 5. Anch. *ibid. n.* 2. *not.* 2. Sylv. *V. clericus* 3. *q.* 3. Covar. *prac. qq. c.* 31. *n.* 8. *vers. sexto*, Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c. ult. q. fin. vers. si iterum.* Sanc. *D.* 46. *cit. n.* 26. Vall. *hic* §. 3. *n.* 6. Pirh. *n.* 32. *Ratio est*, quia nuspiam in jure canonico reperitur expressum, quod clerici conjugati non possint exercere licite negotiationem honestam victus causa.

Neque obstat *c. Joannes cit.* ibi enim sermo est de clericis non conjugatis, in quibus dispar est ratio, nam isti cum statum clericalem et conversationem absolute profiteantur, indecens est, si saecularibus negotiis, etiam alias licitis, et honestis, se immisceant : at non ita indecens est, ut clerici conjugati, quippe qui magis accedunt ad statum laicorum, quam clericorum, hujusmodi negotiis operam dent.

46

Quaeritur 5. an clericus in minoribus, qui matrimonium contraxit cum una, et virgine, si tonsuram, et vestes clericales, quas deposuerat, mortua uxore reassumat, et iterum incipiat vivere clericaliter, privilegia clericalia amissa recuperet? Resp. affirmative, modo conditiones a trid. requisitas omnes observet. Ita Abb. *in c. clericus* 6. *de vit. et honest. n.* 4. Covar. *prac. qq. c.* 31. *n.* 8. *vers.* 5. *in fin.* Clar. § *fin. q.* 36. *n.* 18. Barb. *in l. Titia* 35. *ff. solut. matrim. n.* 33. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c. ult. q. fin. vers. ultimo si quaeras*, San. *D.* 46. *cit. n.* 30. Passer. *in c. un. cit. n.* 33. *et* 46. Vall. *hic* §. 3. *n.* 5. Zoes. *n.* 21. Pirh. *n.* 31.

Ratio est, quia privatio ista privilegiorum clerico in minoribus constituto, uxorem virginem ducenti, non est injuncta in poenam per

modum alicujus depositionis, sed ideo, quod alium statum incompatibilem, et clericatui repugnantem assumpserit. Igitur soluto matrimonio, adeoque impedimento remoto, privilegia redire poterunt, cum fundamentum eorum, nempe ordo clericalis, remanserit.

Neque obstat *regul. quod semel placuit* 21. *in* 6. aliique textus, qui in contrarium afferri solent; nam tantum procedent, quando privilegia clericalia sunt omnino extincta, ut si clericus bigamus fiat, non autem, quando solum suspensa sunt, dum habitus, et tonsura non reassumitur.

47

Quaeritur 6. an privilegia, clericis conjugatis competentia, recuperet etiam, quando matrimonium nondum solutum est per mortem uxoris, si habitum, et tonsuram reassumat, et de episcopi deputatione alicui ecclesiae deserviat? Resp. probabilius recuperaturum. Ita glos. *in clem.* 1. *V. quamdiu de vit. et hon.* Clar. §. *fin. q.* 36. *n.* 15. Farin. *prax. q.* 8. *n.* 66. Passer. *in c. un. h. t. in* 6- *n.* 30. *et* 44. Barb. *alleg.* 12. *n.* 28. *etc.* et colligitur 1. ex *c. un. cit. ib. Eos gaudere nolumus privilegio clericali*, quae verba indicant, tales clericos privari privilegiis solum quoad eorum usum, et exercitium, non autem quoad proprietatem: ergo reassumpto habito, et tonsura, tanquam sublata causa privationis, iis fruentur iterum. 2. Ex *c. clericus* 6. *de cit. et honest.* ubi de clerico, qui dimissa tonsura, uxorem duxerat, dicitur, ut iterum tondeatur. Non autem in alium finem retonderi jubetur, nisi ut recuperet privilegium canonis, et fori. 3. *a pari*; nam clericus macellarius, aut tabernarius privilegio clericali privatur, quamdiu iisdem officiis insliterit, ut dicitur *clem.* 1. *de vit. et honest.* igitur ut isti, ita et conjugati recuperabunt privilegium canonis et fori, si iterum clericaliter vivant.

Excipitur, si talis clericus habitum, et tonsuram reassumpsisset in fraudem, ut si postquam patravit delictum, et propter illud a magistratu saeculari jam est captus habitum reassumeret; nam eo casu reassumptio illum non juvaret; Imol. *in c. Joan.* 7. *h. t. n.* 17. *in fin.* Fag. *ibid. n.* 6. Passer. *in c. un. cit. n.* 31. estque teste Fag. *l. cit.* decisum a S. Congr.

48

Quaeritur 7. an clericus, si ante conjugium deliquit, post conjugium autem habitum, et tonsuram non deferat, respectu illius delicti gaudeat privilegio fori? Resp. gaudere etiam in casu, quo omnino postea privaretur privilegiis clericorum, ut in specie *c. un. de bigam. in* 6. Sanc. *D.* 46- *cit. n.* 4. Passer. *in c. un. cit. n.* 19. Zoes. *hic n.* 23. Pirh. *ib. n.* 28. *vers. infertur secundo.* Ratio est, quia

quoad fori competentiam attendi debet tempus, quo delictum est commissum; *arg. l.* 1. *ff. de poenis.*

Neque obstat, quod *c. un. cit.* bigami dicantur nudari omni privilegio clericali; nam hoc tantum intelligendum est quoad delicta postea commissa, non vero praecedentia; Barb. *ad l. Titia* 55. *ff. sol. matr. n.* 33.

TITULUS IV.

De clericis non residentibus in ecclesia, vel praebenda.

Ad vitae honestatem, quae in clericis desideratur, pertinet non tantum, ut in victu, vestitu, et conversatione decenter se habeant, foeminarum commercia fugiant, caste, et continenter vivant, de quibus titulis praecedentibus actum est; sed etiam, ut in iisdem ecclesiis, ac titulis beneficiorum suorum resideant, et officium ratione beneficii debitum praestent. Hinc merito ad priores titulos praesens de residentia cleri corum jungitur.

§. I.

De obligatione ad residentiam

SUMMARIUM

1 2 3 *Residentiae clericalis definitio.*
4 5 *Obligat ad exercendos actus annexos beneficio.*
6 *Alia vera est, alia falsa.*
7 8 9 *Jure communi spectato ad eam obligantur omnes obtinentes beneficium aliquod.*
10 11 12 *Locus, ubi quisque residere debeat.*
13 14 15 16 *Tempus, quo obligantur residere.*
17 18 19 *Ad absentiam etiam duorum mensium parochis necessaria est licentia episcopi.*
20 21 *Quanto tempore residere in qualibet debeat, qui in diversis ecclesiis duos habet canonicatus.*
22 23 24 *An in canonicatu suo residere debeat episcopus, quem ex dispensatione in alia ecclesia obtinet?*

1

Quaeritur 1. quid sit *residentia? Resp. Est mansio, seu commoratio assidua in ecclesia, seu loco beneficii, causa servitii ecclesiastici personaliter praestandi.* Ita quoad rem omnes, et in his Laym.

l. 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 1. Illusung *r.* 5. *D.* 2. *n.* 209. Vall. *hic n.* 1. Zoes. *n.* 1. Pirh. *n.* 1. Konig *n.* 1. Vvies. *n.* 1.

Dixi 1. *mansio, seu commoratio assidua.* Nam, ut recte notat P. Vvies. *l. cit.* spectato jure communi, non sufficit, ut beneficiarius in loco beneficii resideat per intervalla, sed residentia debet esse assidua. quod intellige, non physice, quasi nunquam possit abesse a loco beneficii, sed moraliter. Et hinc licet aliquoties, aut etiam saepius, nec sine culpa a divinis absit, modo potissima ex parte anni, et fere semper in loco beneficii maneat in choro et capitulo interdum, praesertim cum vocatur, et auxilio illius opus est, se sistat, horasque canonicas privatim recitet, fructus grossos jam lucratur, licet non distributiones quotidianas respondentes tempori absentiae; Vviest. *l. cit. n.* 2. *Ratio est*, quia qui aliquantisper tantum absunt, ex canonum doctrina abesse non videntur, quia statim reversuri sunt; *arg. l. divortium* 3. *ff. de divort. ibi si brevi reversa uxor est, nec divortisse videtur.*

2

Dixi 2. *in loco beneficii.* Ita residere dicitur episcopus, si commoretur in ecclesia sua cathedrali, vel saltem in dioecesi; canonicus, si cathedrali, vel collegiatae suae ita adsit, ut in dies per seipsum inservire et divino officio interesse possit; parochus, si in domo sua parochiali, vel si talem non habet, intra fines parochiae suae habitet; Fagn. *in c.* 30. *de praeb. n.* 12. Leo *thes. for. eccl. p.* 2. *n.* 18. Pignat. *tom.* 7. *consult.* 4. *n.* 8. Proceditque hoc, etiamsi major pars populi longe ab ecclesia degat, et minor prope, adhuc enim parocus habitare debet prope ecclesiam suam parochialem, ut notat Barb. *ad Trid. sess.* 23. *c.* 1. *de reform. n.* 46. cum aliis. *Excipitur,* si domus alia, e. g. paterna, vel cognatorum, ita propinqua foret, ut ex illa ipse administrationi sacramentorum, et ceteris curae indigentiis praesto esse possit aeque bene, acsi in domo parochiali habitaret; nam in hac si degeret, sciente et tacente episcopo, tutus foret in conscientia; Leuren. *for. eccl. p.* 1. *q.* 371. *n.* 1.

3

Dixi 3. *causa servitii ecclesiastici*; nam si clericus personaliter quidem moretur, seu versetur in loco beneficii sui, officium, propter quod datur beneficium, nunquam praestet, e. g. canonicus ad chorum, vel capitulum nunquam veniat, non censetur residere; quia frustranea est ejus residentia, quippe quae fine, et effectu suo omnino caret; Sylv. *V. residentia princ.* Ex quo sequitur, ejusmodi canonicum, salva conscientia, etiam non posse percipere fructus ratione residentiae competentes.

4

Dixi 4. *personaliter praestandi*; ex quo solvitur, quod solet. Quaeritur 2. an satisfaciat obligationi suae beneficiarius, si in in loco beneficii quidem resideat, sed actus beneficio annexos exerceat solum per alios? Resp. non satisfacere; nam residentia proprie dicta laboriosa est, non otiosa, ut colligitur ex *c. relatum* 4. *et c. conquerente* 6. *h. tit.* et notat Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 3. Barb. *de offic. episc. alleg.* 53. *n.* 20. Vviest. *hic n.* 2. *Neque obstat*, quod alias per communem juris regulam quisque facere per alium possit, quod per seipsum potest; nam regula haec solum procedit, quando non est electa industria personae: non vero, si haec electa sit, sicut electa intelligitur in collatione beneficii; *c. is cui* 12. *de offic. deleg. in* 6. tunc enim requiritur opera personae constitutae, non alterius, et qui actum, ad quem obligatur, praestat per alterum, non satisfacit; quia opera unius non est opera alterius; *l. si non sortem* 26. §. *libertus* 12. *ff. de condict. in lebit.* ergo etc.

Hinc, ut parochus satisfaciat obligationi suae, non sufficit, si actus ministerii sui exerceat per capellanos, vel vicarios suos, sed necessarium omnino est, ut ad minimum aliquoties, et maxime, si parochiani postulaverint, per seipsum curam animarum peragat, et sacramenta administret, ut colligitur ex *c. relatum cit. c. extirpandae* 30. §. *qui vero de praeb.* et Trid. *sess.* 23. *c. de reform* dum inculcans debitum pastoralis curae inculcat residentiam, qua pascat, et regat.

5

Idem dicendum etiam de canonicis tum cathedralium, tum collegiatarum ecclesiarum; nam etiam hi, ut debitum officii sui expleant, non tantum in loco ecclesiae suae residere debent materialiter, sed horas etiam frequentare, imo, spectato jure communi, etiam psallere per seipsos debent, ut infra *n.* 81. dicetur. Dixi *spectato jure communi*; non enim damnanda est consuetudo, qua canonici, modo in choro praesentes sint, pro residentibus, et praesentibus habentur, licet non per se, sed per substitutos vicarios psallant; Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 2. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 185. Zypaeus *hic n.* 28. Pirh. *n.* 6. Vviest. *n.* 3. *Ratio est,* quia decantatio, praesertim si figurata sit, sic magis decens, et accurata est, cum ipsi canonici plerumque aut nesciant canere, aut male canant.

6

Quaeritur 3. quotuplex sit residentia, et obligatio residendi? Resp. Residentia duplex est, vera, et ficta. *Vera est*, quando beneficiarius vere, et realiter praesens est in loco beneficii, et per seipsum, seu personaliter exercet officium, seu ministerium spiri-

tuale, propter quod datur beneficium. *Ficta* dicitur, quando absens a loco beneficii fictione juris habetur pro praesente, saltem in ordine ad lucrandos fructus grossos, vel etiam distributiones quotidianas; Barb. *ad rubric. h. tit.* Pirh. *hic n.* 2. Konig *n.* 2.

Obligatio residendi et ipsa duplex est, ut ex Innoc. *c. fin. h. tit.* notat Navar. *l.* 3. *cons.* 4. *n.* 4. *in* 2. *edit.* Laym. *n.* 2. Pirh. *l. cit. Una est* solum ad lucrandos fructus; nam in multis ecclesiis canonici, seu capitulares ad residendum simpliciter non obligantur, sed tantum sub conditione, si velint lucrari fructus: quo casu si non resideant, etsi fructus percipere ex beneficio nequeant, non tamen peccant, neque per hoc privantur voce activa, vel passiva in electionibus, et aliis actibus. *Altera*, eaque strictior, et magis propria necessitas residendi est, ad praestandum servitium ecclesiae, et quidem personaliter, ut *n. praec.* dictum est, non per alios, maxime si beneficium curatum fuerit; videtur enim electa industria personae, quae, ut ibi dictum, per alium non suppletur: unde consuetudo sub annuo censu committendi aliis ecclesias dicitur enormis, et improbatur *c. quoniam* 3. *ne praelat. vic. suas etc.*

7

1. Quaeritur 4. quinam obligentur ad personalem residentiam in suis ecclesiis? Resp. Jure communi spectato, ad residentiam personalem obligantur omnes obtinentes beneficium aliquod. Et imprimis quidem patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi, abbates, praepositi, priores, parochi, et alii curati *c. ex gestis* 2. *et c. quia nonnulli* 3. *h. tit.* estque statutum in Trid. *sess.* 6. *cap.* 1. *et sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Ratio est, quia pastor gregi suo invigilare debet, cumque pascere, et regere, non illum committere alteri mercenario.

2. Omnes, qui dignitatem, seu personatum, administrationem, vel officium in aliqua ecclesia obtinent. Sumitur ex textibus *cit.* Ratio est, quia ad ecclesiae cujusque necessitatem, ac decorem spectat, ut non destituatur praesentia illarum personarum, quibus collatae sunt dignitates, seu personatus, ut recte advertit Pirh. *hic n.* 3.

3. Canonici cathedralium, et collegiatarum ecclesiarum, et quicumque in his praebendam, vel portionem habent; *c. cum ad hoc* 16. *h. tit.* et Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *V. praeterea de reform.*

4. Obtinentes alia beneficia, etiam simplicia tantum; *c. quia nonnulli cit. c. conquerente* 6. *h. tit. c. adhaec.* 13. *de praebend.* Ratio est, quia etiam simplex beneficium datur propter ministerium, et officium ecclesiasticum.

8

Dixi autem, *jure communi spectato;* nam consuetudine hic rigor juris quoad canonicatus, et beneficia simplicia non parum diminutus est : quoad canonicatus quidem ; quia defacto in multis ecclesiis, praesertim Germaniae nostrae, canonici tantum medio anno, alibi tribus solum mensibus , in quibusdam uno certo die v. g. S. Michaelis residere tenentur , quo tempore , si divinis intersint , lucrantur reditus totius anni; Garc. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *n.* 330. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 2. Leuren. *for. benef. p.* 3. *q.* 110. *n.* 2. *fin.* Illsunh. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 209. Engl. *hic* §. 2. *n.* 8. *vers. si igitur*, Pirh. *ibid. n.* 6.

Quoad beneficia cetera simplicia autem consuetudo passim obtinuit, ut in multis eorum non resideatur, sed beneficiatus, v. g. capellanus ad tria sacra in capella hebdomadatim dicenda obligatus , nisi fundatio, statutum, vel specialis usus aliud exigat , obligationi huic per alium satisfacere queat, prout cum aliis recte advertit Garc. *l. cit. a n.* 3. *qui n.* 8. addit, ita fuisse resolutum a sacr. congr.

9

Addidi, *omnes obtinentes beneficium* ; quod nomen , cum hic versemur in materia odiosa, utpote obligationem imponente, stricte accipi debet , et non extendendum est ad clericos , habentes solum praestimonia, h. e. quasi stipendia temporalia , quae subsidii loco v. g. ad studia prosequenda dantur ; nam hi , licet ad horas canonicas , vel officium B. V. privatim recitandum obligentur , ut in ecclesia tamen , unde praestimonia ista habent, residere per se non tenentur, nec illi deservire vel per se, vel per vicarium ; Garc. *c.* 2. *cit. n.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 6. *n.* 2. Laym. *c.* 6. *cit. n.* 2. Vall. *hic n.* 2 Zoes. *n.* 3. Pirh. *n.* 9. Vviest. *n.* 6. Et ratio est, quia cum haec praestimonia ex sua institutione non videantur habere ullum servitium annexum , praeter lectionem horarum , non videntur quoque requirere residentiam.

10

Quaeritur 5. quo in loco beneficiarius residere debeat, ut obligationi residendi satisfaciat ? Constat ex *n.* 1. *et* 2. residentiam debere esse in loco beneficii. Consequenter 1. episcopus residere tenetur in sua ecclesia cathedrali, seu in civitate, in qua ecclesiam suam cathedralem habet, ut decretum fuit Conc. Cartag. 5. *cap.* 5. de quo *can. placuit* 21. *caus.* 7. *quaest.* 1. his verbis, *placuit , ut nemini sit facultas , relicta principali cathedra, ad aliquam ecclesiam in dioecesi constitutam se conferre, nisi*, ut ait glossa, *causa visitandi. Excipitur* , quando vel causa rationabilis , vel specialis dioecesium consuetudo suaserit, ut resideant extra civitatem episcopalem in loco vicino ,

prout archiepiscopi, et electores colonienses residere solent Bonnae, Trevirenses Hesmanstainii, vel Confluentiae, episcopi Constantienses Marisburgi, Augustani Dilingae etc.

11

2. Parochus tenetur habitare in aedibus parochialibus; vel si propriam domum non habeat, debet aliquam conducere, saltem intra limites parochiae ex declaratione Sac. Congr. Card. apud Fag. *in c.* 30. *de praeb. n.* 12. Ex quo sequitur, non satisfacere, si in vicino aliquo oppido moretur, et singulis diebus festis, ac dominicis ad parochiam suam excurrat, ut bene notat, et declaratione card. firmat Garz. *p.* 3. *de benef. cap.* 2. 179. Proceditque hoc, ut idem Garc. *l. cit.* monet, etiamsi diebus ferialibus abesset causa docendi. *Excipit* Pignat. *to.* 7. *consult.* 4. *n.* 18. si parochia sit tenuis, et paucarum animarum; nam in hujus parocho ait tolerari posse, si non resideat in parochia, quousque per unionem simplicis alicujus beneficii, vel alio modo suppleatur ejus congrua, dummodo accedat illuc ad celebrandum diebus festis, et quando vocabitur pro sacramentorum administratione: si tamen episcopus nolit tolerare, parochus tenebitur obedire, ut a *s. congr. super episc.* 10. *Jan.* 579. decisum refert Pignat. *l. cit.*

12

3. Casu, quo unus, idemque clericus duo beneficia ad residentiam obligantia obtinet, distinguendum est, an unum alteri annexum sit per unionem et incorporationem, an vero citra istam clericus illa ex pontificis dispensatione obtineat. *Si primum*, residere personaliter debet in majori, et principali ecclesia; in altera vero ecclesia, quae ipsi accessorie unita est, etsi parochialis sit, sufficiet si eidem deserviat per vicarium; *cap. extirpandae* 30. §. *qui vero de praeb.* Barb. *ad trid. ses*, 22. *cap.* 3. *de refor. in* 6. Pirh. *tit. de praeb. n.* 39. Konig *hic n.* 11. Ratio est, quia accessorium sequitur naturam principalis, et sic canonicatus, seu praebenda canonicalis fit dignior beneficio curato sic annexo. *Si secundum*, considerandum, an utrumque beneficium sit curatum, vel utrumque simplex, vel unum curatum, alterum simplex. *Si curatum unum, alterum simplex est*, residere in curato debet; quia hoc casu non tam dignitatis beneficii, quam necessitatis animarum ratio est habenda ex *const. Pii V.* quae incipit, *cupientes*, *edita idibus julii* 1568. Garc. *p.* 12. *de benef. cap.* 2. *n.* 40. Barb. *de offic. episc. alleg.* 53. *n.* 83. Pirh. *de praebend. n.* 39. Konig *hic n.* 12. Vvies. *ib. n.* 13. Si utrumque curatum, vel utrumque simplex est, residere debet in digniore, aut si dignitas sit aequalis in frequentiore: si vero etiam frequentia utriusque par, sed unum in civitate, alterum extra illam situm sit, in ci-

vitate potius, quam extra hanc residere debet; Garc. *p.* 3. *de benef. cap.* 2. *n.* 179. Pal. *tr.* 13. *D.* 5. *p.* 2. *n.* 2. Barb. *alleg. cit. n.* 73. In dubio de frequentia, et dignitate tam beneficii, quam loci in quo situm est, in arbitrio beneficiati erit, residere, ubi voluerit, ut cum *cit.* notat Pignat. *to.* 7. *cons.* 4. *n.* 20.

13

Quaeritur 6. ad quod tempus episcopi, parochi, et alii clerici ab ecclesiis suis licite abesse possint? Resp. 1. episcopi sine gravi causa, ex aequa tamen, et si sine detrimento gregis, id fieri possit, singulis annis, sive continue, sive interrupte, a suis ecclesiis cathedralibus abesse possunt ad duos, vel summum ad tres menses, prout declaravit S. Synodus Trid. *ses.* 23. *cap.* 1. *vers. quoniam autem de refor.* ubi duo adjungit: *unum* est, ut praesentes esse curent festis anni solemnioribus, sc. adventus, quadragesimae, nativitatis, paschatis, pentecostes, et corporis Christi, nisi episcopalia munia in sua dioecesi eos alio vocent; quia tamen laudata synodus ad praesentiam his diebus episcopos solum hortatur, et monet, ideo, ut bene advertit Pal. *p.* 2. *cit. n.* 1. non videtur peccaturos mortaliter, si in sua dioecesi residentes illis temporibus a suis ecclesiis aliquando absint. *Alterum est*, ut si per longius tempus abesse velint, duo concurrant, videlicet justa causa, et licentia, quae petenda est vel a summo pont. vel a metropolitano, vel hoc absente, ab antiquiore suffraganeo, atque in scriptis dari debet. *Excipitur*, si periculum sit in mora, aut absentiae causa sit notoria, ut si episcopus, qui simul est princeps imperii, ad comitia vocatus compareat, tunc enim licentiae petitione opus non est, ut recte Less. *l.* 2. *de just. cap.* 34. *n.* 156 Leo *thesaur. p.* 2. *cap.* 2. *n.* 8. Leuren. *for. benef. p.* 1. *qu.* 373. Barbos. *de offic. episc. alleg.* 53. *n.* 5. Zoes. *hic n.* 3. Engl. §. 1. *n.* 2. Kon. *n.* 5. Vvies. *n.* 26.

14

2. In abbatibus, et aliis praelatis inferioribus distinguendum est, an sint exempti a jurisdictione episcopi, an vero huic sint subditi. *Si exempti sunt*, et jurisdictionem quasi episcopalem cum animarum cura exercent, etiam ipsis duo, vel tres menses absentiae conceduntur; quia hi episcoporum nomine et ipsi veniunt. *Si subditi sunt episcopo*, eisdem permittuntur duo menses; Tambur. *de jur. Abb. to.* 1. *D.* 14. *q.* 5. *n.* 1. *et* 2. An ad bimestrem istam absentiam necessaria sit licentia superioris, dissident inter sese DD. Navar. *in man. cap.* 25. *n.* 121. *in fin.* putat eam non esse necessariam, sed sufficere, si habeant justam causam: melius affirmat Tambur. *n.* 2. *cit.* et videtur sententia haec conformior trid. quod *cap.* 1. *cit. vers. eadem omnino* de curatis inferioribus episcopo, quales hoc casu sunt

etiam praelati non exempti, decernit, ut, quandocunque eos abesse contigerit, id fiat, *causa prius per episcopum cognita , et probata.*

15

3. Canonici, aliique provisi de dignitatibus, praebendis, et portionibus in ecclesia collegiata, vel cathedrali abesse possunt per tres menses, et non ad longius sine superioris, cui subsunt, licentia, ut statutum est a trid. *ses.* 24. *cap.* 12. *vers. praeterea de refor. Excipitur*, si aliter habeant ecclesiarum dictarum statuta, constitutiones, et consuetudines, vel etiam voluntas fundatorum; quia trid. non censetur his voluisse derogare. *Proceditque hoc* non tantum casu quo dicta statuta etc. longius residentiae tempus exigunt, ut aperte *l. cit.* probat trid. sed etiam quando brevius per ea sufficit, modo hujusmodi statuta a sede apostolica confirmata sint, prout declaratione card. et oraculo apostolico confirmat Fagn. *in cap. licet de praeb. n.* 58. *et* 59. Porro ut canonici, aliique de praebendis etc. provisi in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis ad tres menses abesse possint , non est necessarium ipsis allegare causam , vel licentiam episcopi obtinere; quia etiam sine omni causa licite abesse sic possunt , et tamen fructus integros totius anni percipere, ut cum aliis recte monet, et declarationibus card. firmat Garc. *p.* 2. *de benef. cap.* 2. *n.* 314. *et* 315. nam ideo permittit trident. istam absentiam trium mensium, ut praebendati possint capere aliquam recreationem a labore, ne nimis dura sit residentia. Episcopo tamen incumbit , ut attendat ne simul omnes, vel major canonicorum pars discedat, et ita ecclesia debito servitio destituatur, aut etiam ne in praecipuas solemnitates hujusmodi absentia trium mensium incidat; Barb. *alleg.* 53. *n.* 118. *et* 119. Unde casu, quo ecclesia patitur ministrorum defectum, etiam privilegiati super absentia per subtractionem proventuum beneficii residere coguntur, ut recte Gonz. *in cap.* 16. *h. t. n.* 2. *et seq.* quia privilegium non conceditur in detrimentum divini cultus.

16

4. Parochi , aliique curam animarum habentes singulis annis abesse possunt non nisi per duos menses; ultra duos vero hos menses abesse non possunt, nisi ex gravi causa, et licentia ab episcopo impetrata in scriptis, ac constituto loco sui vicario, ab ipso ordinario approbando, cum debita mercedis assignatione; Trident. *ses.* 23. *cap.* 1. *vers. ead. omnino de ref.* Pirh. *hic n.* 19. *et* 49. Konig *n.* 7. Vvies. *n.* 18.

17

Quaeritur 7. an etiam ad absentiam duorum mensium necesse sit, ut a parochis licentia episcopi impetretur? Negant Navar. *man. cap.* 25. *n.* 121. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 4. *qu.* 10. et complures alii

apud Garc. *p.* 3. *de benef. cap.* 2. *n.* 19. qui putant ad hujusmodi absentiam, quae se ultra duos menses non extendit, sufficere conscientiam justae causae. Colligi etiam videtur ex *can. praesentium* 3. *caus.* 7. *qu.* 1. ubi non requiritur licentia episcopi ad hujusmodi absentiam brevem: atqui hoc jus nuspiam correctum legitur jure novo vel tridentini, vel alio: igitur etiam post trid. licentia episcopi ad illam absentiam non est opus. *Conf.* nam trid. *ses.* 23. *cap.* 1. *de ref.* ad trimestrem absentiam ab episcopis nihil aliud exigit, quam justam illius causam, et postea subdit, eadem, quae de episcopis dicta sunt, etiam de parochis, aliisque inferioribus curatis accipienda esse.

18

Sed probabilior est affirmativa sententia, quam etiam tenent Garc. *cap.* 2. *cit. num.* 22. Barbos. *de offic. episc. alleg.* 53. *num.* 96. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 159. Leo *thesaur. p.* 2. *c.* 2. *n.* 9. Fagnan. *in c. relatam h. tit. n.* 20. Pignatell. *tom.* 7. *cons.* 4. *n.* 4. Matthaeucc. *in official. cur. eccl. c.* 36. *n.* 10. *et* 11. Engl. *hic* §. 1. *n.* 7. Konig *n.* 8. Vviest. *n.* 25. et colligitur ex Trid. *c.* 1. *cit.* ubi sacra synodus generaliter decernit, *quandocumque* (quae vox comprehendit omne tempus) parochos, aliosque curatos *abesse contigerit*, id fiat *causa prius per episcopum cognita*, *et probata*, et juxta DD. *citt.* inter absentiam ad duos menses, et eam, quae illos superat, solum hoc discrimen datur, quod ad hanc requiratur causa gravis, et licentia ab episcopo data in scriptis, ad illam vero sufficiat data oretenus, et causa justa, licet gravis illa non sit, veluti recreationis, aut visitandi propinquos.

19

Excipitur, si tempus sit modicum; nam ad modicum tempus parochus, vel alius curatus inferior abesse potest, etiam non petita licentia ab episcopo: et ita consuetudine in multis dioecesibus invaluit, teste Konig *hic n.* 9. Ratio est, quia qui aliquantisper, seu ad modicum tempus solum absunt, ex veteri canonum sententia non videntur abesse; parum enim secundum canones, et leges pro nihilo reputatur, modo interim ecclesia notabile damnum non patiatur. Porro quod tempus modicum censeri debeat, vel non, respectu diversorum locorum, statutorum, ac personarum diversimode aestimari debet. Securissimum igitur erit, ut notat Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 7. *fin.* in hac re cujusque dioecesis statutum, vel consuetudinem sequi.

Ad argumentum contrarium *can. praesentium cit.* parochis non permittit bimestrem absentiam sine ordinarii licentia, sed solum enuntiat, quod ob ejusmodi absentiam ex causa infirmitatis benefi-

cio privari non debeant. *Ad conf.* Trid. *l. cit.* non facit omnimodam paritatem inter episcopos, et parochos, aliosve inferiores curatos quoad tempus residentiae, sed tantum quoad culpam, et poenam, si non resideant tempore a jure praescripto, ut legenti apparebit.

20

Quaeritur 8. quanto tempore in singulis ecclesiis residere teneatur canonicus, qui in diversis ecclesiis cathedralibus duos canonicatus obtinet? *Certum est*, spectato jure communi, sine dispensatione neminem obtinere posse duos canonicatus: sunt enim propter personalem residentiam novem mensium, quam Tridentinum *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* ab his requirit, beneficia incompatibilia.

Procedit igitur quaestio solum de casu, quo dispensatum est, ut duos simul canonicatus habere liceat: ubi distinguendum est, an dispensatum sit simpliciter super dualitate canonicatuum tantum, an vero etiam expresse super residentia, et percipiendis utrobique fructibus. *Si primum*, nihil de residentia videtur remissum, sed singulis annis hujusmodi canonicus ex illo duntaxat canonicatu fructus percipiet, in quo per novem menses residentiam fecerit; Honor. *h. t. n.* 14. Konig *hic n.* 16. contra Zoes. *ibid. n.* 9. *Si secundum*, attendendum erit ad particularia locorum statuta, quae variant, dum in quibusdam cathedralibus, et collegiatis ecclesiis pro residentia assignantur quatuor, in aliis quinque, in nonnullis sex menses.

21

Recte tamen *l. cit.* advertit Konig, hujusmodi statuta non esse effrenate accipienda, quasi licentiam praebeant reliquo tempore non residendi; sic enim repugnarent Tridentino, ac per id abrogata forent: sed intelligenda sunt, supposita dispensatione de non residendo, et lucrandis nihilominus fructibus, ita, ut hos lucretur talis canonicus, si per tempus a singulis ecclesiis requisitum in iisdem resederit, nisi pontifex aliter disposuerit; cum enim iste plenissimam omnium beneficiorum administrationem habeat, statutis locorum non ligatur, sed super residentia vel omnino dispensare, vel terminum, ac tempus residendi, quod voluerit, valet praescribere: oportet tamen, ut istud in litteris dispensationis expressum sit; alias enim dispensatio intelligenda erit secundum particularia locorum statuta, quibus, si a se, vel antecessoribus approbata aut confirmata fuerint, ipse nullatenus censetur derogare, aut ea evertere.

22

Quaeritur 9. utrum episcopus, qui extra suam dioecesin ex dispensatione sedis apostolicae canonicatum in aliqua ecclesia obtinet, fructus ex hoc lucrari possit, etiamsi solum resideat in sua ecclesia cathedrali? Affirmant Barbos. *in trid. sess.* 23. *c.* 1. *de reform.*

n. 20. Pignatell. *tom.* 7. *cons.* 4. *n.* 27. et hoc teste rescriptum est a s. congr. conc. 5. *cal. aug.* 1565. *in Cretensi:* et videtur hoc etiam probare ratio: quia alioquin dispensatio de retinendo beneficio, vel canonicatu praeter episcopatum foret inanis, et omnino otiosa.

23

Sed his non obstantibus, tenenda est negativa sententia. Ita Felin. *in c. at si clerici* 4. §. *de aa lalteriis n.* 16. *de judic.* Rebuff. *in prax. tit. dispensat. de non resid. n.* 60. *et seqq.* Honor. *hic n.* 13. *et* 14. Konig *n.* 17. Schamb. *n.* 13. *Ratio est* 1. quia habere episcopatum simul cum canonicatu, et percipere utrobique fructus sine residentia in alterutro sunt duo diversa: a diversis autem ad diversa non fit illatio, praesertim in materia dispensationis, quae quia odiosa est, strictam interpretationem patitur. 2. Id colligitur *ex c. fin. de rescript. in* 6. ubi pontifex revocat indulgentias perpetuas, aliquibus personis concessas, de percipiendis fructibus beneficiorum suorum, distributionibus duntaxat quotidianis exceptis, sive in scholis essent, sive in ecclesiarum suarum altera residerent, aut in romana curia moram traherent; cons. supponit opus esse speciali indulgentia ad hoc, ut is, qui in una ecclesiarum suarum residet, lucretur fructus in altera, in qua non residet. 3. Suffragatur universalis Germaniae, ac notoria observantia, immemoriali temporis usu stabilita, vi cujus sine ulla personarum distinctione, respectu, et qualitate, etiam episcopi, si non resideant, et deserviant, fructibus destituuntur. Est autem consuetudo optima interpres legum, imo pro lege servatur; *l. de quibus* 32. *ff. de LL.*

24

Ad fundamentum sententiae oppositae dico, declarationes Card. ut vim habeant, debere exhiberi authenticas, quales tamen paucae ex impressis sunt, quippe quae jam saepius Romae damnatae, tanquam adulterinae, sunt, ut recte monet Zypaeus *l.* 1. *consult. canon. tit. de elect. con.* 1. *n.* 5. Deinde esto, authentica sit declaratio ab adversariis allegata, opponi eidem potest exceptio de non usu, utpote quae etiam constitutionibus tum canonicis, tum civilibus opponi potest. *Ad conf.* etsi dispensatio se non extendat ad fructus percipiendos, non tamen propterea inutilis redditur; nam 1. ita dispensatus, si in una ecclesia residet, ad residentiam in altera adstringi sub poena privationis nequit, prout tamen alii possunt, qui dispensationem non habent. 2. Taliter dispensatus, si ob motus bellicos, aeris inclementiam, persecutionem inimicorum, aut corporis debilitatem in uno loco, seu episcopatu residere, ac manere nequit, ad alterum potest habere refugium. 3. Si statuta utriusque ecclesiae

tam diuturnam residentiam non exigant, explens tempus, per statuta utriusque requisitum, potest percipere fructus utriusque.

§. II.

De origine obligationis residendi, et poenis non residentium.

SUMMARIUM

25 *Beneficiarii simplices ad residentiam obligantur jure tantum ecclesiastico.*
26 27 *Curati, et episcopi divino.*
28 29 *Quomodo tolli obligatio haec possit dispensatione?*
30 31 32 33 34 *Quomodo consuetudine?*
35 36 *Poena decreta in episcopos non residentes.*
37 38 *In parochos, et alios curatos.*
39 *In abbates, et praepositos regulares.*
40 *In canonicos, et portionarios.*
41 *In conferentes beneficium non valenti residere.*
42 *Episcopi, et caeteri curati fructus per absentiam amissos in pias causas applicare ante omnem sententiam debent.*
43 *Quid si illegitime discedenti impedimentum incidat, ne possit redire.*
44 *Modus citandi absentem.*
45 *Quando loco trinae citationis sufficiat una peremptoria?*

25

Quaeritur 1. quo jure clerici beneficiati teneantur ad residentiam? Beneficiarios, qui beneficia tantum simplicia obtinent, jure solum ecclesiastico ad residendum per seipsos teneri, in confesso est apud omnes.

Dubium procedit de episcopis, parochis, et aliis curatis, an ecclesiastico solum, ut priores, an vero etiam divino jure ad residentiam obligentur? Ecclesiastico solum teneri docuit Ambrosius Catherinus in apologia contra Sotum, et Mirandam, sequentibus persuasus argumentis, 1. Quia quod jure divino obligentur, nullus textus, vel praeceptum in s. Scriptura extat. 2. Dioeceses, et parochiae institutae sunt, non a Christo, sed ab ecclesia. Igitur ecclesia tanquam in re a se instituta, disponere, clericum a residentia liberare, et parochiam uni designatam alteri regendam potest committere. 3. ecclesia circa residentiam clericorum multa determinat; igitur ipsius institutione est introducta. 4. Pontifex potest in residentia dispensare cum episcopis, et parochis, quod non posset, si obligatio residendi in iisdem esset humana altior; *arg. can. inferior 4. dist.* 21. *et c. cum inferior* 16. *de major et obed.* 5. Obligatio ad

personalem residentiam tolli per consuetudinem potest. Atqui consuetudo praevalere non potest adversus ea, quae jure divino, et naturali praecepta sunt. 6. Solent non raro ecclesiae parochiales uniri dignitatibus, personatibus, vel monasteriis, quin tamen illi, quibus unitae sunt, in his resideant, cum ejusmodi ecclesiae administrari soleant per constitutos vicarios. 7. Si dioecesis sit valde ampla, ita, ut episcopi cura tanto populo regendo non sufficiat, solet eidem dari coadjutor, per quem episcopus exercere curam censetur: ergo juris divini non est populum sibi creditum per seipsum regere.

26

Sed his non obstantibus, est antiqua et vera sententia, quae affirmat episcopos, et reliquos clericos curatos ad residentiam obligari jure divino. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 9. Sot. *l.* 1. *de just. q.* 3. *art.* 1. Caevall. *opin. comm. contr. comm. q.* 383. *n.* 1. *et seqq.* Garz. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *n.* 16. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *q.* 1. Monet. *de commut. ult. volunt. c.* 4. *n.* 95. Lotther. *l.* 3. *de benef. q.* 27. *n.* 37. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 153. Barbos. *de offic. episc. alleg.* 53. *n.* 2. *et ad trid. sess.* 23. *c.* 1. *de reform. n.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 3. *p.* 1. *n.* 2. Pignatell. *tom.* 4. *cons.* 17. *n.* 18. Leuren. *for. benef. p.* 3. *q.* 367. Van. espen *jur. eccl. p.* 1. *tit.* 3. *c.* 3. *n.* 1. Ilsung *tr.* 3. *D.* 2. *n.* 210. Vall. *hic n.* 2. Zypaeus *n.* 7. Zoes. *n.* 2. Pirh. *n.* 11. Konig *n.* 4. Vviest. *n.* 8. et aperte innuitur per trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* ubi ait, quod *praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere:* quae omnia absentes praestare nequeunt. 2. Praeceptum divinum est, quod continent verba Christi, *pasce oves meas*, et illa Apostoli 3. *Timoth.* 4. *v.* 28. *Tu vero vigila, in omnibus labora, ministerium tuum imple*: quae verba explicans trid. *sess.* 6. *c.* 1. *de reform.* episcopos, parochos, aliosque curatos monitos esse vult, ut gregi suo invigilent, eidem assistant, illumque non deserant, atqui verbum *assistere* ultra vigilantiam, et sollicitudinem pastoralem, verbo *invigilare* expressam, denotat, et exigit praesentiam corporalem, et verbum *deserere* proprie acceptum talis praesentiae subtractionem, ac recessum significat, ut recte observat Fagn. *in c. ex parte* 8. *h. tit. n.* 31. ergo etc. 3. Quilibet jure divino, et naturali tenetur rite praestare officium, quod suscepit, praecipue quando ob tale officium stipendium accipit. Episcopus autem non potest rite, ac recte, praestare officium suum, nisi resideat: ergo etc.

27

Argumenta in contrarium allata levia sunt. *Ad* 1. etsi episcopis et parochis residentia personalis non injungatur per verba scripturae expressa, quae praecipiant, ut in ecclesiis suis resideant, sufficienter tamen illa iisdem injungitur per verba illa iis aequipollentia, quales sunt textus *n. praec. cit.* quibus jubentur vigilare pro grege suo, eundem pascere etc. neque enim pastores pascendi officium rite praestant, nisi praesentes sint. *Ad* 2. esto, divisio, et institutio dioecesium, ac parochiarum ab ecclesia facta sit, hac tamen supposita, obligatio residendi episcopis, ac parochis injuncta est a christo, cum, uti dictum, debitum muneris pastoralis curam, et vigilantiam praesentis exigat. *Ad* 3. licet in individuo ecclesia circa residentiam quoad tempus, et alia multa determinet, hoc tamen nihil impedit, quo minus illa in genere, et prout abstrahitur a casibus particularibus, sit juris divini, sitque secundum illam rationem generica immutabilis, prout in simili de immunitate ecclesiastica respondet AEgid. Ranbeck. *Panopl. libert. eccl. D.* 1. *c.* 2. 41. *et seq. Ad* 4. constabit responsio *ex duobus n. seqq. Ad* 5. itidem de vi consuetudinis circa residentiam episcoporum, et aliorum curatorum patebit ex *n.* 30. *et seq. Ad* 6. non repugnat praecepto divino, sed vel maxime conforme est, ut ubi cura satis administrari non potest per unum, in societatem ministerii assumatur vicarius. *Ad* 7. idem de coadjutore dicendum.

28

Quaeritur 2. an dispensatione tolli aliquando obligatio residendi possit? Resp. distinguendo inter beneficia simplicia, et curata. *In beneficiis simplicibus* indubitatum est, tolli dispensatione obligationem residendi posse; quia haec, ut *n.* 25. dictum est, solo jure ecclesiastico introducta est.

Difficultas est in *beneficiis curatis*, in quibus dixi, obligationem residendi esse juris divini; nam in his quae juris divini sunt, disponere, vel dispensare ecclesia nequit, cum universalis sit regula, quod inferior non possit legem superioris tollere. Verum haec difficultas solvi debet in materia voti, et juramenti; nam et horum obligatio juris divini, imo naturalis est, quia tamen obligatio haec juris divini ob mutatas circumstantias in particulari aliquo casu, vel persona nonnunquam cessat, idcirco potestas a Christo pontifici, et aliis ecclesiae ministris data est, ut declarare possint mutatam materiam, vel circumstantiam voti, vel juramenti, et propterea ista hic, et nunc non obligare; Quare ad quaestionem

29

Dicendum, duplicem in ecclesiae pastoribus residendi obligationem dari, unam introductam jure divino, imo et naturali, alteram jure ecclesiastico. Illa non omnino absoluta est, sed aliquo modo conditionata, nisi occurrant circumstantiae, quae curatum a residentia personali liberent: et hinc istis occurrentibus modo commisso gregi provideatur per vicarium doctrina, et authoritate praestantem, ut nullum sit animarum periculum, cessabit eo casu obligatio residendi ex praecepto ecclesiastico, quod magis quidem absolutum est, quam illud divinum, quia recessum ab ecclesia curatis probet etiam, quando causa justa est recedendi, nisi illa a superiore ecclesiastico approbata sit, est tamen ab ecclesia dispensabile, cum sit jus proprium, quod a legislatoris voluntate pendet. Responsio haec est ad mentem s. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. *in corp.* et consentiunt Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n* 3. *vers. bene autem*, Fagnan. *in c. ex parte* 13. *h. tit. n.* 57. *et seqq.* Leuren. *for. benef. p.* 3. *q.* 121. Pirh. *hic n.* 12. Schambog. *n.* 3. Vviest. *n.* 10. *Conf.* 1. ex praxi quotidiana, qua pontifex circa residentiam dispensare solet, praesertim in casu, quo concedit, ut unus, idemque obtineat simul duos episcopatus, vel parochias; licet in utraque simul residere nequeat. 2. Ex indultis apostolicis, quibus beneficia curata saepe uniri solent monasteriis, aliisque piis locis cum jure percipiendi fructus, licet ipsa cura ex permissione pontificis non per parochum principalem personaliter, sed per vicarios vel temporales, vel perpetuos administretur. 3. Ex more ecclesiae, quo suadente vel amplitudine dioecesis, aut parochiae, vel debilitate coadjuti, eidem additur coadjutor, per quem ille curam pastoralem exerceat.

30

Quaeritur 3. an per consuetudinem induci possit, ut praelati, aliique clerici non teneantur personaliter residere in ecclesiis, vel beneficiis suis? Resp. iterum hic distinguendum esse inter beneficia simplicia, et curata. *In beneficiis simplicibus* consuetudo liberare ab obligatione residendi beneficiarium potest, ut cum communi monent Rebuff. *prax. tit. dispensat. de non resident. n.* 8. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 3. *q.* 1. *vers. quaeres itidem*, Zoes. *hic n.* 4. Pirh. *n.* 16. Schamb. *n.* 6. *Ratio est*, quia habentes beneficium simplex tantum obligantur jure humano, et ecclesiastico ad residentiam; potest autem consuetudo mutare jus humanum, et ab ejus observantia liberare. Et ita in omnibus fere ecclesiis obtinuit, ut personalis residentia in beneficiis simplicibus non requiratur, sed clerici, etiam in titulum haec obtinentes, quamvis absentes, fructus percipere possint, dummodo alii substituantur, qui loco ipsorum ecclesiis deserviant. Imo per con-

suetudinem quorumdam locorum inductum est, ut in hujusmodi beneficiis simplicibus etiam per vicarium residere non sit necesse; Pirh. *n.* 17.

31

Excipiuntur 1. Canonicatus cathedralium, et collegiatarum ecclesiarum; nam quoad hos consuetudo inserviendi per substitutum, et percipiendi fructus in absentia sublata est per trid. *sess.* 24. *c.* 12. *vers. praeterea de reform.* Verum haec constitutio, ut *supra n.* 15. dictum est, in multis locis non est usu recepta.

Excipitur 2. si aliud constet ex mente fundatoris: debet tamen istud fundator disertis verbis exprimere; alias censebitur se conformare dispositioni juris communis, seu universalis consuetudinis, secundum quam beneficia simplicia residentiam non requiruut. *Procedit-que hoc*, etsi fundator in beneficii erectione disposuerit, ut contingente vacatione, conferatur alicui, qui celebret tot missas in mense, vel hebdomade; adhuc enim talis beneficiarius satisfacere per substitutum potest, neque ab episcopo cogi poterit, ut per seipsum celebret: imo ne quidem necessarium erit, ut sit sacerdos. *Ratio est*, quia verba illa, *tot missas celebret*, solum designant onus beneficio impositum, quod per alium expleri potest, non vero imponunt obligationem aut sacerdotii, aut celebrandi per ipsummet capellanum.

Excipitur 3. si ejusmodi consuetudo paulatim tenderet in notabile damnum alicujus ecclesiae, quia sic caret idoneis, et necessariis ministris; nam tali casu episcopus condendo novum statutum ejusmodi consuetudinem abrogare potest, requisito prius consensu capituli, quem si hoc neget, potest episcopus nihilominus procedere, et per statutum consuetudinem tollere; Pirh. *n.* 17. *cit.* Ratio est, quia consuetudo talis non habet majorem vim, quam privilegium; igitur sicut istud, quando incipit ecclesiae, vel reip. perniciosum esse revocari potest, ita ex eadem ratione etiam tolli consuetudo, non obstante dissensu capituli; quia hoc bonum ecclesiae impedire non potest.

32

Quod ad beneficia curata attinet, certum est, nulla consuetudine, ne quidem immemoriali, introduci posse, ut eorum rector nec per seipsum, nec per per vicarium in eodem resideat, et ex communi notat Abb. *in repetit. c. extirpendae* 30. §. *qui vero de praebend. n.* 31. Ratio est, quia talis consuetudo est irrationabilis, et cedit in damnum ecclesiarum, et animarum periculum continet: nemo enim gregis curam gerere potest, nisi praesens sit, vel

aliquem habeat loco sui praesentem, aut saltem ita in propinquo, ut commode, et sine periculo advocari possit.

Dubium est, an per consuetudinem induci possit, ut parochi, aliique curati, non teneantur personaliter residere in ecclesiis, vel beneficiis suis curatis, sed pastorale officium exerceant per vicarium? Negat Fagn. *in c. ex parte* 8. *h. t. n.* 22. *et seqq. et in c. cum omnes* 6. *de const. n.* 6. et fundatur. 1. Quia beneficiatus curatus, ut *sup. n.* 11. dictum est, est obligatus jure divino, et naturali, ut curam per seipsum exerceat. Sed consuetudo juri divino, et naturali derogare non potest. 2. In pastore, cui animarum cura commissa est, electa censetur opera, et industria personae. Sed ubi industria personae electa est, non potest commissio fieri alteri. 3. Ex trid. quod *sess.* 23. *c. de ref.* docit ejusmodi consuetudinem, etiam immemorialem, esse irrationabilem, et potius pro corruptela habendam.

33

Sed his non obstantibus, dicendum posse per consuetudinem, saltem immemorialem, ex justa causa induci, ut parochi, et alii, qui curam animarum habent, non teneantur residere personaliter, sed curam administrent per vicarium sive temporalem, sive perpetuum, modo ecclesia, ex absentia rectoris principalis notabile damnum spirituale non patiatur. Ita Abb. *in c. extirpandae* 30. §. *qui vero de praeb. n.* 8. *et in repet.* §. *qui vero cit. n.* 13. *limit.* 3. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 16. *cap.* 6. *n.* 3. Pignat. *to.* 1. *cons.* 30. *n.* 23. Leuren. *for. benef. p.* 3. *q.* 121. *et p.* 1° *q.* 368. Pirh. *hic n.* 14. Ratio est quia quidquid induci potest per privilegium, induci etiam potest per consuetudinem, cum aequivaleat privilegio. Sed per privilegium papae induci potest, ut rector ecclesiae parochialis non teneatur exercere curam animarum per seipsum, sed hoc possit per alium, sicut defacto jure communi statutum est, ut id fiat per vicarios perpetuos. Ergo etiam induci id potest per consuetudinem, saltem immemorialem.

34

Ad argumenta oppositae sententiae non est difficilis responsio. *Ad* 1. dico, praeceptum divinum obligare curatos ad personaliter residendum tantum casu, quo per alium non aeque bene, vel melius pastore officium exerceri potest: et huic ne quidem per consuetudinem immemorialem derogari potest, ut bene probat argumentum. At quando alius aeque bene, vel melius exercere officium pastorale potest, obligatio residendi est solum juris ecclesiastici, contra quod praevalere consuetudo, saltem immemorialis potest. *Ad* 2. cum dicitur in pastorale animarum censeri electam industriam personae,

intelligendum est, quod is non possit sine justa, et gravi causa alterius opera uti, vel alium substituere, ut patebit ex dicendis infra de causis excusantibus ab assidua residentia personali pastorum. *Ad* 3. ea solum consuetudo corruptela esse censenda est, quae a residentia personali pastorem contendit eximere, quando illam salus animarum exigit

35

Quaeritur 4. quae poenae decretae sint episcopis non residentibus? Resp. De his sacra synodus tridentina decernit sequentia. 1. Si ultra tres menses, justis, et rationabilibus causis cessantibus, ab ecclesia sua absint, praeter reatum peccati mortalis, pro rata temporis non faciunt fructus suos, ita, ut tota conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere non possint, sed vel ipse, vel ipso cessante, superior ecclesiasticus ecclesiae, vel pauperibus loci applicare debeat, prohibita, quacumque conventione aut compositione, et non obstantibus quibuscunque privilegiis. Ita statuitur *ses.* 23. *c.* 1. *de ref. vers. siquis autem*, Les. ubi *l.* 2. *de just c.* 24. *n.* 157. *in fin.* additum aliquid existimat decreto *ses.* 6. *c.* 1. *vers. siquis de ref.* ubi episcopi per sex menses absentes quarta, et si per alios sex menses abessent, altera tantum quarta parte fructuum privabantur, cum vi hujus decreti fructus omnes pro rata absentiae amittant.

36

2. Si privatione fructuum non moveantur, sed episcopus aliquis amplius annum a sua ecclesia illegitime absit, eundem metropolitanus, metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda, per litteras, vel nuntium romano pontifici denuntiare tenetur, ut hic in eundem pro gravitate contumaciae animadvertere, et ecclesiae de utiliori pastore providere possit. Ita laudata Synod. *sess.* 6. *cap.* 1. *ver. quodsi de ref.*

3. Vi *constitutionis Pii IV.* incipit, *in suprema*, *editae* 7. *cal. dec.* 1564. et invenitur in trid. *ses.* 6. *cit. c.* 2. episcoporum, si, dum ab ecclesia iltegitime absunt, moriantur, bona cujusque quantitatis sint, tanquam spolia ad cameram apostolicam pertinent. Ad cujus executionem idem Pius IV. in quodam *motu proprio*, incipit, *cum tam per sacrosanctum*, et invenitur in trid, *l. cit.* auditorem suae camerae judicem designavit.

37

Quaeritur 5. quae poenae sunt decretae in parochos, et alios curatos si ab ecclesiis, et ovibus suis ultra duos menses sine rationabili, et justa causa, absque ordinarii sui licentia absint? Resp. Hi

similiter peccant graviter, et pro rata temporis fructus non faciunt suos, sicut episcopi, ut habet trid. *ses.* 23 *c.* 1. *vers. eadem omnino de ref.* qui proinde fructus ecclesiae parochiali propriae, vel ejus loci pauperibus, si tales ibi sint, applicandi erunt; Garz. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *n.* 31. Quodsi privatione fructuum non absterreantur a negligentia, sed per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, sacra synod. *vers. ead. omnino cit.* arbitrio ordinariorum relinquit, an contra eos per censuras ecclesiasticas, fructuum subtractionem, sequestrationem, vel privationem beneficii procedere velint.

38

Quodsi ad privationem beneficii procedere ordinarius velit, non opus est, ut hoc faciat per sententiam, sed ipso facto beneficium illegitime absenti, postquam monitus est, ut redeat, et non venit, auferri, et alteri conferri potest; Garc. *c.* 2. *cit n.* 130. Ratio est, quia in facto notorio non requiritur ordo juris, sive processus judiciarius; *c. ad nostram* 21. *de jurej.* atqui notorium est, beneficiario prohibitam esse absentiam sine causa a beneficio, praesertim si curatum sit: ergo, si postquam personaliter, vel per edictum monitus est, non veniat, ipso facto contra eum procedi potest, ita tamen, ut postea, si beneficiarius redeat, et justam causam absentiae suae alleget, et probet restituendus sit. Et hinc consultum est, non statim procedere ad depositionem, sed prudenter faciet superior, si etiam, postquam monitus est beneficiarius absens, ut redeat, aliquamdiu exspectet, donec clare appareat, quod contumaciter, et temerarie absit vel quod beneficium pro derelicto habeat, eique tacite renuntiet, ut recte advertit Pirh. *hic n.* 53.

39

Quaeritur 6. quam poenam incurrant abbates, et praepositi regulares, si ultra duos, vel tres menses absque justa, et rationabili causa absint? Resp. Hi peccant quidem mortaliter, in absentiae tamen poenam fructibus privari non possunt, cum ob votum paupertatis in religione editum reditus proprie non habeant, sed omnia acquirant monasterio; *auth. ingressi C. de S. eccl.* non debet autem ex praepositi sui delicto ecclesia, vel monasterium damnum sentire; *can. si episcopum* 3. *caus.* 16. *q.* 6 *et regul. delictum* 76. *in* 6.

Quare aliis modis, et poenis horum absentia juxta ordinis cujusque regulam, et usum receptum plectenda erit, uti observat Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 178. Similiter dispositio juris de curatorum ab ecclesiis suis absentia, et decretae in sic absentes poenae solum intelligendae sunt de curatis saecularibus; nam in regularibus, etsi etiam curam in ecclesiis monasterio suo unitis exerceant, locum non

habent, sed puniendi et ipsi juxta ordinis sui statuta, et regulas sunt, si in officio suo defecerint. Ratio est, quia superiores regulares in administratione monasteriorum, et cura religiosorum sibi subditorum a synodo relinquuntur suorum ordinum statutis, et regulis.

40

Quaeritur 7. quid decretum sit circa canonicos et alios qui in ecclesia cathedrali, vel collegiata dignitatem, canonicatum, praebendam, aut portionem obtinent, et ultra tres menses sine legitima facultate non resident? Resp. De his S. Synodus *sess.* 24. *cap.* 12. *vers. praeterea de reform.* statuit, ut primo quidem anno priventur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae, ac residentiae fecit suos: et si iterum eadem usus fuerit negligentia privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuit: durante vero post duos annos contumacia, et si legitime monitus non redierit, contra eum juxta SS. canonum constitutiones procedatur etiam ad privationem beneficii; *c. ex parte* 8. *c. inter* 10. *c. ex tuae* 11. *et c. fin. h. tit.* et declaratum est a S. congr. teste Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 164. *num.* 2.

Estque hic modus procedendi essentialis, ita, ut casu, quo episcopus, non observatis his gradibus, a concilio praescriptis, deveniret ad privationem beneficii, haec futura sit nulla; Garc. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *n.* 154. Barb. *in cap.* 10. *cit. n.* 2. Vvag. *ibid. not.* 2. Matthaeuec. *offic. cur. eccl. c.* 36. *n.* 9. estque Barb. teste decisum a rota *in una salmatina* 15. *Dec.* 1567.

41

Quaeritur 1. quae sit poena conferentis beneficium curatum, vel dignitatem ei, qui non potest personaliter in eo residere? Resp. Privandus est pro illa vice potestate conferendi beneficium, vel dignitatem illam; *c. quia nonnulli* 3. *h. tit.* per sententiam sc. ut notat Abb. *ibid. n.* 8. non autem privatus est ipso facto.

Unde disparitas est inter casum, quo ad praelaturam, vel dignitatem eligitur persona indigna, seu inhabilis propter defectum aetatis, scientiae, morum, natalium etc. et inter casum, quo beneficium curatum, vel dignitas confertur personae alias habili, sed non potenti residere; nam *in primo* eligentes potestate eligendi, et episcopus tali electioni consentiens, vel ejusmodi personae conferens praelaturam, vel dignitatem potestate conferendi pro illa vice ipso jure privatus est per *c. cum in cunctis* 7. §. *fin. de elect.* at vero *in secundo*, et nostro casu poena privationis non ipso facto, sed per sententiam incurrendae taxata est: in utroque autem, in primo quidem ipso facto, in secundo post sententiam latam potestas conferendi devolvetur ad superiorem praelatum, qui illud beneficium, vel di-

gnitatem conferre debebit alteri personae habili, et potenti residere, ut cum eodem Abb. advertit Pirh. *hic n.* 47.

42

Quaeritur 9. an episcopi, et ceteri curati fructus propter absentiam amissos ecclesiae, vel pauperibus applicare debeant ante omnem sententiam? *Ratio dubitandi* est, quia exceptis censuris, irregularitatibus, et amissione juris exigendi debitum conjugale, in conjuges incestuosos lata, vix ulla poena ante sententiam, saltem criminis declaratoriam, debetur; *arg. c. cum secundum* 19. *de haeret. in* 6.

Sed hoc non obstante, est certa sententia, episcopos, ceterosque curatos, et beneficiatos ante omnem sententiam obligari ad dictos fructus applicandos ecclesiae, vel pauperibus. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 9. Vasp. *opusc. de benef. c.* 4. §. 2. *n.* 153. Garz. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *a n.* 26. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 6. *q.* 6. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 157. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 6. *in fin.* Barb. *in Trid. sess.* 23. *c.* 1. *vers. siquis autem de reform. n.* 18. Pal. *tr.* 13. *D.* 5. *p.* 3. *n.* 3. Leuren. *for. benef. p.* 1. *q.* 389. *n.* 3. Illsung. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 210. Matthaeuc. *offic. cur. eccl. ecc. c.* 36. *n.* 9. et aperte statuit Trid. *l. cit. ibi, alia etiam declaratione non secuta.* Ratio est, quia praedicti fructus nondum percepti, atque ideirco non plane, imo nec absolute debiti sunt, sed sub conditione residentiae: igitur si conditio haec deficiat, obligatio restituendi urget ante omnem sententiam.

Ex quo patet ad rationem dubitandi; nam privatio ista non est praecise poena, sed sequitur ex natura conditionis, qua non posita, non debetur promissum sub illa conditione. Adduut tamen cum *cit.* Laym. P. Pirh. *hic n.* 74. *in fin.* et P. Vvies. *ibid. n.* 23. hoc Trid. decretum quoad non requisitam declarationem in tanto rigore receptum non videri, saltem, si constituto vicario, non negligatur cura animarum, et ecclesia damnum non patiatur.

43

Quaeritur 10. an beneficiarius, si postquam sine justa causa, et absque licentia sui praelati discessit a beneficio impedimentum eidem incidat, quo minus redire possit, v. g. ob periculum pestis grassantis in loco beneficii, vel hostium incursum etc. privari beneficio possit? Resp. non posse. Ita Innoc. *in c. inter* 10. *hoc tit.* Vivian. *ibid. vers. sed dices prope finem*, Pirh. *hic n.* 55. *Ratio est*, quia impedimentum supervenieus excusat a poena decreta in eos, qui citati non se sistunt: cujus ulterior ratio est, quia absens debet prius moneri, ut redeat; monitio autem non potest obligare impeditum redire.

Proceditque hoc non tantum, quando adest impossibilitas physica, et absoluta redeundi, sed etiam quando moralis, seu difficultas non levis, spectatis circumstantiis personae, loci etc. nam sicut difficultas excusat a mora, ita etiam a poena decreta ob moram; Bartol. *in l. continuus* 137. §. *illud n.* 7. *ff. de V. O.*

Duo tamen, ut hujusmodi difficultas interveniens excuset, requiruntur. *Primum* est, ut impedimentum hoc non sit voluntarium, seu affectatum, et procuratum, ne culpa sua prosit authori; Bartol. *in l.* 2. §. *simili modo ff. siquis cautionib. in judic. sistend. alterum*, ut propter impedimentum superveniens non possit venire; nam si beneficiarius citatus ad praefixum terminum comparere non amplius potuisset, etsi non supervenisset impedimentum, non erit excusatus, ut cum Imol. *in c. inter cit. in fin.* recte advertit Pirh. *l. cit.*

44

Quaeritur 11. quomodo citandus sit beneficiarius a loco beneficii sui absens, ut veniat ad residendum? Resp. Si sciatur, ubi sit, citandus est personaliter per nuntium, aut litteras ad ipsum missas, ut ex communi docet Abb. *in c.* 11. *hoc tit. n.* 3. *not.* 3. Garc. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *n.* 155. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 4. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 164. *n.* 1. et sufficit una citatio, Si haec ad notitiam illius pervenit: imo etiam sufficit simplex revocatio, seu monitio, ut *l. cit.* advertunt Abb. *n.* 10. Garc. *n.* 155. Pirh. *hic n.* 57. Si citandus latitet, vel ignoretur, ubi sit, vel ita longe distet, ut commode personaliter citari non possit, citandus est per tria edicta publica affixa in valvis ecclesiae, dato post cujuslibet edicti publicationem termino competente ad comparendum, spectata qualitate personae, et loci distantia, ut cum *cit.* docent Vivian. *in c.* 11. *cit. vers. si nescitur.* Gonz. *ibid. n.* 4. Pal. *tr.* 13. *D.* 5. *p.* 3. *n.* 11. et colligitur ex textu *c.* 11. *cit. ibi in eorum ecclesiis.*

Ratio autem, cur priore casu sufficiat una personalis citatio, requiratur autem trina per edictum in casu posteriore, est, quia siquis personaliter citatus non veniat, etsi venire possit, vere contumax reputatur; constat enim, quod nolit venire: cons. casu, quo simpliciter, et de plano proceditur, ut fit in nostro, alia citatio non requiritur. At vero siquis citetur per edictum, cum certo sciri non possit, an citatio reipsa pervenerit ad notitiam absentis citati, is tantum ficte, et praesumptive fit contumax; proinde merito statutum est, ut fiat trina citatio per edictum, et sic defectus personalis citationis suppleatur.

45

Quaeritur 12. an loco triplicis memoratae citationis sufficiat una peremptoria, si in hac tantum temporis assignetur pro uno termino,

quantum alias pro tribus? Videtur sufficere; quia etiam alias una peremptoria aequivalet tribus simplicibus. Sed distinguendum est cum Imol. *in c. ex tuae* 11. *hoc tit. n.* 4. et dicendum sufficere unam, si absque proclamatione praeconis publicatio citationis tantum fiat per edictum affixum ad ecclesiae valvas; quia tunc non citius perveniet citatio ad notitiam citati, si tria edicta per 10. dierum intervalla affigantur, quam si unum, adjecto termino peremptorio, continuis 30. diebus affixum prostet.

At ubi ex consuetudine praemittitur proclamatio per vocem praeconis in loco publico, una pro tribus non sufficit, quia si ter fiat, citius illius rei notitia perveniet ad absentem, quam si semel tantum fiat proclamatio; forte enim amicus citati, qui non interfuit primae citationi, aderit in secunda, et tertia, et poterit hoc citato denuntiare.

§. III.

De causis excusantibus a residentia.

SUMMARIUM

46 *A residentia excusat christiana charitas.*
47 48 49 *Urgens necessitas.*
50 51 *Obedientia debita, quando beneficiarius occupatur in servitio papae, vel episcopi sui.*
52 53 *Quinam in huiusmodi servitio occupari possint?*
54 55 *An, et quando canonici collegiatarum ecclesiarum?*
56 *An suos clericos ita occupare possint etiam praelati inferiores.*
57 *An legatus papae?*
58 *Num a residentia excusentur clerici inservientes principi saeculari?*
59 *Quibus casibus ratione utilitatis ecclesiae, vel reip. excusentur clerici a residentia?*
60 *Requisita, ut clericus causa studiorum a sua ecclesia abesse et fructus tamen possit percipere?*
61 62 63 *An privilegium hoc etiam curatis competat.*
64 65 *An ordinarius debeat dare licentiam beneficiariis, ad studia abire volentibus?*
66 67 68 *Quis licentiam hanc dare possit?*
69 70 *An justa causa excusans sit residentia 40. annorum?*
71 72 *An, et quos fructus lucretur beneficiarius ingressus novitiatum?*
73 *Quid de eo, qui juravit, se continuo in ecclesia residere velle?*

A Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *vers. nam cum de reform.* quatuor enumerantur causae, quae a residentia excusare beneficiarium possunt. 1. Christiana charitas: 2. urgens necessitas: 3. debita obedientia: 4. evidens ecclesiae, vel reip. utilitas.

46

Quaeritur 1. quando beneficiarium a residentia excuset *christiana charitas*? Resp. casus ejusmodi multos posse contingere, v. g. si episcopus, vel alius curatus a dioecesi, vel parochia sua discedat ad provinciam aliquam, vel dioecesim ab haeresi convertendam, vel a periculo istius liberandam, si ad pacem inter principes, et magnates componendam, si ad tollendas graves inimicitias, vel ad succurrendam alii necessitati spirituali proximorum. Videatur Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c:* 6. *n.* 4. Barb. *de offic. episc. alleg.* 53. *n.* 6. Vall. *hic n.* 7. Pirh. *n.* 22. Konig *n.* 21. Vvics. *n.* 27. Ubi tamen duo sunt necessaria: 1. ut absentia ejusmodi non cedat in notabile damnum commissi gregis, quippe cum curatus ex justitia obligatus sit ad subveniendum suis ovibus, non item aliis; Barb. *l. cit. n.* 6. *et* 9. 2. ut ejusmodi absentia, fiat cum licentia papae quidem, vel metropolitani, si ex tali causa absit episcopus; episcopi vero, si absit curatus inferior subjectus episcopo, nisi ultra annum abfuturus esset; tunc enim opus esset dispensatione papae, qui, ut testatur Laym. *in c. licet* 14. *de elect. in* 6. *n.* 2. et supponit Fagnan. *in c. fin. de magistr. n.* 17. *vers. partem*, extra casus *c. cum ex eo* 34. *de elect. in* 6. et urgentis necessitatis, facultatem dispensandi pro longiore tempore in residentia, aut ejus obligationem interpretandi inferiorum nulli concessit.

47

Quaeritur 2. quando censeatur esse *necessitas adeo urgens*, ut excuset a residentia? Resp. A DD. sex maxime casus enumerantur. Et quidem 1. est hostilis incursio; *arg. can. pastoralis* 42. *caus.* 7. *q.* 1.

2. Capitales inimicitiae, quas parochus, vel beneficiatus habet cum domino, vel praefecto loci; tunc enim a loco beneficii per aliquod tempus abesse potest, donec discordia sit composita: debet tamen eo casu episcopus constituere vicarium idoneum, qui loco parochi inserviat ecclesiae; gloss. *fin. in c. ult. hoc tit.* Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *vers. ad secundum caput*, Barb. *de offic. episc. alleq.* 53. *n.* 89. Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 4. *n.* 16. *et* 17. Vall. *hic n.* 7. Zoes. *n.* 9. Pirh. *n.* 23.

3. Insidiae a loci domino, vel plebe infesta, aut aliis sceleratis structae, ita, ut tuto episcopus in civitate episcopali residere nequeat; nam eo casu episcopus (idem de parocho) recipere se in alium locum tutum suae dioecesis, vel non procul a dioecesi potest; Pignatell. *tom.* 4. *cons.* 17. *n.* 45. et hoc teste decisum est *a s. congreg. in Marsicana* 1591.

48

4. Corporis infirmitas, si parochus adeo infirmus sit, et in loco suae ecclesiae parochialis defectu medicorum, aut medicinarum curari non possit; tunc enim, potest ab ordinario eidem dari dilatio trium, aut quatuor mensium, ut in locis vicinioribus, maneat sanitatis causa, ita tamen, ut ab ordinario in parochia constituatur vicarius cum congrua portione ex reditibus parochialibus; Barb. *alleg. cit. n.* 91. et habetur *can. praesentium* 3. *caus.* 7. *q.* 1. *et c. ad audientiam* 15. *hoc tit.* ibi, *illis exceptis, quos infirmitas excusat.*

5. Aeris intemperies; potest enim tunc etiam episcopus discedere ad alium locum suae dioecesis, qui sit puri aeris, modo vadat ad cathedralem temporibus praescriptis a concilio *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* nec removeat vicarium, et tribunal a civitate; Pignat. *cons.* 17. *cit. n.* 46. et hoc teste declaratum est a s. congr. quia episcopus in qualibet parte dioecesis residere potest.

49

6. Saeviens pestis, seu contagio, ob quam beneficiarius vel in loco residentiae, si ibi grassetur, manere nequit, vel ad eum e loco, ubi moratur, et pestis saevit, transire non licet; Vall. Pirh. Vviest. *l. cit.* et alii apud istos, qui tamen addunt, istud de parochis, aliisque curatis solum procedere, si dum corpore absunt, animo tamen, sive providentia praesentes ovium necessitati prospiciant per idoneos vicarios, aut viros religiosos substitutos; alias etiam non obstante propriae vitae periculo tenebuntur subsistere apud gregem suum ex doctrina Salvatoris; *bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis*; Joan. 10. *v.* 11. quamvis ut eo casu pestiferis sacramenta administrare per alios possint, iisdem concesserit s. congr. *decreto edito die* 23. *sept.* 1576. idque pro commoditate parochianorum, qui sani sunt, quique verisimiliter conversari nollent cum parochis ad peste infectos euntibus; Pignat. *cons.* 17. *cit. a n.* 35.

7. Nonnulli addunt causam piae peregrinationis, maxime ex voto, cum licentia praelati susceptae. Verum contrarium dicendum est cum Garc. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *n.* 394. Barb. *alleg.* 53. *cit. n.* 22. Leuren. *for. benef. p.* 1. *q.* 387. *et q.* 411. Pirh. *hic n.* 23. eo, quod peregrinatio, etiam ex voto suscepta, non sit ex causis jure expressis, excusantibus a residentia, vel praesentia ultra tempus absentiae a Trid. permissum, ad lucrandos fructus praebendae juxta declarationem *congr. conc.* apud eundem Garciam.

50

Quaeritur 3. quando beneficiarios a residentia excuset *obedientia debita*? Resp. Duo in jure nostro reperiuntur casus, in quibus

illa excusationem legitimam praestat, et absentibus, licet non ad distributiones, ad fructus tamen grossos, ratione praebendae percipiendos, jus potestatemque praestat.

Primus est, quando beneficiarius mandato papae, et sedis apostolicae servitio est occupatus; *c. cum dilectus* 14. *et cap. ad audientiam* 15. *hoc tit.* Ratio est, quia cum ecclesia romana sit universalis, ideo, qui ei serviunt, censentur etiam inservire, et prodesse aliis ecclesiis particularibus, ut notat Imol. *in cap. cum dilectus cit. n.* 3. eo, quod honor, et utilitas ecclesiae universalis redundet in alias ecclesias particulares subjectas; *c. bonae* 2. *de postul. praelat.* unde dici solet clericum residentem Romae ubique residere. *Procedítque hoc*, etsi ostendatur contraria constitutio episcopi, vel capituli; quia inferior papa non potest aliquid disponere, vel statuere contra jus commune canonicum, neque valet statutum, per quod superioris potestas, et jurisdictio impeditur, nisi superior tale statutum scienter approbet, ut docet Bartol. *in l. omnes* 9. *n.* 27. *ff. de J. et J.* Dixi autem, *mandato papae*; nam hi soli tanquam praesentes reputantur, non vero illi, qui propria voluntate, et principaliter ob suum commodum, vel lucrum in curia papae versantur, ut sunt notarii etc. *arg. l. reip.* 36. *et l. non vere* 41. *ff. ex quibus caus. major.* Sylv. *V. residentia quaest.* 7. *dict.* 2. Rebuff. *prax. benef. titul. dispens. de non resid. num.* 32. *et* 33. Pirh. *hic n.* 25. *not.* 2. et alii communiter.

51

Secundus casus est, quando beneficiarius simplex, vel canonicus cathedralis ecclesiae abest ab ecclesia sua causa servitii episcopo suo exhibendi. Patet *ex c. ad audientiam cit.* cui consonat Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *in fin. de reform.* Ultra duos tamen canonicos ex cathedrali ecclesia episcopus in servitio suo occupare non potest; Abb. *in cap. de cetero* 6. *hoc tit. n.* 3. unde si plures velit, requiritur consensus capituli: quem tamen denegare non debet, si ita suadeat necessitas, vel utilitas ecclesiae, et sine notabili damno ecclesiae cathedralis, quia alioquin abundat canonicis, id fieri possit; Pirh. *hic n.* 20. *not.* 2. Adde, quod nec duos canonicos episcopus secum habere possit, si idcirco cultus divinus, et necessarium ministerium ecclesiae impediretur.

52

Dub. 1. quinam clerici beneficiarii occupari possint in servitio papae, vel episcopi, ut fructus praebendarum suarum etiam absentes lucrentur? Resp. Soli canonici, et beneficiarii simplices, non autem episcopi, vel alii curati, nisi id exigat necessitas, aut major utilitas publica. Et quidem, quod episcopi curatos extra eorum

curam, et cum curae detrimento ad negotia, vel servitia episcopalia, puta vicarii, visitatoris, secretarii, fiscalis, et hujusmodi non possint assumere, extat aperta declaratio Card. apud Joann. Gallemart ad Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de reform. n.* 7. Quod nec pontifex, seclusa necessitate, vel majore utilitate publica, istud possit, cum Cajet. Sot. Vasq. advertunt Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *q.* 3. *vers. quinta causa*, Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 5. *vers. ad tertium*, Barb. *in c.* 14. *hoc tit. n.* 3. Leuren. *for. benef. p.* 1. *q.* 386. *n.* 1. *et seqq.* Zoes. *hic n.* 9. Pirh. *n.* 25. *not.* 3. Vviest. *n.* 29. *etc.* et colligitur ex *c. cum dilectus*, *et c. ad audientiam cit.* quae loquuntur solum de canonicis. Ratio disparitatis est, quia canonici, et alii beneficiarii simplices, ut saepius dictum est, ad residendum solum jure positivo, et canonico obligantur, in quo pontifex hoc ipso, quod sciens mandet eos sibi inservire, censetur tacite cum ipsis dispensare; at episcopi, et curati alii, ut pariter dictum est, ad residentiam obligantur jure divino, in quo papa sine gravi, et justa causa dispensare non potest.

Extenditur etiam ad S. R. E. Cardinales; nam ne hi quidem ex causa officii sui in curia praestandi excusantur ab obligatione residendi in suis dioecesibus, ut notat Azor *c.* 4. *cit. q.* 7. Laym. *n.* 5. *cit.* Barb. *de offic. episc. alleg.* 53. *n.* 10. Pignat. *tom.* 4. *cons.* 17. *n.* 4. Vvagn. *in c.* 2. *h. t. in exeges.* Pirh. *hic n.* 39. Vviest. *n.* 29. et clare habetur in Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *cit. vers. ne vero ea*, ubi sacra synodus etiam cardinales episcopos, sicut alios pastores, ad residentiam in ecclesiis suis obligat. *Excipiendi* tamen sunt sex episcopatus Romae vicini, qui a cardinalibus in urbe residentibus administrari facile possunt, et fere solent; Laym. *l. cit.*

53

Addidi, *nisi id exigat necessitas*, *aut major utilitas publica*: nam si alii idonei desint, papa licite potest episcopum aliquem constituere curiae romanae camerarium vel vice-cancellarium, aut summum poenitentiarium, vel auditorem rotae etc. facultate ei concessa, ut ab ecclesia sua absit; Azor *c.* 4. *citat. q.* 5. *in fin.* Pirh. *n.* 39. *cit.* Ratio est, quia tunc ecclesiae universalis necessitas, vel major utilitas absentiam cohonestat; publicum enim bonum praeferendum est privato, adeoque etiam bonum ecclesiae universalis bono ecclesiae particularis. Similiter cum parochis, et aliis curatis in residentia potest dispensare episcopus, si vel utilitas ecclesiae, in qua curam animarum exercent, vel necessitas praelati, aut ipsius ecclesiae ita postulet; Pirh. *n.* 41.

54

Dub. 2. utrum episcopus in servitio suo occupare possit etiam canonicos ecclesiarum collegiatarum ? Non convenit inter DD. Barbos. *in c. de cetero* 7. *h. titul. n.* 4. Monet. *de distrib. p.* 2. *quaest.* 8. *n.* 6. Leuren. *p.* 1. *quaest.* 405. *n.* 3. Vvagn. *in cap.* 7. *cit. not.* 2. concedunt hoc de canonicis quibuscunque in dioecesi : idque quia trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* inter canonicos non distinguit ; nec ratio suadet decretum hoc restringi ad solos canonicos cathedrales. Accedit , quia canonicorum copia, et praesentia propter suam dignitatem magis necessaria est ecclesiis cathedralibus, quam collegiatis.

Sed opposita sententia magis videtur consona rationi , et juri , juxta quam decretum illud tridentini de solis canonicis cathedralis ecclesiae intelligendum est. Ita Abb. *in cap.* 15. *hoc titul. n.* 8. Gonzal. *in capit.* 7. *eodem n.* 6. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *capit.* 6. *n.* 6. Pirh. *hic n.* 30. Vviest. *n.* 31. Ratio est , quia ne decretum hoc sit correctorium juris communis , referendum est *ad cap. de cetero* 7. *et cap. ad audientiam* 15. *h. tit.* atqui utrumque istud capitulum, quando dicit canonicos , ex causa obsequii episcopo praestandi absentes, quoad fructuum perceptionem habendos pro praesentibus , solum loquitur de cathedralium ecclesiarum canonicis, igitur de his solis etiam intelligendum est trid. nec privilegium istis concessum, utpote a jure communi exorbitans , ad ceteros canonicos extendendum est. Accedit, quod specialis ratio suaserit , id concedi canonicis ecclesiarum cathedralium ; nam hi tanquam membra cum episcopo suo tanquam capite immediate constituunt unum corpus ; *c. novit.* 4. *de his, quae a praelat. etc.* et huic arctius , quam canonici collegiatarum ecclesiarum junguntur , eique in negotiis dioecesium spectantibus adesse prae illis tenentur.

55

Excipiendi tamen sunt duo casus, in quibus canonici etiam collegiatarum ecclesiarum , aliique beneficiarii simplices in servitio episcopi occupati , et fructus praebendarum suarum absentes possunt percipere.

Unus est , si hoc suadeat urgens necessitas , quia ad tale obsequium ex cathedralibus canonicis non potest haberi idoneus , vel communis utilitas dioecesis , quia talis beneficiarius , aut canonicus collegiatae prae ceteris ad hoc idoneus , et industrius esse censetur. Ita cum Abb. et Laym. *l. cit.* advertit Garc. *p.* 3. *de benef. cap.* 2. *n.* 370. et ratio est , quia nemini officium suum debet esse damnosum ; *c. cum non deceat* 30. *de elect. in* 6.

Alter est , si alicubi contrarium obtinuit consuetudo : quae tamen , ut cum aliis bene advertit P. Vviest. *n.* 31. *cit.* non debet

extendi ad casum, quo absentia illorum minueret cultum divinum, et necessaria ecclesiae ministeria impediret; nam tali casu, ut 28. *n. in fin.* dixi, etiam cathedrales canonici abesse nequeunt.

56

Dub. 3. an etiam alii praelati inferiores episcopo, v. g. ecclesiarum collegiatarum rectores, canonicos suae ecclesiae assumere possint, et occupare in suo obsequio, ita, ut absentes etiam beneficii sui fructus percipiant? Affirmant Abb. *in c. 7. tit. n.* 3. Rebuff. *prax. benef. tit. disp. de non resid. n.* 45. Garz. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *n.* 381. Vagn. *in c. 7. cit. not.* 4. quia textus *c. de cetero cit.* generaliter loquitur, et eadem videtur esse ratio.

Sed videtur distinguendum cum Pirh. *hic n.* 31. *not.* 5. inter praelatos exemptos, seu immediate subjectos pontifici, et inter non exemptos. *De illis* concedi potest; quia talis praelatus jurisdictionem quasi episcopalem in subditos suos habet, et aequiparatur episcopo, atque absolute loquendo est ordinarius suae ecclesiae.

De aliis melius negatur; quia nullum reperitur, vel afferri potest jus, quo ipsis concessa sit talis licentia assumendi unum, vel plures ex suis capitularibus cum privilegio percipiendi fructus beneficiorum suorum, etiam in absentia.

Excipitur, si necessitas, vel utilitas ecclesiae istud exigat; nam ex tali causa poterit etiam praelatus non exemptus saltem unicum canonicum ecclesiae suae in adjutorem suum, sive pro obsequio suo assumere, ut cum Navarr. advertit Pirh. *l. cit.* Ratio est, quia praelatus quilibet, et capitulares faciunt unum corpus, tanquam caput cum membris; ideoque par est, ut membra adjuvent suum caput, si hoc opera eorum indigeat.

57

Dub. 4. utrum legatus papae canonicos cathedralium, vel collegiatarum ecclesiarum suae provinciae possit assumere in servitium suum cum eo privilegio, ut etiam absentes pro praesentibus habeantur quoad fructus percipiendos? Affirmare videntur communiter DD. teste Abb. *in c. cum dilectus* 14. *h. tit. n.* 6. argumento ducto a paritate cum papa, et episcopis: cum non obstet *c. sane* 9. *de privileg.* ubi privilegia prohibentur in consequentiam trahi ob rationis identitatem; quia hoc non privilegium, sed jus est.

Sed melius, spectata ratione, defenditur negativa cum Abb. *n.* 6. *cit.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 6. *vers. sed nunquid*, Pirh. *hic n.* 32. quia revera in legato apostolico non pugnat eadem ratio, quae in papa, et episcopis, aliisque praelatis. *Non in papa*; quia huic ex suprema potestate, quam obtinet in ecclesia, multa licent, quae non licent ejusdem legatis. *Non etiam in episcopis, et aliis*

praelatis ; quia his unum , vel alterum canonicum in obsequio suo occupare permissum est , quod cum canonicis suis unum corpus efficiant , ideoque obsequium , quod praestant canonici praelato suo , censeantur quasi propriae ecclesiae praestare: talis conjunctio autem, vel unio non apparet inter legatum papae , et capitulares collegiatae , vel cathedralis ecclesiae.

58

Dub. 5. num a residentia excusentur clerici , qui inserviunt principibus saecularibus? Affirmant Joan. Selva *de benef. p.* 4. *q.* 6. et Hier. Caevall. *specul. opin. comm. contr. comm. q.* 585. *n.* 7. et favet horum opinioni *novell.* 123. *c.* 9. qua episcopis conceditur, ut per annum in curia commorari possint.

Sed verior videtur negativa , quam defendunt Garc. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *n.* 389. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *q.* 7. Dian. *p.* 2. *tr.* 1. *resol.* 5. *in fin.* Barb. *de offic. episc. alleg.* 53. *n.* 17. Konig *hic n.* 24. Vviest. *n.* 38. Proceditque hoc etiam casu, quo hujusmodi principi saeculari legitur circa hoc concessum fuisse speciale privilegium, quale concessum esse regi Franciae testantur Buerius *decis.* 17. et Rebuff. *in concord. de collat. p.* 1. quia hujusmodi privilegia si quae ab ecclesia principibus ante trid. tributa sunt , per hoc concilium *sess.* 6. *cap.* 2. *de reform. et constitutionem Pii IV. editam* 13. *cal. mart.* 1565. sunt revocata , vel certe de eo casu intelligi debent , quo regnum sine alicujus episcopi, vel clerici praesentia commode administrari non posset ; tunc enim aequitas , et necessitas suadet , ut pontifex propter bonum commune reip. in residentiae obligatione dispenset.

Neque obstat *novell. cit.* quia imperator circà res , quae clericos , et ecclesias attinent , disponere nihil potest.

59

Quaeritur 4. quibus casibus ratione *utilitatis ecclesiae*, *vel reip.* excusetur clericus a residentia ? Resp. Quinque plerumque enumerantur casus. 1. si absit ad defendenda jura sui canonicatus , vel ecclesiae , vel litem super iis prosequendam ; *c. ex parte* 13. *h. tit.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 5. *n.* 5. *vers. ad quantum* , Barbos. *alleg.* 53. *n.* 14. Leuren. *for. benef. p.* 1. *q.* 382. *n.* 1. *et* 2. Pirh. *hic n.* 33. Konig *n.* 12. Vviest. *n.* 32. 2. si absit vocatus ad synodum generalem , provincialem , aut dioecesanam; Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *q.* 4. *vers. ad quartam cum reliquis supra.* 3. si elector, aut princeps ecclesiasticus propter officia dignitati annexa intersit comitiis; Engl. *hic* §. 1. *n.* 2. *et* 6. Konig *l. c. et c.* 4. si exigente imperii , vel provinciae evidenti utilitate obeant munus oratoris, aut legati, *c. cum parati* 19. junct. gloss. vers. *in legatione de appell.* Barbos. *alleg.*

cit. n. 15. 5. si clericus beneficiarius ab ecclesia sua absit studiorum causa; potest enim interim in absentia praebendae suae fructus percipere; *c. relatum* 4. *c. tuae* 12. *h. tit. c. fin. de magistr.* trid. *sess.* 5. *c.* 1. *de reform.* Et communicatur privilegium hoc tam docentibus, quam discentibus, his quidem pro annis quinque, illis autem, quamdiu voluerint; *c. fin. de magistr. cit.* Leuren. *for. benef. p.* 1. *q.* 379. *n.* 1.

60

Dub. 1. quid requiratur, ut clericus studiorum causa a sua ecclesia abesse possit, et fructus tamen percipere? Resp. 1. debet dare operam theologiae, vel juri canonico; nam ut ratione aliorum studiorum, philosophiae, aut humaniorum abesse possit, et tamen lucrari fructus, requiritur licentia episcopi; Leuren. *p.* 1. *cit. q.* 380. *n.* 1. Zoes. *hic n.* 9. Pirh. *n.* 30. *not.* 1.

2. Studii istis se impendere debent in aliqua universitate, vel publica schola, non item in villa, seu loco privato; *c. tuae* 12. *h. t.* si, ut *c. cit.* innuit, locus ille talis sit, in quo vel nullum, vel non competens est studiorum exercitium; nam si in tali loco studia vigeant, adeoque finis, et utilitas, ob quam privilegium hoc clericis studentibus concessum est, obtineri possit, gaudebunt illo, qui ibi student, sive locus ille sit civitas, sive villa, sive castellum; non enim cathedra facit magistrum, sed magister cathedram, ut cum Host. bene notat Abb. *in c. tuae cit. n.* 4: Viv. *ibid. vers. si tamen*, Garc. *p.* 5. *c.* 2. *n.* 55. Pirh. *hic n.* 38. nisi oppositum in praxi receptum sit, quae proinde servanda est.

3. Qui ita absunt, necesse est, ut in his studiis se exerceant; non enim sufficit, si ibi tantum morentur, et aliis rebus vacent, potando, saltando, ludendo, vel ut linguam peregrinam addiscant; quia verba legis, seu constitutionis intelligi debent cum effectu, ita, ut finem intentum consequantur, quem finem non consequeretur ecclesia, si studiorum causa absentes nihil minus agerent, quam ut studiis se impenderent. Hinc S. Carolus *in conc. mediol.* 1. *p.* 2. *c.* 27. statuit, ut ii, qui studiorum causa absunt, singulis sex mensibus episcopo scriptum sui doctoris exhibeant, quo is ipsos in eo studii genere proficere attestetur; Van-Espen *jur. van. p.* 1. *t.* 7. *c.* 10. *n.* 8.

61

Dub. 2. an hoc privilegium concessum sit etiam clericis curatis? Resp. jure antiquo certum esse, quod privilegium istud iisdem competat: patet ex *cap. cum ex eo* 34. *de elect. in* 6. ubi Bonifacius VIII. episcopis concessit facultatem dispensandi cum promotis ad parochiales ecclesias, ut in studiis, si idonei sint, usque ad septennium

morari valeant, modo provideant, ut interea cura animarum, per idoneos vicarios administretur.

Controversia est, an constitutioni huic sit derogatum a trid. *ses.* 23. *c.* 1. *de ref.* Affirmativam defendunt Garc. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *n.* 80. *et seq.* et plures alii. Suadent eandem duae declarationes card. quas allegat Garc. *l. cit.* ex quibus constat ademptam episcopis potestatem licentiam dandi parochis, ut quinquennio studiorum causa abesse possint, et interim fructus percipiant : imo Fag. *in c. fin. de magistr. n.* 27. *V. partem negativam ait*, sanctissimum ad quaestionem sibi propositam, an ordinarius possit licentiam concedere parocho, ut in publica universitate studiis s. theologiae, vel canonum vacare possit, jussisse, ut episcopus ab ejus licentiae concessione abstineat. *Conf.* nam juxta trid. *ses.* 24. *c.* 18. *de refor.* ecclesiis parochialibus providetur per concursum : atqui per concursum promoti ad has ecclesias non habent opus, ut studiorum causa ab ecclesiis suis absint, quia jam idonei inveniuntur de praesenti.

62

Sed etsi sententia haec ob memorata argumenta sit valde probabilis, ut propterea Pal. *tr.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 9. *n.* 9. putet eam in judicando, et consulendo servandam, non minus tamen probabile est, posse ordinarium parocho studere volenti hanc licentiam concedere, non obstante trid. et supra dicta s. congr. declaratione. Ita cum Pal. *l. cit.* docent Selva *de benef. p.* 4. *q.* 6. Zerol. *prax. episc. p.* 1. *V. studium* §. *ad septennium*, Les. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 163. Fag. *l. cit. n.* 11. Vvies. *hic n.* 33. imo privilegia per *c.* 34. *cit. etc. fin. de magistr.* concessa a trid. clericis docentibus, vel discentibus theologiam, aut jus canonicum, videntur potius firmata, et roborata per ea, quae habentur *ses.* 5. *c.* 1. *de ref. in fin. ibi: docentes vero ipsam s. scripturam* (aut jus canonicum juxta dicta *n.* 60.) *dum publice in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, praebendarum, et beneficiorum suorum, in absentia a jure communi concessis, plene gaudeant, et fruantur. Conf.* ex eodem trid. quod cum *ses.* 6. *c.* 2. *de ref.* Parochos, non obstante quovis privilegio, vel indultu, ad residentiam cogi jussisset, subdit, *indulgentiis vero, et dispensationibus temporalibus, ex veris, et rationabilibus causis tantum concessis, et coram ordinario legitime probandis, in suo robore permansuris*: atqui causam studii esse veram, et rationabilem causam liquet ex *cap. cum ex eo cit.* quod ad marginem adnotatur a trid. *l. cit.* ergo etc.

63

Neque obstant allata in contrarium; praeterquam enim quod de declarationibus istis, ut monet Pal. *l. cit. n.* 10. *in fin.* non constet authentice, plerisque Germaniae nostrae ordinariis illae non nocent; fundantur enim in concursu, qui in plerisque Germaniae dioecesibus receptus non est, ut proinde cesset ratio illarum declarationum, et cons. integra maneat ordinarii, saltem Germaniae, potestas dandi licentiam parochis, et aliis curatis ad prosequenda sua studia. Ad responsionem illum pontificis dico non satis constare, quod illa emanarit, aut sufficienter promulgata sit; ait enim Fag. vers. *partem cit.* se in libris publicis apud se asservatis (utique manuscriptis solum) eam legisse: unde non apparet, qua ratione sit authentica.

64

Dub. 3. an ordinarius debeat dare licentiam beneficiariis, quando ad studia adire volunt? Resp. affirmative, modo id patiatur status ecclesiae, et theologiae, vel juri canonico operam dent in celebri gymnasio, atque insuper 30. annis sint minores. Et quidem *de beneficiariis non curatis* non est dubium: imo in his ne quidem requiritur licentia episcopi, vel praelati, si quinquennio tantum studiorum causa abesse velint; cum ea facultas, seu privilegium a papa jure communi concessum sit, ut proinde tam studentes, quam docentes eadem uti sine alia licentia ab episcopo impetrata possint, ut tradit gloss. *in cap. fin. de magistr. V. licentia*, Lotter. *qu.* 27. *n.* 151. *et seq.* Leur. *for. benef. p.* 1. *q.* 380. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 34.

65

De curatis respondendum est secundum sententias diversas a *n.* 61. relatas. Qui putant potestatem licentiam dandi his ad recedendum a beneficiis suis causa studiorum episcopis a trid. revocatam non esse, idem de his affirmant, quod supra dictum de beneficiariis simplicibus: adeo, ut si episcopus impedire velit, ne curatus, qui non sufficienter in his disciplinis instructus est, et alias ad studia ista idoneus, iisdem operam dare possit, tanquam gravatus appellare valeat, quandoquidem indultum alicui a jure beneficium non est ipsi auferendum juxta *reg.* 16. *in* 6.

Quod multo magis procedit in curatis disciplinas istas docere volentibus; quia docendo plus ecclesiae prosunt, quandoquidem facere idoneos ministros ecclesiae melius est, quam ministrare; Laym. *cap.* 6. *cit. n.* 5. Pirh. *n.* 34. *hic*, ubi tamen monet episcopo id intimandum, casu, quo beneficiarius, qui docet, vel studet, curatus est, ut idoneum vicarium substituere possit.

66

Dub. 4. quis casu, quo praeter causam legitimam requiritur licentia non residendi, sive ab ecclesia, seu loco beneficii residendi, dare beneficiario eandem possit? Resp. In genere loquendo licentiam dare potest is, qui necessitatem residendi imponit, ut ait Rebuff. *prax. benef. tit. dispens. de non resid. n.* 75. nam qui condemnare potest, is absolvendi etiam potestatem habet; et qui ligare potest, etiam potest solvere.

In specie facultatem non residendi concedere potest 1. *pontifex* et quidem in *beneficiis simplicibus* etiam ad longum tempus, vel etiam in perpetuum; quia ut *sup. n.* 25. dictum est, obligatio in his residendi est introducta jure ecclesiastico tantum, quo major est pontifex: neque opus est justa causa, ut valide sic dispenset; quia obligatio tota ex arbitrio illius pendet. *In beneficiis curatis* ut valide dispenset pontifex, requiritur justa causa; quia talis dispensatio est in lege superioris, nempe DEI, adeoque si sine justa causa fiat, est irrita, sicut in juramentis, et votis; Azor. *part.* 2. *l.* 7. *cap.* 4. *qu.* 3. §. *quinta causa, vers. porro.*

67

2. *Episcopi, et similes praelati* licentiam non residendi parochis, et aliis curam animarum habentibus tantum possunt dare ad tempus, dum causa excusans datur, quae, si infra bimestre sit duratura, debet esse justa; si vero ultra bimestre se extensura sit, gravis, ut patet ex *n.* 6. *et* 7. Transitque potestas ista, sede vacante, ad capitulum, ut bene advertit Pirh. *hic n.* 43 Sede non vacante, capitulum dispensare circa residentiam solum potest, quando obligatio non est a jure communi, sed statuto a se facto introducta; nam quilibet legislator dispensare potest in lege sua.

68

3. Quoad *alios praelatos inferiores episcopo* distinguendum est inter eos, qui ordinariam in clericos sibi subjectos potestatem habent et inter eos, qui tali potestate, et jurisdictione quasi episcopali in clericos unitarum sibi ecclesiarum carent: hi parochis, et beneficiariis ecclesiarum suarum licentiam ab istis recedendi dare nequeunt, sed peti ista, darique ab episcopis debet; priores vero dare hanc potestatem possunt ad tempus, sicut episcopi, quia his quoad usum jurisdictionis aequiparantur, et nomine ordinariorum passim in jure veniunt.

69

Quaeritur 5. an praeter quatuor hactenus relatas causas adhuc aliae sint, ex quibus abesse ab ecclesiis clerici beneficiarii possint, et tamen fructus percipere? Et quidem 1. *dubitatur*, an justa causa

excusationis sit residentia 40. annorum in aliqua ecclesia, vel beneficio? Videri posset esse justa causa *arg. l. un. C. de profess. qui in urbe etc.* ubi qui 20. annis legit, comitatus dignitatem consequitur. Sed hoc argumentum parum urget, tum quia a diversis non fit illatio, tum quia etsi *in l. cit.* accedat titulus canonicatus, non tamen in ea dicitur, quod post tale tempus a legendo liberetur doctor, ita, ut tamen capere lucrum possit. Quare cum desit textus in hac materia liberans a residentia, sed contra passim jura requirant, et mandent residentiam, dicendum, secluso speciali statuto, nullos annos a residentia liberare.

70

Secluso, inquam, *speciali statuto*; nam si statutum aliquod in ecclesia aliqua communi consensu conditum sit, quo cavetur, canonicum, vel beneficiarium, qui per 40. annos diligenter divinis interfuit, posse beneficii sui fructus, et distributiones quotidianas percipere, licet ipse divinis non intersit, tale statutum valebit, et liberabit a residentia, ut bene advertit Garc. *p.* 3. *de benef. cap.* 2. *n.* 344. Stephan. Gratian. *discept. for. cap.* 298. *n.* 19. Piasec. *prax. episc. p.* 2. *cap.* 3. *n.* 9. *vers. de senio*, Barb. *alleg.* 53. *n.* 56. Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *n.* 169. Leuren. *for. benef. part.* 1. *q.* 193. *n.* 11. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 130. *n.* 27. et hoc teste decisum est a sacr. congreg.

71

Dub. 2. an beneficiati religionem ingressi tempore novitiatus fingantur residentes, et annuos fructus lucrentur? Certum est lucrari fructus, si tales sint, qui etiam absentibus debentur, modo per alium beneficio deserviatur. Procedit dubium de iis fructibus, qui tantum debentur praesentibus, et residendo lucrifiunt. In affirmativam propendet Konig *hic n.* 26. ex ratione, tum quod ita absens studiorum causa fructus istos lucretur, cum tamen causa religionis sit favorabilior; tum quod talis novitius adhuc retineat beneficium, et jura illius.

72

Ego magis inclino in negativam, quam etiam defendunt Franc. *in cap.* 4. *de regular. in* 6. *n.* 6. Garc. *p.* 11. *de benef. cap.* 9. *n.* 31. cum plerisque aliis, ex ratione, quia licet hic absit ex justa causa, ista tamen non est ex illis legalibus, quae ita absenti jus fructus percipiendi tribuunt, cum hoc nuspiam sit jure cautum.

Ad 1. *argumentum* pro affirmativa adductum nego paritatem; nam causa studiorum est approbata a jure in ordine ad percipiendos fructus grossos, qualis tamen in ordine ad istum finem non est novitiatus. *Ad* 2. sufficit, quod hujusmodi novitius retineat jus eli-

gendi, praesentandi etc. quae beneficio, quod adhuc habet, annexa sunt: imo quod etiam percipiat fructus, qui ab absente lucrifieri possunt. Ad eos, qui lucrifiunt a praesentibus, ut illos etiam ipse lucrifaciat, necesse est, ut fictione saltem juris sit praesens; quae tamen fictio in jure pro tali novitio non invenitur.

73

Dub. 3. an is, qui juravit, quod continuo in ecclesia sua residere velit, si postea ex aliqua de causis relatis se absentet, incurrat perjurium? Resp. negative; quia pro residente haberi debet, ut constat ex *cap. ex parte* 13. *h. tit.* et notat ibidem Alagona, Vvagnereck, et alii. *Ratio est*, quia juramentum praestitum circa materiam juris communis intelligi debet secundum limites materiae subjectae, ita, ut ad plus non obliget, quam jus requirat: atqui jus commune non requirit residentiam ita stricte, quin ob plures causas beneficiarius abesse possit, ut hactenus vidimus: ergo ect.

Neque obstat *cap. ad nostram* 7. *de jurejur.* ubi dicitur, quod juramentum impleri debeat in forma specifica, et non in casu ficto tantum; nam hoc intelligendum est, quando juramentum praestitum est in favorem tertii, et hic pateretur detrimentum, si non impleretur in forma specifica. In casu nostro, etsi sic absentis praesentia ficta sit, non tamen praesumitur cedere in detrimentum ecclesiae ipsa absentia, quia supponitur licita; Pirh. *hic n.* 46.

§. VI.

De distributionibus quotidianis.

SUMMARIUM

74 *Definitio distributionum quotidianarum.*
75 *Finis.*
76 *Discrimen a fructibus beneficiorum.*
77 *Sequela ex praemisso discrimine.*
78 *Exceptiones.*
79 *Debentur duntaxat illis, qui intersunt divinis officiis.*
80 81 *An canonici teneantur cantare in choro, ut lucrentur distributiones?*
82 83 *Quibus accrescant amissae?*
84 85 *An etiam absentibus legitime impeditis?*
86 87 88 *Quid requiratur, ut infirmus lucrari distributiones possit?*
89 90 91 92 *Casus, quibus ob rationabilem, et justam necessitatem absens illas lucratur.*
93 94 *Requisita, ut absens ob utilitatem ecclesiae illas acquirat.*
95 96 97 *Casus, quibus istud verificatur.*
98 99 *An distributiones acquirere absens possit ex privilegio?*
100 101 *An statuto?*
102 103 104 *An consuetudine?*
105 106 *An distributiones debeantur occupatis in servitio papae, vel episcopi?*
107 108 109 *An habenti duplex beneficium in eadem ecclesia duplices?*
110 111 *An remitti, vel donari possint absentibus?*

74

Quaeritur 1. quid sint *distributiones quotidianae*? Resp. *sunt portiones ecclesiasticorum redituum, quotidie distribui solitae, iis tantum clericis, qui statutis horis intersunt divinis officiis*; Laym. *l.* 4. *tr.* 2 *cap.* 7. *princ.* Barb. *in Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *de reform. n.* 73. Passerin. *in cap. un. hoc tit. in* 6. *n.* 7. mentio de istis fit *cap. ut cit. cap. licet* 32. *de praebend. extrav. nonnullae* 11. *eod. int. comm. Clem.* 2. *de aetat. et qual. et alibi.*

Dicuntur *quotidianae*; quia, quotidie distribuuntur vel potius, quia distribuuntur iis, qui quotidie divinis intersunt: interdum dicuntur *victualia*, quia dantur pro victu inservientium actu in divinis officiis: passim vero nuncupantur *praesentiae*; quia ob praesentiam dantur. Plerumque solvuntur in pecunia, alicubi in certis mensuris frumenti, et vini.

75

Introductae sunt favore cultus divini in ecclesiis conservandi, et augendi, ut planum est ex *c. un. cit.* et ibi notat gloss. *in princ.* ad cujus studium in clericis excitandum Trid. *sess.* 21. *c.* 1. *de reform.* praecepit, ut *in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum, et quorumcunque proventuum, et obventionum, tam dignitatum, quam canonicatuum, personatuum, portionum, et officiorum separetur, et in distributiones quotidianas convertatur.* Quam tamen, licet saluberrimam constitutionem, non ubique in praxim deductam, notat Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 7. *n.* 1. *q.* 2

Arguunt quidem DD. aliqui criminis simoniae canonicum illum, qui distributionum lucro inductus, divinis interest, alias non interfuturus. Sed etsi sordities haec magna sit, non tamen apparet, quomodo in hac specie facti committatur simonia, cum distributiones istae pro ministeriis spiritualibus, non ut pretium ex pacto, prout ad simoniam requiritur, sed ut temporale stipendium pro victu, et labore dentur; Barb. *jur. eccl. l.* 3. *cap.* 18. *n.* 12. *et* 13.

76

Dub. 1. quomodo distributiones quotidianae distinguantur a fructibus praebendarum, et beneficiorum? Resp. Si fructuum nomen accipiatur late, et mere generice, etiam distributiones quotidianae sub illorum nomine veniunt; quia sic acceptorum fructuum nomen significat quoscunque proventus, quos clericus occasione beneficii sui percipit. Quod vero hoc fructuum nomen, ut plerumque solet, sumatur specifice, plurimum ab illis distributiones quotidianae differunt; nam fructus in hac significatione sunt proventus annui, qui in fixo consistunt, et canonicis propter annuam residentiam dantur absque respectu ad singulas in choro praesentias; contra distributiones quotidianae non consistunt in fixo, sed cum ratione interessentiae in divinis dentur, ab aliquibus plures, ab aliis pauciores percipiuntur, prout quisque frequentior, vel remissior in divinis fuit.

77

Ex quo sequitur 1. distributiones istas communiter non venire nomine fructuum, sive redituum beneficii, cum inter se distinguantur, sicut species oppositae; *c. fin. vers. in illis de concess. praebend. extrav. cum nonnullae* 11. *vers. praeterea de praebend. int. com.* Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *c.* 7. *n.* 2. *vers. sunt vero*, Barb. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 18. *n.* 8. Passerin. *in cap. un. hoc tit. in* 6. *n.* 9. Pirh. *hic n.* 79. Konig. *n.* 36. *Sequitur* 2. si alicui concessum sit privilegium, ut absens possit percipere fructus beneficii, non propterea vi hujus

privilegii eundem capacem redditum ad percipiendas distributiones quotidianas, ut cum *cit.* advertit gloss. *in cap. un. cit. V. adfuerint*, Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 7. *quaest.* 2. Gonz. *in c.* 7. *h. tit. n.* 8. quia non creditur pontifex privilegio suo comprehendere voluisse distributiones cum damno, et praejudicio tertii, siquidem in illis locum habet jus accrescendi, et decrescendi. *Sequitur* 3. siquis condemnatus esset, ut restituat fructus beneficii, cum vi talis sententiae non teneri ad restituendas distributiones; Azor. Gonz. Passerin. Pirh. Konig *loc. cit. Sequitur* 4. si quis ob delictum privatus sit fructibus beneficii, non censeri per hoc privatum distributionibus; Azor, aliique *cit. Sequitur* 5. si pensio sit imposita beneficio, non intelligi impositam distributionibus; Azor, et *reliqui supra.*

78

Duplex tamen exceptio hic addenda est. *Una est*, nisi aliud papa exprimat, prout fieret, si in privilegio absenti dato diceret eundem non tantum pro residente, sed etiam pro divinis interessente habendum; nam vi talis privilegii ita absens posset etiam percipere distributiones, licet pontifex istarum nomen non expressisset, cum sufficienter hoc expresserit aequivalenter sub nomine interessentiae. *Altera est*, si beneficium nullos alios haberet fructus, quam distributiones; nam tunc ne elusoria fiat dispositio circa fructus facta, fructuum nomine etiam distributiones comprehenderentur, ut optime advertit illustrissimus Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 347. *n.* 29. *et* 30.

79

Dub. 2. quibus debeantur distributiones quotidianae? Resp. Regulae generalis instar habetur, distributiones quotidianas illis duntaxat clericis deberi, qui statis horis officiis divinis intersunt. Sumitur ex *c. un. h. tit. in* 6. et Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *vers. distributiones vero de reform.* Ratio est, quia, ut dictum est, *n.* 75. institutae sunt ad cultum divinum augendum per praesentiam, et frequentiam ministrorum. Unde ad istas lucrandas non sufficiet residentia in loco beneficii, si talis canonicus, vel clericus ab officiis divinis absit; quia distributiones non ratione residentiae, sed interessentiae dantur: et hinc, qui divinis non interest, easdem lucrari non potest, ut habet textus, et gloss. *in cap. un. hoc tit. in* 6. *V. adfuerint*, Abb. *in c. licet* 32. *de praebend. n.* 3. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 3. Fagn. *in cap. licet cit. n.* 41. Passerin. *in c. un. cit. n.* 28. *et seq.* Vall. *hic n.* 8. Zoes. *n.* 11. Pirh. *n.* 81. Konig *n.* 29. Vviest. *n.* 45. et alii apud istos.

Procedítque hoc, etiamsi absint ex legitima causa, et propterea percipiant fructus grossos; nam distributiones non possunt per-

cipere, nisi casu, quo in distributionibus quotidianis consisterent omnes ecclesiae redditus; tunc enim percipient etiam distributiones, dempta tertia parte, quae inservientibus accrescit, Fagn. *in c. de cetero* 7. *hoc tit. n.* 29. Honor. *hic n.* 25. *prope finem*, et novissime illustrissimus Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 547. *n.* 26. ubi testatur sic declaratum a cardd.

80

Dub. 3. an canonici, et alii praebendarii, ut recipere distributiones quotidianas possint, teneantur psallere, seu cantare in choro, vel contra sufficiat, si privatim, vel domi horas recitent, psallentibus autem assistant in choro?

Primum requiri, et alterum non sufficere magno numero contendunt DD. et inter hos Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 11. *quaest.* 5. Suar. *tom.* 2. *de relig. l.* 4. *de hor. canon. cap.* 12. *n.* 10. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 34. *n.* 184. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *c.* 7. *n.* 6. Barb. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 18. *n.* 80. *et seqq. et in Trid. sess.* 24. *c.* 12. *de reform. n.* 118. Pal. *tr.* 7. *D.* 3. *p.* 4. *n.* 5. Tambur. *de jur.* Abb. *tom.* 2. *D.* 10. *qu.* 3. *n.* 4. *prope finem*, Passerin. *in cap. un. hoc tit. in* 6. *n.* 37. et alii apud Gonz. *in cap.* 7. *h. tit. n.* 5. et insinuatur per Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* ibi: *omnes vero divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia -- atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.*

81

Contrarium tamen docent Cajet. *summ. V. horae canonicae*, Petr. Navar. *de restit. l.* 2. *c.* 2. *dub.* 3. *n.* 217. *et seqq.* Garc. *p.* 3. *de benef. cap.* 2. *n.* 514. Bonac. *de hor. canon. D.* 1. *quaest.* 3. *p.* 2. §. 1. *n.* 17. et alii plures, juxta quos distributiones quotidianas lucrantur, etiam qui intersunt tantum horis canonicis, et ipsi illas voce submissa recitant. Consonat textus *cap. licet* 32. *de praebend. et cap. un. h. tit. in* 6. ubi sola praesentia commendatur, non autem psallendi obligatio injungitur.

Ego judico, priorem sententiam veram esse, spectato jure scripto, secundam, spectata consuetudine, qua passim obtinet, ut canonici distributiones capiant, licet non ipsi psallant, sed hoc fiat per cappellanos, seu vicarios constitutos. Leuren. *for. benef. p.* 1. *quaest.* 418. Gonz. *in cap.* 7. *hoc tit. n.* 5. *circa fin.* Pirh. *hic n.* 99. Engl. *ibid.* §. 2. *n.* 6.

82

Dub. 4. quibus accrescant distributiones quotidianae, quas canonici ob absentiam in divinis amittunt? Difficultatem faciunt duo textus concilii Trid. in speciem contrarii, primus *sess.* 21. *cap.* 3.

de reform. ubi decernitur, distributiones, pro diei praesentia assignatas, inter eos, qui divinis interfuerint, proportionaliter dividendas. Alter *sess.* 22. *cap.* 3. *de reform.* ubi statuitur, ut obventurae absentibus, si divinis interfuissent, applicentur fabricae vel alteri pio loco.

Verum haec contrarietas componi potest, si distinctio fiat inter duplicem casum, *unum*, quo pro his ex communibus beneficiorum reditibus detracta, vel ex fundatione, aut fidelium voluntate c. g. pro anniversario defuncti assignata est certa portio, in illos distribuenda, qui certa die officio divino intersunt; *alterum*, quando ex propriis, et distinctis a mensa capitulari fructibus quarundam dignitatum, vel officiorum pars aliqua v. g. tertia, detracta est, ut per modum distributionis detur iis, qui illas dignitates, et officia obtinent, si praesentes sunt.

83

In hoc secundo casu portio, ab absentibus amissa, non accrescit praesentibus, sed ecclesiae, fabricae, vel alteri pio loco applicanda erit, et de hoc casu loquitur Trid. *sess.* 22. *c.* 3. *cit. In primo casu* absentium portio accrescit praesentibus, ut quia ob illorum absentiam laborem majorem subeunt, etiam remuneratio major fiat: et de hoc casu censetur loqui Trid. *sess.* 21. *cap.* 3. *cit.*

Excipitur tamen, nisi ecclesiae statuto, vel usu aliud receptum sit; cum enim clara juris decisio hic deficiat, optime consuetudo singulorum locorum attendetur, ut notat Engl. *hic* §. 2. *n.* 14. *in fin. Item excipiendum est*, nisi statuta sit certa portio danda singulis, c. g. medius florenus; nam tali casu absentium portiones remanebunt apud massam ecclesiae, in ejus utilitatem convertendae; Garc. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *n.* 444.

84

Dub. 5. an distributiones absentium lucrentur etiam illi, qui ex justa causa infirmitatis, corporalis necessitatis, vel evidentis ecclesiae utilitatis absentes sunt? Affirmat Matthaeucc. *in offic. cur. eccl. cap.* 44. *n.* 24. et pro se adducit sententiam s. congr. card. et videtur istud probari 1. quia ex justa causa absens habetur pro praesente. Sed si praesens esset, lucraretur distributiones, non solum proprias, sed etiam aliorum illegitime absentium: ergo etiam justa ex causa absens. 2. Trid. *sess.* 21. *cap.* 3. *et sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* videtur distributiones absentium concedere iis, qui percipiunt proprias. Proprias autem sic absentes percipiunt: ergo etc. *cap. un. hoc tit. in* 6. sic impeditis conceduntur distributiones, quas perciperent, si interessent divinis: atqui si his interessent, perciperent distributiones absentium; ergo etc.

Sed dicendum, spectato jure communi, et seposita contraria praxi, quam in Hispaniae ecclesiis vigere affirmat Pal. *tract.* 7. *D.* 3. *p.* 8. *n.* 7. probabilius esse, sic absentes, illegitime absentium distributiones non lucrari. Ita Bonac. *D.* 2. *de hor. canon. quaest.* 91. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. cap.* 18. *n.* 90. Pal. *l. cit. n.* 8. Pirh. *hic n.* 101. Vviest. *n.* 58. Ratio est 1. quia id nullo juris textu exprimitur. 2. Quia absentium portiones, ut a congr. declaratum esse affirmat Garc. *p.* 3. *de benef. cap.* 2. *n.* 465. accrescunt deservientibus. Sed hi, qui ex causa infirmitatis, vel alia, quamvis legitima, absunt, non deserviunt ecclesiae: ergo etc. 3. Soli illi, qui vere praesentes sunt, non vero, qui ficte, majorem laborem ex aliorum absentia obeunt: ergo conveniens est, ut vere praesentibus, non vero ficte absentium portiones accrescant.

85

Excipit Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *n.* 129. *in fin.* si canonicus absit ex utilitate ecclesiae; quia ex hujus servitio damnum pati non debet, et esse pejoris conditionis, quam alii, cum ille non minus inserviat ecclesiae, quam illi, qui sunt in choro praesentes.

Neque contrarium probant argumenta opposita. *Ad* 1. dico pro praesentibus haberi ad lucrandas distributiones proprias, non aliorum; cum enim privilegium ipsis concessum odiosum sit, quippe cedens in diminutionem cultus divini, ad quem augendum illae sunt introductae, hinc ad distributiones ab aliis amissas extendi non debet; *arg. reg. odia* 15. *in* 6. *Ad.* 2. trid. absentium distributiones concedit iis, qui lucrantur proprias, non tamen omnibus, sed si intersint divinis. *Ad* 3. textus ille plus non evincit, quam quod ita impeditis pars sua obvenire debeat.

86

Quaeritur 2. quae sint causae, ob quas distributiones quotidianae absentibus quoque dari, et competere possint? Resp. *c. un. h. tit in* 6. tres assignantur, videlicet infirmitas, justa, et rationabilis corporis necessitas, et evidens ecclesiae utilitas.

Dub. 1. qualis debeat esse infirmitas, ut ob illam absens lucrari distributiones possit? Resp. 1. debet esse gravis, talisque, quae impediat, ne clericus ad ecclesiam, et divina officia sese conferre possit, ut si laboret podagra, vel alio morbo corporis, si medicinam sumpserit, si venae sectione usus fuerit etc. Monet. *de distrib. p.* 2. *quaest.* 6. *a n.* 8. Barbos. *de offic. episc. alleg.* 53. *n.* 169. Leuren. *for. benef. p.* 1. *quaest.* 412. *n.* 1. Pal. *tract.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 1. *n.* 1. Gonz. *in cap.* 7. *h. tit. n.* 7. Vall. *hic n.* 9. Pirh. *n.* 85. Konig *n.* 31. Vviestner *n.* 46. Proceditque hoc de infirmitate non solum illa, quam quis actu patitur, sed etiam, quam timere po-

test, et vitare cupit, ut cum Barbos. *l. cit.* advertit Pignatell. *tom.* 1. *cons.* 130. *n.* 15. Et hinc Pal. *l. cit. n.* 2. et Bonacin. *D.* 2. *quaest.* 5. *p.* 1. *n.* 3. excusant eum, qui laborat infirmitate defacto quidem levi, ob accessum tamen ad chorum habitura incrementum grave; nam tali casu morbus levis ob periculum incrementi gravis etiam ipse gravis efficitur.

87

2. Requiritur, ut tali infirmitate detentus, dum integra ipsi valetudo stetit, frequentare chorum, et adesse divinis consueverit; nam si adesse non consuevisset, infirmitas non censeretur dare causam absentiae, et proinde sic absens, etiam durante infirmitate, distributiones non acciperet, ut contra Petr. Navarr. *l.* 2. *de restitut. cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 238. cum communi docent Abb. *in cap.* 15. *h. tit. n.* 5. Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 8. *vers.* 6. Vivian. *in cap. un. h. tit. in* 6. *vers. etiam quoad infirmos*, Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 7. *quaest.* 11. Pal. §. 1. *cit. n.* 4. Barbos. *alleg. cit. n.* 167. Pirh. *hic n.* 68. Konig *n.* 32. 32. *Excipit* Bonac. *p.* 1. *cit. n.* 12. nisi hujusmodi clericus, qui antea non solebat interesse divinis, in infirmitate mutaret mentem, et haberet firmum propositum interessendi; nam tali casu post propositum ita conceptum unica absentiae causa foret infirmitas

88

3. Requirunt aliqui, ut talis clericus praesens sit in loco beneficii; nam si extra illum existens infirmetur, negant, distributiones lucrari. Sed melius cum Monet. Bonac. Barbos. distinguit Pal. *n.* 6. dum id verum esse concedit de eo, qui absque legitima causa a loco beneficii abest; de illo autem, qui ex legitima causa discessit, praecisa contraria consuetudine, negat, cum eo casu infirmitas sit vera causa absentiae.

4. Requirit Prob. *in cap. un. h. tit. in* 6. *n.* 17. apud Covar. *n.* 8. *cit. vers.* 7. ut morbus talis non ex propria clerici culpa evenerit: sed contra communem, quae cum Covar. *vers. cit.* Azor. *quaest.* 11. *cit.* Laym. *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 7. *n.* 2. *vers. alterum*, Barbos *alleg.* 53. *cit. n.* 168. Pirh. *hic n.* 85. Schambog. *n.* 2. Konig *n.* 32. etiam illi distributiones concedit, qui in ejusmodi infirmitatem propria sua culpa incidit, nisi eo fine ab eo sit procurata, ut abesse possit. Ratio est, quia *cap. un. cit.* distributiones generaliter conceduntur infirmis, et voluntarium illud in causa, tanquam nimis remotum, hic a jure non attenditur.

89

Dub. 2. quando censeatur adesse rationabilis, et justa necessitas, ut illam patiens excusetur ab assistentia chori, et nihilominus distri-

butiones lucrari possit ? Resp. Tunc, quando aut absolutam impotentiam interessendi habet , aut talem , ut eidem ex assistentia chori grave damnum vitae , honoris , aut fortunae immineat ; nam ut Pal. *tract.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 2. *n.* 1. notat , ecclesia, tanquam pia mater, credi non potest obligare suos ministros cum tam gravi eorum damno , aut emolumento privare illos , qui ex tam justa, et rationabili causa ab officiis divinis absunt.

In specie autem justam hujusmodi causam habere censetur 1. qui propter senium , aut ob decrescentes corporis vires arbitrio judicis divinis interesse nequit; Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 7. *quaest.* 12. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *n.* 2. Barbos. *alleg.* 53. *n.* 164. Leuren. *p.* 1. *quaest.* 412. *n.* 1. Gonzal. *in cap.* 7. *h. tit. n.* 7. Passerin. *in c. un. eod. in* 6. *n.* 91. et hoc teste declaratum est a cardd. decisumque a rota.

90

2. Qui est valetudinarius , ut medici judicio domi continere se debeat , aut alio se conferre ad officientis sibi aeris inclementiam fugiendam; Monet. *de distribut. p.* 2. *cap.* 2. *quaest.* 6. *n.* 10. Pal. *p.* 9. §. 2. *n.* 2. *vers. primo* , *et vers. seq.* Pirh. *hic n.* 47. Konig. *n.* 33.

3. Qui in loco illo habet inimicum , cujus reconciliationem facile obtinere non potest , et a quo timet grave damnum, si assistat divinis , ut contingit , si in urbe grassetur bellum etc. Monet. *de distrib. p.* 2. *cap.* 2. *quaest.* 5. *n.* 71. *et seq.* Bonac. *D.* 2. *quaest.* 5. *p.* 2. *n.* 8. Pal. §. 2. *cit. n.* 2. *vers.* 6. cum reliquis *supra.*

4. Qui a choro, vel beneficii loco abest ob timorem pestis grassantis in illo loco : quod tamen negat Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 93. dicens , sic declaratum esse a s. congr. quia hoc periculum commune est omnibus , ut adeo non videatur esse rationabile , eandem esse rationem eorum, qui in communi periculo adsunt, cum iis , qui , ut illud fugiant , interesse divinis nolunt.

5. Qui impeditus fuit a capitulo , aut etiam expulsus, quo minus cum aliis interesset choro ; si enim sine sua culpa haec patiatur clericus , debebuntur ei distributiones , quas alias praesentia sua percepisset, ne sine culpa inferatur alicui gravamen; Leuren. *quaest.* 412. *cit. n.* 3. *et* 4. Zoes. *hic n.* 13.

6. Idem dicendum de injuste incarcerato; Steph. Gratian. *di. scept. for. cap.* 806. *n.* 13. Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 8. *vers. undecimo* , Quarant. *V. distributiones vers. de canonico* , Monet. *qu.* 5. *cit. n.* 80. Pal. §. 2. *cit. n.* 3. Barbos. *alleg. cit. n.* 178. cum aliis *supra. Nec refert* , sive in loco beneficii , sive alibi detineatur , ut recte advertit Fagn. *in cap. licet de praeb. n.* 153. contra Covar.

91

7. Neque excluditur a distributionibus quotidianis, qui injuste bannitus, in exilium missus, vel excommunicatus, suspensus, aut interdictus est ob eandem rationem; quia sc. corporali necessitate impeditur, quo minus praesens in choro sit, timore sc. gravioris mali; Covar. *l. cit. vers. duodecimo*, Garc. *p.* 7. *de benef. cap.* 13. *n.* 120. Barbos. *alleg. cit. n.* 174. *et .eq.* cum *cit.*

Ut tamen hi distributiones quotidianas lucrentur, necesse erit, ut, quando tali necessitate non impediebantur, choro interesse consueverint, ut cum *cit.* recte monet Matthaeucc. *in official. cur. eccl. cap.* 44. *n.* 26. nam si alias interesse non fuit solitus, ex hoc, quod absens privetur distributionibus, damnum non percipit ratione impedimenti: imo si non privaretur, excommunicatio, incarceratio etc. licet injusta, afferret eidem lucrum, quod non est rationis.

92

Dixi autem, incarceratum, bannitum, excommunicatum etc. injuste percipere distributiones posse; nam an eas percipere etiam possit excommunicatus, suspensus, incarceratus etc. juste controversia moveri potest. *Videtur posse*, nam, ut *n.* 88. dictum est, eas percipit, qui a divinis abest ob infirmitatem culpa sua contractam: igitur illas non perdet is, qui crimen commisit, ob quod in carcerem conjicitur; quia non impeditur proxime a praesentia in choro ob culpam, sed ob poenam ex culpa resultantem, videlicet incarcerationem, quam ipse vitare nequit.

Sed tenenda est sententia negativa, quam etiam defendunt Covar. *l.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 8. *vers. duodecimo*,. Garc. *p.* 7. *de benef. cap.* 13. *n.* 97. *et seq.* Suar. *de censur. D.* 13. *sess.* 2. *n.* 16. *et* 20. Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 18. *n.* 72. 74. *et* 76. Pal. *tract.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 2. *n.* 4. Zoes. *hic n.* 14. Pirh. *n.* 88. et 89. Viest. *n.* 48. et colligitur ex *cap. pastoralis* 53. *fin. de appellat.* ubi papa ait, excommunicato proventus ecclesiasticos merito subtrahi, cui ecclesiae communio denegatur; nomine autem proventuum ecclesiasticorum contineri quotidianas distributiones, decidit Bonifacius VIII. *extrav. un. vers. et quia non occurrit de decim. int. comm.* Ratio est, quia talis, praesertim si in potestate ejusdem sit, dimissa contumacia mereri veniam, sibi imputare debet, quod a divinis officiis arceatur; nam si ab hac recederet, et satisfacere paratus esset, absolveretur, vel si absolutio indebite negaretur, ipse quoque lucraretur distributiones, sicut eas lucratur, qui injuste excommunicatus est.

Ad rationem dubitandi nego paritatem; nam infirmis *c. un. h. tit. in* 6. generaliter, et sine ulla distinctione inter morborum causas, conceduntur distributiones; incarceratus autem, suspensus, ex-

communicatus, si absint, percipere illas duntaxat possunt ratione justae, et rationabilis necessitatis corporalis : atqui qui juste incarcerati, vel censurati sunt, et propterea divinis adesse nequeunt, non possunt dici abesse ex tali causa, ut recte advertit Monech. *de distrib. p.* 2. *c.*5. *n.* 82.

93

Dub. 3. qualis debeat esse utilitas ecclesiae, ut absenti jus tribuat percipiendi distributiones? Resp. 1. debet esse utilitas evidens; nam dubia utilitas, cessante consuetudine, non concedit jus lucrandi distributiones, cum aequum non sit, ut ecclesia distributiones concedat ob absentiam forte sibi damnosam; Pal. *tr.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 3. *num.* 1.

2. Debet esse gravis utilitas; nam levis a gravi obligatione divinis officiis assistendi non excusat, Pal. *n.* 1. *cit.*

3. Debet esse utilitas ecclesiae non alienae, sed propriae, vel saltem, ut probabilius DD. sentiunt, universalis; nam hujus utilitas, cum communis sit, in omnes particulares ecclesias redundat, ut proin, qui in ejus utilitatem abest, abesse censeatur ob utilitatem ecclesiae suae.

94

4. Requirunt aliqui, ut sic occupatus in negotio ecclesiae suae sit praesens in loco beneficii. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 8. *vers. octavo*, Gutier *q. can. l.* 1. *cap.* 1. *n.* 144. persuasi textu *c. cum deceat* 30. *de elect. in* 6. ubi clerici accedentes sedem apostolicam pro negotiis suarum ecclesiarum consequuntur fructus illarum, non tamen distributiones. Sed quia *c. hoc* loquitur in casu speciali absentiae ob instructionem electionis, *c. un. h. tit. in* 6. autem indistincte distributiones ob ecclesiae utilitatem absenti attribuit, ideo melius cum Pal. *l. cit. n.* 2. dicitur absentiam a loco beneficii non abesse, si illa in utilitatem propriae ecclesiae cedat.

4. Adjungunt alii, ut distributiones lucretur in negotiis ecclesiae occupatus, requiri, quod eadem negotia extra tempus divini officii non potuerint expediri; nam si expediri potuerunt alio tempore, beneficiarius vero illa expediat tempore divinorum officiorum, negant ei distributiones deberi. Sed quia *n. un. cit.* privilegium lucrandi distributiones non limitatur ad eos, qui negotia pro utilitate ecclesiae suscepta nulla via praevenire, aut postponere tempori officiorum divinorum potuere, ideo dicendum etiam tali casu absentem illas lucrari, cum negari nequeat, eum tempore officiorum divinorum in evidenti ecclesiae utilitate occupatum fuisse.

95

Sed quaeres, quandonam utilitas ecclesiae sit ita gravis, et evidens, ut absens distributiones lucrari possit? Resp. hoc definiendum judicio virorum prudentum, et timoratae conscientiae: ut bene advertit Pal. §. 3. *cit. n.* 2.

In specie sic abesse censetur 1. quia Romam mittitur, ut negotia ecclesiae suae agat, vel alio in loco abest, ut defendat jura suae ecclesiae, capituli, beneficii; Barb. *de offic. episc. alleg.* 53. *n.* 171. *et seq.* Bonac. *D.* 2. *q.* 5. *p.* 2. §. 3. Pal. *l. cit. n.* 10. Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *n.* 114. Pirh. *hic n.* 91. Vviestner *n.* 49.

2. Qui visitat ecclesiam, jura, et reditus praebendae suae, v. g. archidiaconus archidiaconatum suum; nam tali visitatione detentus lucratur fructus praebendae, cujus jura, et reditus visitat, licet divinis eo tempore non intersit; Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 7. *q.* 10. *fin.* Barb. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 12. Passerin. *ibid. n.* 112. Leuren. *for. benef. p.* 1. *q.* 104. Zoes. *n.* 12. *hic*, Pirh. *n.* 91. Dixi, *praebendae suae, cujus jura visitat*; nam si archidiaconus e. g. habet simul canonicatum, dum visitat archidiaconatum, non lucratur distributiones canonicatus, nisi hic accessorie sit annexus archidiaconatui; quia tunc visitatio non cedit in utilitatem canonicatus; Garc. *p.* 3. *de benef. cap.* 2. *n.* 338. Pal. *l. cit.* 9. Leuren. *n.* 4. Pirh. *n.* 91. *cit.*

96

Qui praebendam habet, cui cura animarum annexa est; nam hic, si per seipsum incumbere illi velit pro tempore, quo in ecclesia curata resederit, tanquam praesens in ecclesia cathedrali, vel collegiata haberi debet, et cons. distributiones lucratur, ut decretum est a Trid. *sess.* 22. *cap.* 3. *de reform.* quod intellige, si canonicatui, vel alteri praebendae ecclesia parochialis unita, seu incorporata sit; nam de canonicis habentibus ecclesias parochiales extraneas, seu non unitas, hoc non procedit, ut declaratum est a sac. congr. card. Trid. interp. apud Joan. Gallemart *ibid. n.* 8.

4. Qui ab episcopo, vel capitulo mittitur ad visitanda ejus nomine limina apostolorum, aut eundem in hac causa comitatur. Ita a Sixto V. *constit.* 17. *et congr. concil.* saepius decisum refert Garc. *p.* 3. *de benef. cap.* 2. *n.* 349.

4. Qui a capitulo mittitur tanquam legatus ad pont. vel principem ad gratulandum de felice aliquo eventu, quando consuetudo est has fieri legationes; Bonac. *n.* 11. Pal. *n.* 5. *cit.*

6. Qui a capitulo mittitur ad concilium generale, vel provinciale tanquam theologus, canonista, vel ecclesiae suae procurator;

Bonac. *D.* 2. *de hor. canon. q.* 5. *p.* 3. *n.* 13. Monet. *de distribut. p.* 2. *q.* 11. *n.* 91. Barbos. *alleg.* 53. *n.* 158. Pal. *n.* 5. *cit.*

97

7. Qui ab eodem deputatur ad recipiendas rationes redituum, et bonorum ecclesiae; Pal. *n.* 6. Leuren. *n.* 7. Pirh. *n.* 91.

8. Qui est vicarius generalis, non episcopi (nam hic potius censetur servire episcopo) sed capituli, sede vacante; cum enim ecclesiae sit magis commodum, ut jurisdictio exerceatur per unum deputatum vicarium, quam per totum capitulum, officio isto fungens censetur abesse ob utilitatem ecclesiae suae; Garc. *l. cit. n.* 358. Pal. *n.* 7.

9. Obses datus ab ecclesia, aut etiam repressaliorum causa captus; quia ob causam ecclesiae abest; Monet *n.* 56. Pal. *n.* 12. Barbosa *n.* 165.

Neque obstat hactenus dictis *c. cum non deceat* 30. *de elect. in* 6. quod ecclesiarum suarum utilitatem, et negotia prosequentes dicuntur quidem beneficiorum suorum fructus integre percipere, *quotidianis tamen distributionibus exceptis, etc. de cetero* 7. *h. tit.* ubi canonicis in episcopi obsequio absentibus beneficiorum suorum fructus quidem conceduntur, victualia tamen, seu distributiones expresse negantur; dici enim potest distributiones sic absentibus non deberi jure communi, quod continent textus *cit.* deberi tamen ex consuetudine, quam *c. un. cit.* approbat Bonifacius VIII. et ita textus istos conciliat gloss. *in c. un. cit. V. utilitas in addit.* Joan. Andr. *ibid. c.* 4. *l.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 8. *V. octavo,* Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 7. *q.* 14. *etc.*

98

Quaeritur 3. an praeter tres casus hactenus relatos ii, qui divinis officiis non intersunt, recipere distributiones quotidianas possint? Et quidem 1. dubitatur, an ex privilegio possit aliquis a residentia chori excusari, et distributiones in absentia consequi? Resp. posse, sed tantum per privilegium concessum a summo pont. nam inferior in lege superioris dispensare non potest; Pal. *tr.* 7. *D.* 3. §. 10. *n.* 2. qui tamen *n.* 3. excipit, si dispensatio solum fieret ad breve tempus, et ex causa rabionabili; hujus enim potestatem ipse concessam fatetur episcopis.

Tale privilegium habet 1. poenitentiarius ecclesiae cathedralis, qui aliis in choro psallentibus, in ecclesia excipit confessiones poenitentium ex decreto Trid. *sess.* 24. *c.* 8. *in fin de reform.* et probabilius etiam alii clerici illum ob multitudinem penitentium adjuvantes; Monet. *de distribut. p.* 2. *q.* 11. *n.* 68. Pal. *tr.* 9. *cit.* §. 5. *n.* 3. Barb. *alleg.* 54. *n.* 160. Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 116.

2. Canonicus assistens episcopo in ecclesia cathedrali, aut aliis civitatis locis pontificalia exercenti ad praescriptum Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *vers. omnes vero de reform.* et declaratum est a card. teste Fagnan. *in cap. licet de praebend. n.* 168.

99

3. Missam tempore, quo horae dicuntur, jussu superioris, et non praecise suo lubitu, et devotione celebrans, nisi etiam huic distributiones consuetudo concedat; Leo *thes. for. eccl. p.* 2. *c.* 2. *n.* 25. *et* 26. Barb. *alleg. cit. n.* 134. Passerin. *n.* 69. *et* 163.

4. Habens praebendam magistralem, vel lectoralem, cum in propria ecclesia concionatur, aut legit; nam hic distributiones lucratur non tantum pro tempore, quo concionatur, aut legit, sed etiam pro toto die, quo ad concionem dicit, aut legit, prout concessit Gregorius XIII. et declaratum est a s. congreg. teste Pal. *p.* 9. *cit.* §. 6. *n.* 1. Passerin. *in cap. nn. cit. n.* 115. Mattaeucc. *offic. cur. eccl. cap.* 44. *n.* 32. Petra *tom.* 4. *comment fol.* 257. *n.* 53. *et seq.*

5. Addunt aliqui auditores rotae ex privilegio Clementis VIII. incipit *convenit* edito *non. aug.* 1525. et inquisitores contra haereticam pravitatem ex privilegio Pauli III. et S. Pii V. Sed contrarium tenet Passerin. *l. cit. n.* 62. et adducit eandem bullam Clem. ubi pontifex expresse negat auditoribus rotae non residentibus, posse percipere distributiones quotidianas; unde ut has in absentia percipiant, alio privilegio debent esse muniti. Et idem dicendum de inquisitoribus, prout declaratum est a Card. teste Passerin. *l. cit. n.* 63. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 187. *n.* 15.

100

Dub. 2. utrum statuto induci possit, ut fructus, et distributiones quotidianas lucrentur etiam illi, qui tribus mensibus, vel ultra illos absunt, pro tempore, quo absunt? Resp. distinguendo, an statutum hujusmodi factum sit ab ipso fundatore ecclesiae, an a capitulo, vel ab episcopo, seu ordinario. *Si primum*, tale statutum valet prout declaratum est a card. teste Monet. *de distr. p.* 2. *q.* 13. *a n.* 33. Pal, *p.* 9. *cit.* §. 11. *n.* 2. *etc.* Ratio est, quia ss. canones fundationes non immutant, sed illas relinquunt intactas, ne alii a similibus fundationibus avertantur. *Si secundum*, teste eodem Pal. *n.* 3. communis omnium doctrina est, tale statutum esse invalidum; quia inferior adversus superiorem nequit statuere; igitur cum a concilio trid. statutum sit, ut tribus tantum mensibus praebendati abesse valeant, et his quidem fructus duntaxat, non autem distributiones lucrentur, statutum huic dispositioni contrarium erit invalidum.

101

Patitur tamen doctrina ista limitationes aliquas. Et 1. quidem, si statutum tale sit confirmatum a sede apostolica ex certa scientia, et cum cognitione causae; tunc enim valet, non quidem ratione statuentis, sed ex pont. confirmante. 2. si causa sit urgens, nec cogitata per canones, et pontifex facile non possit consuli; sed tunc non tam statutum, quam dispensatio vocari debet. 3. si dubium sit, an concessio per statutum facta non jam comprehendatur sub illa, quae fit a jure; tunc enim valebit statutum, tanquam declaratio juris dubii. 4. si ecclesia non habeat praebendas distinctas a distributionibus; quia tunc potius sunt fructus praebendae, cons. debentur iis, quibus in absentia jure communi, vel speciali fructus debentur 5. quando ex communibus proventibus capituli, seu ex mensa capitulari, ut vocant, aliqua pars deducitur, vel olim deducta fuit pro quotidianis distributionibus; nam tali casu, ut notat Pirh. *hic n.* 94. probabile est, statuto, vel consuetudine induci posse, ut, qui ex justa causa absentes sunt, etiam distributiones percipiant. Rationem dat, quia distributiones istae in locum praebendae succedunt, cons. naturam istius faciunt. Videatur Pal. §. 11. *cit.*

102

Dub. 3. an possit induci consuetudine, ut absens distributiones lucretur? Resp. distinguendo inter consuetudines, quae viguerunt ante trid. et inter illas, quae post illud inductae sunt. *Priores* a laudata synodo *sess.* 24. *c.* 12. *de ref.* sublatas fuisse pro certo haberi debet teste Pal. *tr.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 12. *n.* 1. dubitat tamen de immemoriali, ex ratione, quod consuetudo immemorialis non censeatur sublata, nisi constitutio, consuetudinem tollens, ejusdem mentionem expressam faciat; quod tamen non fit a trid. *l. cit. posteriori* seu post trid. inducta consuetudine jus distributiones percipiendi tribui absenti posse aliis *cit.* affirmat Pal. *dict.* §. 12 *n.* 1. si ex honesta, et rationabili causa fiat; nec sine ratione; nam consuetudine induci potest, quod potest induci per privilegium; atqui privilegio induci potest, ut absentes distributiones quotidianas lucrentur: igitur etiam hoc obtineri potest per consuetudinem.

103

Talis censetur 1. consuetudo, qua in aliquibus ecclesiis conceditur jubilaeum absentiae iis, qui per 40. annos ecclesiae inservierunt, ut non tantum fructus, sed etiam distributiones possint percipere; nam ut *n.* 70. dictum est, id introduci potest per speciale statutum; nec ratio deest, ut sic ostendatur gratitudo pro tam continuo, et perseveranti servitio.

2. Similiter rationabilis erit consuetudo, qua distributiones conceduntur canonicis, qui ex legitima, seu a jure approbata causa, et ad breve tempus a choro absunt; quia haec consuetudo honestari potest ex eadem causa, qua honestatur concessio fructuum; Cov. *l.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 5. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 7. *n.* 3. Pal. §. 12. *cit. n.* 6. Fag. *in cap. licet de praeb. n.* 95. *et* 134. Pign. *to.* 1. *cons.* 130. *n.* 3. *et seq.* Lent. *for. eccl. p.* 1. *q.* 421. *n.* 5. Pirh. *hic n.* 84. Konig *n.* 34.

104

3. Sustinenda videtur consuetudo, qua beneficiarius rediens ex itinere, quod ob negotia ecclesiae peragenda instituit, per duos, vel tres dies lucratur distributiones, etsi ad divina officia non accedat, quia post laborem est quiescendum, et ideo sic quiescens negotia ecclesiae adhuc videtur agere; Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 7. *quaes.* 5. *vers. quaeres* 2. Passer. *in cap. un. cit. n.* 167. Leur. *n.* 5. *cit.* Pirh. *n.* 84. quod extenditur etiam ad profecturum, ita, ut concedantur, ei duo, vel tres dies pro praeparatione ad iter, quibus pro praesente in choro habeatur etiam in ordine ad lucrandas distributiones, ut cum *cit.* monet Pal. §. 12. *cit. n.* 16. *ver. quod dictum est.*

4. Non minus introduci potest consuetudo, ut unus canonicus tempore, quo obligatus est servitio chori, possit substituere canonicum alium pro eo tempore non obligatum, et sic distributiones lucrari; quia tali casu cultus divinus non imminuitur, sed chorus frequentatur, per substitutum, sicque obtinetur finis, ob quem distributiones sunt introductae; Pal. §. 12. *cit. n.* 13. Pign. *to.* 1. *cons.* 130. per totam, *et n.* 23. cit. Bonac. *D.* 2. *qu.* 1. *p.* 5. *n.* 1. *et q.* 5. *p.* 6. *n.* 17. attestantes, ita esse usu receptum Romae. *Neque obstat*, quod tale statutum fieri nequeat ex declaratione card. apud Barbos. *de canon. et dignit. cap.* 31. *n.* 4. negatur enim paritas; quia statutum contra legem superioris non admittitur, admittitur autem consuetudo contra jus.

5. Etsi honestius sit, ipsique juri magis conveniens ut pro singulis horis canonicis, et missa conventuali distributiones constituantur, valida tamen est consuetudo, quae in quibusdam ecclesiis obtinuit, ut in quibusdam tantum horis, v. g. in matutino, et in missae sacrificio distributionum partitio fiat, sicque qui ibi adest, etsi in ceteris non compareat, distributiones lucretur; Barb. *jur. eccl. l.* 3. *cap.* 18. *n.* 83. Leur. *p.* 1. *for. benef. qu.* 416. *n.* 2. Pign. *cons.* 130. *cit. n.* 9. Pirh. *hic n.* 98.

105

Dub. 4. utrum distributiones quotidianae canonicis, qui sunt in servitio papae, vel episcopi, aut alia ex causa legitime impediti sunt

debeantur jure communi, praecisa speciali consuetudine, statuto, vel privilegio? Videntur competere. 1. quia absens ex justa causa non dicitur abesse; *cap. ex parte* 13. *h. t.* praesertim si ob utilitatem publicam absit 2. infirmi, et servientes propriis praelatis aequiparantur; *cap. ad audientiam cit.* sed infirmi tempore infirmitatis lucrantur distributiones, ut dictum est *n.* 86. 3. tam fructus grossi, quam etiam distributiones quotidianas designantur in stipendium clericalis officii ergo sicut occupati in servitio episcopi lucrantur fructus grossos, ita etiam lucrabuntur distributiones.

106

Sed dicendum, eos quidem lucrari fructus grossos, non autem distributiones quotidianas. Ita aliis *cit.* Gonz. *in cap.* 7. *h. t. n.* 3. et constat ex *cap. licet* 32. *de praeb. cap. fin. de rescr. in* 6. *cap. cum non deceat* 30. *de elect. eod. cap. un. h. t. in* 6. Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de ref.* ex quibus textibus patet, distributiones deberi solum ratione interessentiae in divinis officiis, cons. iis, qui his non intersunt, non debentur, nisi speciali privilegio muniti sint.

107

Neque contrarium evincunt rationes dubitandi. *Ad* 1. aliud est aliquem haberi pro praesente, aliud pro interessente in divinis officiis; nam residens in loco beneficii pro praesente habetur pro toto anno, etsi aliquoties, imo saepe non intersit divinis: et hinc etsi fructus grossos lucretur, non tamen percipit distributiones quotidianas, nisi pro tempore suae interessentiae. *Ad* 2. infirmi ad percipiendas distributiones muniti sunt privilegio, quo non sunt muniti alii, utcunque legitima ex causa absint: unde cum privilegia trahi non debeant in consequentiam, ab infirmis ad ceteros impeditos non debet fieri illatio. *Ad* 3. negatur paritas; nam fructus grossi deferuntur ratione beneficii, cons. hos lucratur beneficiarius, modo in beneficio resideat eo modo, quo jus requirit; at distributiones, inspecta natura sua, debentur tantum ratione interessentiae, ut proinde qui divinis non interest etiam inculpabiliter, nisi ex privilegio pro interessente habendus sit, easdem lucrari nequeat.

108

Dub. 5. an qui in eadem ecclesia ex privilegio, vel consuetudine obtinet duo beneficia, v. g. praeposituram, et canonicatum, sicut alicubi in Germania nostra solet, simplices tantum, an vero duplices distributiones quotidianas debeat recipere? Negant deberi duplices Lud. Gom. *tract. de exspect. n.* 54. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 7. *q.* 13. *prop. fin.* Monet. *de distr. p.* 2. *q.* 4. *n.* 6. Zoes. *hic n.* 16. Hon. *n.* 23. Pass. *n.* 25. et hoc teste responsum est a s. cong. *die* 7. *maji* 1602. et Rota *in Seguntina canonicatus* 6. *april.* 1609. Facit huc 1.

textus *l. si plures* 9. *princ. ff. de pact.* ubi dicitur esse difficile, ut unus homo duorum vices sustineat: id quod praecipue in hac personali praesentia obtinet 2. Distributiones quotidianae non dantur ratione beneficii, sed ratione officii, et muneris, quod quis facit in ecclesia: ergo duplices distributiones non debentur ei, qui licet duo beneficia habeat in ecclesia, duo tamen munera, et officia simul non obit. 3. talis non magis praesens est, nec plus laborat, quam qui praepositus, vel canonicus tantum est.

Verum his non obstantibus, duplices eo casu distributiones interesenti deberi affirmant Abb. *in cap. cum olim* 12. *de sent. et re judic. n.* 12. Felin. *ibid. n.* 2. Cov. *l.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 6. Hojeda *de incompat. ben. p.* 1. *c.* 12. *a n.* 15. Vasq. *de benef. c.* 4. *n.* 22. Barb. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 18. *n.* 31. Leur. *p.* 1. *q.* 415. *et par.* 3. *q.* 136. Pirh. *hic n.* 10. Vviest. *n.* 52. *Ratio est*, 1. quia potest quis duplici munere fungi, modo exercitium unius non repugnet alteri, vel alterius usum impediat; ita est de munere praepositi, et canonici: ergo etc. 2. talis vere officiis divinis praesens est, non tantum, ut praepositus, sed etiam ut canonicus: igitur utroque titulo, cons. duplices distributiones eidem debentur. 3. si quis in eadem ecclesia duplicem dignitatem, vel praebendam habet, vocem in electionibus, et ceteris actibus capitularibus duplicem habere potest: *cap. cum olim cit.* ergo etiam is, qui simul est praepositus, et canonicus, si praesens in choro sit, duplices distributiones percipiet, cum jure diversarum personarum gaudeat.

109

In contrarium allata non multum urgent. *Ad* 1. textus ille intelligendus est, quando jura, et munera diversorum inter se pugnant; si vero non pugnant inter se invicem, nihil prohibet, plura jura, et munera in eandem personam concurrere, ut colligitur ex *l. tutorem* 22. *ff. de his, quae ut indign. Ad* 2. etsi talis munus, et officium suum non obeat dupliciter, obit tamen illud ut persona duplex: cons. cum personali assistentiae debeantur distributiones ei, qui assistit in choro ut persona duplex, debebuntur distributiones duplices. *Ad* 3. licet talis non magis sit praesens physice, quam is, qui est praepositus tantum, tamen est magis praesens moraliter, cum fungatur duorum munere: quod praesertim locum habet, ubi canonici in choro praesentes non per seipsos, sed per vicarios psallunt.

110

Dub. 6. an absens a choro distributiones lucretur, si alii canonici, quibus distributiones absentium competunt, illas eidem donent, vel remittant? Resp. distinguendo, an distributiones illae praesentibus jam obvenerint, an primum sint obventurae. *Si primum*,

nihil prohibet, eas absentibus donari liberaliter; quia jus illarum praesentibus jam plene quaesitum est, adeo, ut donare illas, vel alienare in quemcunque possint; Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 7. *qu.* 9. *vers. quaeres.* Vivian. *in cap. un. h. tit. in* 6. *vers. et qui aliter.* Leuren. *p.* 1. *qu.* 412. *n.* 2. *fin.* Pirh. *hic n.* 102. Schamb. *n.* 15. Vviest. *n.* 55.

111

Si secundum, non possunt illas donare, vel remittere absentibus; nam hoc expresse prohibuit trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* ibi, *distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant*: et ratio sic statuendi fuit, quia alioquin daretur occasio canonicis se absentandi a choro sub specie remissionis, seu condonationis, et recuperationis distributionum. *Proceditque* hoc non tantum de remissione antecedente amissionem distributionum, sed etiam de illa, quae amissionem earum ob neglectam in divinis praesentiam sequitur, si antecedat actualem ipsarum acquisitionem a praesentibus, ut bene advertunt Garc. *p.* 3. *de benef. c.* 2. *n.* 427. *et seq.* Barbos. *de offic. episc. alleg.* 53. *n.* 140. Pal. *tract.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 13. *n.* 6. et his testibus decisum est a s. congr. patet ex trid. *cap.* 12. *cit.* ubi exclusam vult quamlibet remissionem, et collusionem: ergo non excludit tantum remissionem distributionum amittendarum, sed etiam amissarum.

TITULUS V.

De praebendis, et dignitatibus.

Cum aequum sit, ut clerici residentes in ecclesiis suis, etiam de altari, cui serviant, vivant, ne in opprobrium ordinis clericalis vel mendicare, vel negotiari cogantur, idcirco iisdem conferuntur praebendae, et dignitates.

§. I.

De praebendarum, et dignitatum ecclesiasticarum natura et origine.

SUMMARIUM

1 *Vocis praebendae diversa acceptio.*
2 *Definitio praebendae, seu beneficii.*
3 4 5 *Explicatio hujus definitionis.*
6 *Signa, unde cognoscitur, quod aliquid sit beneficium.*
7 *An beneficium sit commenda?*
8 *Capellania?*
9 *Praestimonium?*
10 *Quid dicendum de hospitalibus?*
11 12 *Et praeceptoriis, seu commendis ordinum militarium?*

1

Quaeritur 1. quid nomine *praebendae* hoc loci veniat? Resp. *Praebenda* a *praebeo* dicitur, quia praebet ministris, et officialibus ecclesiae alimoniam suam. Sic generice accepta duplex est, *temporalis*, *et spiritualis*. *Illa* est, quae sive clerico, sive laico ex reditibus ecclesiasticis datur pro labore, seu officio temporali, v. g. cantori, aedituo, advocato, magistro etc. *Ista* vero est jus percipiendi proventus ecclesiasticos ratione canoniae, vel officii spiritualis. Et iterum dupliciter potest accipi, videlicet aliquando *specifice et stricte* pro praebenda annexa canonicatui sive cathedralis, sive collegiatae ecclesiae, aliquando *generice*, *et late* pro beneficio ecclesiastico qualicunque: et in hoc sensu praebenda, et beneficium ecclesiasticum, saltem inferius, convertuntur. *Inferius*, inquam; nam si proprie velimus loqui, *praebendae* nomen beneficia inferiora solum includit, majora autem *dignitates* dicuntur. Hinc in praesenti rubrica signate ponitur *de praebendis et dignitatibus*, non obscure

innuendo praebendam distingui a dignitate. Saepe tamen beneficium, et praebenda cum dignitate confundi solent: et in hoc sensu

2

Quaeritur 2. quid sit *praebenda*, seu *beneficium ecclesiasticum*? Resp. *Est jus perpetuum percipiendi reditus ex bonis ecclesiasticis propter aliquod servitium spirituale, authoritate ecclesiae constitutum.* Ita Garc. *de benefic. p.* 2. *cap.* 2. *n.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 1. *qu.* 2. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 34. *n.* 1. Laym. *l.* 4. *theol. tr.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. Pal. *tract.* 13. *D.* 1. *p.* 1. Vallens. *de benef. l.* 1. *tit.* 1. *n.* 12. Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *cap.* 4. *n.* 8. cum communi ceterorum. *Beneficium* appellatur; quia nemini in particulari stricto jure justitiae debetur, sed est gratuita concessio, sive gratia.

Dicitur 1. *Jus*; quia beneficium numeratur inter res incorporales. Debent autem in beneficio duplicis generis jura distingui. *Unum*, quod est simpliciter, ac per se spirituale, videlicet jus officii, seu potestas exercendi muneris spiritualis, quatenus id ecclesiae ministro competit. *Alterum* secundum se temporale est, quia ad reditus temporales porrigitur, quos percipiendi potestatem tribuit; dicitur tamen etiam ipsum spirituale, quia tale est in radice, quae spiritualis est, cum oriatur ex officio spirituali, propter quod beneficium datur clerico; Pal. *p.* 1. *cit. n.* 2. Haec duo jura separari a se invicem possunt; nam fieri potest, ut quis jus spirituale, e. g. canoniam habeat, etsi nullos accipiat reditus; contra fieri saepe solet, ut quis habeat reditus ecclesiasticos, non tamen ob munus spirituale, sed aliam ob causam, v. g. ad litterarum studia, ad bellum contra infideles, in remunerationem meritorum, propter officium cantandi etc. Laym. *cap.* 1. *cit. n.* 3. *vers. porro.*

3

Dixi 2. *percipiendi reditus*; nam hoc solum jus beneficium formaliter constituit, non prius officii, quippe quod solum est fundamentum illius, et causa. Ex quo *sequitur* 1. posse dari canonicum sine praebenda; canonicum enim non praebenda, sed titulus per collationem juris spiritualis acquisitus facit: patet ex definitione canoniae, seu canonicatus, canonia enim, ut Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 12. Zoes. *hic n.* 3. Schambog. *n.* 2. Engl. *n.* 1. *vers. dico* 1. cum aliis recte advertunt, est jus spirituale, quod ex electione, collatione, vel institutione, et receptione alicujus in canonicum oritur, ac tribuit stallum, sive sedem in choro, ac vocem, et jus suffragii in capitulo, siquidem in sacris sit constitutus. *Sequitur* 2. canonicum talem, qui praebendam non habet, canonicum quidem vere esse, beneficiarium tamen dici non posse; quia jus percipiendi reditus, in quo ratio beneficii consistit, solum remotum habet. *Se-*

quitur 3. posse in aliqua ecclesia esse majorem numerum praebendarum canonicalium, quam canonicorum, et contra horum majorem, quam praebendarum; fieri enim potest, ut praebenda aliqua competat alicui non canonico, et contra canonicus aliquis nullam praebendam habeat; gloss. *in capit.* 25. *vers. tredecim praebendarum* junct. *addit. hoc titul. in* 6. Ancharan. *ibidem in princip.* Pirh. *hic numer.* 269.

4

Dixi 3. *perpetuum*: quae vox duobus modis explicari potest: *uno*, ut sit perpetuum in ipso beneficiato, ita, ut huic, postquam ipsi legitime collatum est, auferri sine gravi, et legitima causa nequeat; *altero*, ut perpetuum duntaxat sit in ipso beneficio, quatenus collatori quidem liberum sit illud auferre, non aliter tamen quam ut ablatum uni illud alteri conferat. Utro ex iis duobus modis jus percipiendi reditus perpetuum esse debeat, difficultas est: *primo modo* debere esse perpetuum, videtur colligi ex *can. fin. dist.* 70. ibi: *In qua ecclesia quilibet titulatus est, in ea perpetuo perseveret*; et urget etiam ratio; nam pensiones, et vicariae temporales ex eo solum capite a ratione beneficii excluduntur, quod jus percipiendi reditus ex beneficio titulo spirituali quidem, sed non perpetuum tribuant. *Contra altero modo* perpetuum esse ad beneficii constitutionem sufficere, DD. consensus evincit, qui beneficiorum numero adscribunt beneficia manualia, et regularia, licet revocari ad nutum possint, et nullum jus perpetuum beneficiario tribuant: imo, ut *cap. si gratiose* 3. *de rescript. in* 6. innuitur, beneficia omnia temporalia fieri a papa possunt. Verum haec difficultas ope distinctionis resolvi potest, si dicatur, ad rationem beneficii simpliciter talis sufficere, ut tribuat jus perpetuum secundo modo; ut vero sit beneficium stricte, prout illud communiter accipiunt ss. canones, requiri, ut tribuat jus perpetuum primo modo. Ita Azor. *p* 2. *l.* 3. *cap.* 26. *quaest.* 12. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 34. *n.* 3. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. Vall. *de benef. l.* 1. *tit.* 1. *n.* 6. Pal. *tract.* 13. *D.* 1. *p.* 1. *n.* 5. Leuren. *for. benef. p.* 1. *sess.* 1. *cap.* 1. *quaest.* 4. Illsung. *tract.* 5. *D.* 2. *n.* 173. Pirh. *hic un.* 3. Schambog. *n.* 3. Vvies. *n.* 6. et novissime clariss. P. Schmier *tract. de person. reb. et jurib. eccl. p.* 2. *cap.* 3. *n.* 8. *et duobus seqq.* Neque aliud probant argumenta opposita; nam 1. *can. fin. cit.* solum loquitur de beneficio stricte dicto, quod in titulum confertur. 2. Pensiones, et vicariae temporales a ratione beneficii in hoc aberrant, quod nec in se perpetuae sint, sed vel per mortem, vel per ablationem arbitrariam omnino cessent. 3. Beneficia manualia, et regularia contra in numero beneficiorum connumerantur; quia etsi beneficiato

jus perpetuum nullum tribuant, in se tamen perpetua sunt, et licet auferri pro arbitrio possint, ablata tamen necessario debent conferri alteri.

5

Dixi 4. *Ex bonis ecclesiae*; nam bona immobilia, et alia dominia, ac jura, ex quibus beneficiorum percipiuntur reditus, ad particulares quasque ecclesias pertinent; sunt enim bona universitatis: eorum vero administratores, et curatores sunt episcopi, aliique ordinarii ecclesiarum tum saecularium, tum regularium rectores, ut docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 43. *art.* 8. *in corp.*

Dixi 5. *Ratione officii spiritualis*; quo fit, ut siquis ex bonis ecclesiae proventus, et reditus annuos colligat, atque percipiat, non ob aliam causam, nisi tanquam mercedem pro temporali aliquo, profanoque ministerio, is nequaquam beneficiarius, aut beneficio provisus dici possit.

Dixi 6. *Authoritate ecclesiae constitutum*; neque enim ulli laico competit potestas ejusmodi reditus percipiendi jus annectendi perpetuo officio spirituali; Less. *cap.* 34. *cit. n.* 4. Pal. *p.* 1. *cit. n.* 3. Pirh. *n.* 6. Konig *n.* 20. Vviest. *n.* 3. Ex quo sequitur, tametsi aliquis sive laicus, sive clericus privatus certas missas, vel anniversarium etiam in perpetuum fundarit, eisque stabiles assignarit reditus, nisi tamen episcopi, vel alterius ordinarii authoritas intercedat, eam fundationem non beneficium ecclesiasticum, sed piam solummodo donationem, aut legatum fore, nec beneficii nomine comprehendi, quoties in jure, vel litteris papalibus de beneficio mentio fit; Barb. *jur. eccl. l.* 3. *cap.* 4. *n.* 15. Van Espen *jur. eccl. p.* 2. *tit.* 18. *cap.* 1. *n.* 22. Engl. *hic n.* 1. *vers. dico* 4. Vvies. *n.* 3. *cit.*

6

Quaeritur 3. unde dignoscatur aliquid esse beneficium ecclesiasticum? Resp. dignosci ex variis, ut refert Vall. *l.* 1. *de benef. tit.* 1. *n.* 7. 1. Ex persona providentis, seu conferentis, puta, si consueverit conferri authoritate episcopi, vel alterius praelati ecclesiastici; nam beneficia ecclesiastica jure communi non nisi authoritate episcoporum, aliorumque ecclesiae praefectorum tribuuntur; *cap. Messana* 56. *de elect.* 2. Ex persona ejus, cui confertur, veluti quia confertur soli clerico; nam beneficium, ut dictum est, spirituale est, ac proinde laicus ejus incapax. 3. Ex onere spirituali ipsi annexo; quia, ut dixi, beneficium datur propter officium, et ministerium spirituale. 4. Ex modo providendi, ut quia in titulum datur, item pure, et sine pacto, modo, vel conditione, quae ex natura beneficii non insit, nec pro commodo, seu pretio temporali, ut infra *n.* 74. *et seqq.* dicetur. 5. Ex stabilitate juris

ad redituum perceptionem, quod jus in beneficii collatione acquiratur; nam ut *n.* 4. dictum est, jus istud debet esse perpetuum saltem ex natura sua, et in se, quamvis si beneficium sit manuale, perpetuum illud non sit in ipso beneficiario. Ex quibus omnibus facile solvuntur dubia, quae sequuntur.

7

Dub. 1. an *commenda* sit beneficium? Resp. distinguendo; nam duplex commenda est, una *perpetua*, qua ecclesia, vel beneficium alicujus clerici custodiae, administrationi, et curae committitur in perpetuum, seu quamdiu is vivit. Altera *temporalis*, qua beneficium, vel ecclesia commendatur solum ad certum tempus, v. g. quamdiu rector ejusdem abest, vel donec loco defuncti, vel depositi alius novus instituatur. De *priore*, nempe *perpetua*, non est dubium, quod sit beneficium, vel saltem beneficio aequiparetur, ut recte Gonz. *in reg.* 8. *cancell. gloss.* 5. §. 8. *a n.* 1. Barb. *jur. eccl. l.* 3. *cap.* 9. *a n.* 22. Konig *hic num.* 26. Vviest. *n.* 9. et novissime clar. P. Schmier *de pers. reb. et jur. eccl. p.* 2. *cap.* 3. *n.* 24. Ratio est, quia ejus concessio vim, et effectum tituli praebet, adeo, ut hujusmodi commendatarius, non secus, ac verus rector, jus omne in beneficio ita sibi commendato habeat, possitque non tantum fructus ex illo percipere, sed etiam illud in favorem tertii resignare, permutare, possessiones, et bona illius locare etc.

Secus dicendum de *posteriore*, seu *commenda temporali*; nam licet commendatarius beneficii sibi commendati jura ad tempus exercere, et de fructibus ejus portionem sibi assignatam detrahere possit, titulum tamen, et jus in re ex tali commenda nullum acquirit; et propterea etiam resignare talem commendam in alterius favorem nequit, sed si retinere illam non velit, solummodo in superioribus manibus simpliciter dimittere eandem potest; Flamin. *de resign. l.* 2. *qu.* 17. *n.* 6. *et* 7. Barb. *cap.* 9. *cit. n.* 18. Konig *n.* 26. Vvies. *n.* 10. Schmier *n.* 23.

8

Dub. 2. an *capellania* sit beneficium? Resp. *Capellania*, prout illam cum communi definit Vasq. *in* 3. *p. D.* 234. *n.* 25. est onus annuatim, vel hebdomadatim, unam, vel plures missas celebrandi in certa ecclesia, vel altari. Sunt duplicis generis; nam quaedam, interveniente authoritate episcopi, vel alterius superioris ecclesiastici, quasi episcopalem potestatem habentis, authoritate fundatae, erectaeque sunt; aliae sine hac, sola fundatorum nominatione, seu vocatione conceduntur clericis. Illae *collativae*, hae *electivae*, seu *simplices* appellantur.

Posteriores, seu *simplices capellaniae*, etsi a clericis, ex fructibus eorum ecclesiasticis fundatae sint, et collatae etiam in perpetuum, aliaque omnia ad beneficium requisita habeant, beneficia tamen non sunt, quia authoritate ecclesiastica erectae, et constitutae non sunt; Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 8. *quaest.* 3. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 4. *n.* 6. Vall. *l.* 1. *de benef. tit.* 1. *num.* 9. Pal. *tract.* 13. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 1. Barb. *jur. eccl. l.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. Leuren. *for. eccl. p.* 1. *sess.* 1. *cap.* 3. *quaest.* 86. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 15. Engl. *n.* 3. Vviest. *n.* 11. et novissime Schmier *p.* 2. *cit. cap.* 3. *num.* 20.

Quoad *priores*, seu *collativas* est distinguendum: vel enim authoritate ecclesiastica intercedente collatae sunt in titulum perpetuum, vel solum revocabiliter. *Si primum*, proprie, et stricte dicta beneficia sunt. *Si secundum*, beneficia quidem sunt, sed minus proprie, et stricte dicta, prout cum *cit.* advertit Konig. *hic n.* 25. et patet ex dictis *n.* 4.

9

Dub. 3. utrum *praestimonia* sint beneficium? Resp. *Praestimonia*, seu, ut alii vocant, praestimoniales pensiones sunt stipendia, seu proventus annui de bonis ecclesiasticis detracti: ex primaeva, et antiqua sua institutione deputabantur in sustentationem juvenum in studiis versantium, vel aliorum pro fide, ac religione decertantium; nunc ex plurium ecclesiarum consuetudine canonicis, et aliis clericis praestari solent; Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 7. *quaest.* 1. Gonz. *gloss.* 5. *cit.* §. 2. *a n.* 3. Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *cap.* 8. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 12. Vviest. *n.* 13. et communiter ceteri.

An beneficiis accensenda sint, controvertitur inter DD. sed lis haec componi ope distinctionis potest, qua cum *cit.* utuntur Hojeda *de incompat. benef. p.* 2. *cap.* 8. *n.* 12. Flamin. *de resign. l.* 2. *quaest.* 1. *a n.* 124. Vall. *l.* 1. *de benef. tit.* 1. *n.* 10. Konig. *hic n.* 27. Schmier *cap.* 3. *cit. n.* 21. *et* 22. Vel enim talia sunt, ut laicis aeque, ac clericis, et his sine spiritualis obsequii obligatione concedi possint, vel contra spirituale obsequium annexum habent, et in titulum perpetuum conceduntur.

Si primum, indubitato beneficii ecclesiastici nomen non merentur, ut patet ex definitione beneficii *n.* 2. tradita. *Si secundum*, beneficiis accensenda esse ex eadem definitione constat: atque de his intelligi debent constitutiones apostolicae, quibus irritae referuntur collationes, et concessiones super praestimoniis, ecclesiis parochialibus, et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis vacaturis factae; *c. fin. princ. de concess. praebendar.*

10

Dub. 4. quid dicendum de hospitalibus? Resp. Etiam in his est adhibenda distinctio; nam aliqua ex illis ecclesiae, aut alteri beneficio accessorie unita sunt, alia sine hujusmodi unione per se consistunt. *De prioribus* certum est, quod beneficiorum comprehendantur numero; quia accessorium sequitur naturam sui principalis *per reg. accessorium* 42. *de R. J. in* 6. Et idem dicendum, si beneficiis aeque principaliter unita sint, ut cum Rebuffo recte advert. Gonz. *in reg.* 8. *glos.* 5. §. 4. *n.* 16. Val. *t.* 1. *cit. n.* 11. Pirh. *t. de relig. domib. n.* 16. *et hic n.* 16. Vvies. *n.* 6.

Quoad posteriora altera distinctio est adhibenda; nam si talia sint, ut ex fundatione, vel ordinatione publica conferantur clericis tantum per viam electionis a superiore confirmandae, iterum non est dubium, quod beneficii nomine venire debeant, ut ex beneficii definitione liquet. Si vero sint talia, ut vel promiscue pro clericis, et laicis vel solum pro istis sint ordinata, rursus certum est, beneficia nequaquam esse, etsi ecclesiastica authoritate erecta sint, et ecclesias, capellas, caemeteria etc. habeant; quia per hoc loca quidem religiosa fiunt, non tamen beneficia, de quorum essentia est, ut clericis tantum conferri possint; Selva *de benef. par.* 1. *q.* 3. *n.* 9. Rebuff. *de nomin. q.* 13. *n.* 16. Garc. *par.* 1. *de benef. c.* 3. *n.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 7. *n.* 4. Vall. *de benef. l.* 1. *t.* 1. *n.* 11. Barb. *in clem.* 2. *h. t. n.* 2. Pirh. *hic n.* 16. Vvies. *n.* 15. et colligitur *ex clem.* 2. *cit.* ubi negatur litteras apostolicas, expeditas super provisione clericorum de beneficiis, porrigi ad hospitalia: imo hujusmodi hospitalium gubernatio *clem.* 2. *de relig. dom.* §. *vi autem* prohibetur conferri clericis, sed jubetur committi aliis providis, idoneis, et boni testimonii viris; ut proinde, qui illa obtinent non beneficium, sed officium duntaxat, et administrationem ad instar tutorum, et curatorum habere censeri debeant, ut dicitur §. *cit. et l. orphanotrophos* 32. *C. de episc. et cler.*

11

Dub. 5. an beneficia sunt praeceptoriae, seu commendae ordinum militarium s. Joannis Jerosolymitani, s. Mariae Teutonicorum etc. quae equitibus istorum assignari solent, ut ex reditibus, qui ex bonis earum proveniunt, partem aliquam convertant in peregrinorum receptionem, curam aegrorum, aut egenorum eleemosynas, aliam impendant in certos sui ordinis usus, residuum sibi sumant in stipendium sustentationis, et mercedem laboris, ac operae suae?

A beneficiorum numero illas excludunt Tholos. *synt. l.* 15. *c.* 34. *n.* 2. Mandos. *in reg.* 16. *cancell. q.* 51. *n.* 3. Barb. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 7. *n.* 9. et alii ab his *cit.* et videtur istud probari ex triplici ra-

tione 1. quia in hujusmodi praeceptoribus, et commendatariis nullus ordo, etiam minor, et ne quidem tonsura exigitur, ut proinde tanquam laici incapaces beneficiorum sint. 2. Quia praeceptoriae, et commendae istae non conferuntur ratione officii spiritualis, sed operae tantum et servitii temporalis, sc. militiae ; et administrationis bonorum 3. Quia etiam non conferuntur in titulum perpetuum, sed auferri possunt.

12

Sed dicendum, etsi dictae commendae, et praeceptoriae non sint beneficia stricte dicta, esse tamen manualia. Ita Rebuff. *de nomin. q.* 15. *n.* 16. Flamin. *de consid. q.* 17. *n.* 2. Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 4. *a n.* 1. Corras. *p.* 1. *de benef. c.* 3. *n.* 2. Lott. *de benef. l.* 1. *q.* 36. *n.* 3. Vall. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 12. P. Vvies. *hic n.* 18. et noviss. clariss. P. Schm. *de pers. reb. et jur. eccl. p.* 2. *c.* 3. *n.* 25. *et* 26.

Neque aliud probant argumenta opposita. *Ad* 1. licet hi equites, et commendatores, quod ordinibus, et prima tonsura careant, proprie non sint clerici, sunt tamen personae ecclesiasticae, quia religiosi sunt; *c. eum et plantare* 3. *de privil. Ad* 2. quamvis opera, quam praestant ecclesiae, et ob quam commendae hujusmodi ipsis conceduntur, sit temporalis, finem tamen spiritualem habet ; quia conceduntur pro fidei et religionis christianae adversus ejusdem hostes defensione. *Ad* 3. quod commendae istae auferri commendatariis possint, non impedit, quin manualia saltem sint, cum ex institutione sua sint perpetuae, et postquam uni ablatae sunt, alii necessario conferri debeant.

§. II.

De varietate beneficiorum ecclesiasticorum

SUMMARIUM

13 *Divisio beneficii in sæculare, et regulare.*
14 *In dubio potius censetur esse sæculare.*
15 16 17 18 *Requisita, ut beneficium sæculare via praescriptionis migret in regulare, et vicissim.*
19 20 21 22 *Quibus casibus beneficio sæculari præfici possit clericus regularis, et vicissim?*
23 24 25 26 *An adhuc hodie regulares absque dispensatione apostolica capaces sint ecclesiarum parochialium sæcularium?*
27 28 29 *An et quatenus regulares administrare possint parochias monasteriis suis unitas?*
30 *Beneficium simplex quid?*
31 32 *Duplex sub se continet beneficia curata, officia, personatus, et dignitates.*
33 *Advertenda circa beneficia duplicia.*
34 *Divisio beneficii in manuale, et titulare.*
35 *In dubio sæcularia beneficia præsumuntur esse titularia.*
36 *Exceptiones.*
37 *Revocatio manualis fieri valido absque causa potest.*
38 *Divisio beneficii in collativum electivum, et mixtum.*
39 *In patrimoniale, et non patrimoniale.*

Plures beneficiorum divisiones sunt, ut videre est apud Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 1. *q.* 4. Thol. *synt. l.* 17. *c.* 3. Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 6. et alios. Ego celebriores aliquot, et in praxi frequentius occurrentes seligam. Igitur.

13

Dividitur 1. beneficium in saeculare, et regulare. *Saeculare* est, quod clericis saecularibus, h. e. nullam alicujus ordinis religiosi regulam professis conferri debet, ac solet. *Regulare*, quod conferendum tantum est religiosis, et per hos administrandum, ut sunt abbatia, prioratus, canonicatus regularis, et aliquando parochiae; Azor. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 1. *q.* 4. *p.* 1. *de benef. cap.* 6. *n.* 11. Hinc nata est communis regula, juxta quam beneficium saeculare regulariter prohibetur conferri clerico regulari; et viceversa beneficium regulare clerico saeculari, ut colligitur ex *can. in nona* 22. *caus.* 16. *q.* 7. *cum de beneficio* 5. *et c. cum singula* 32. *h. t. in* 6. *clem.* 1. *de elect.* Ratio est, quia minus convenienus est, ut homines disparis professionis, vel habitus simul in iisdem ecclesiis socientur.

14

Dub. 1. quale praesumendum sit esse beneficium aliquod saeculare, an regulare? Resp. In dubio censetur beneficium esse potius saeculare, quam regulare, ut notat Gonz. *in reg.* 8. *canc. glos.* 7. *n.* 1. Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 6. *n.* 12. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 11. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 8. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 3. *vers. denique addendum*, Vall. *de benef. l.* 1. *tit.* 2. *n.* 6. Barb. *in c.* 5. *h. t. in* 4. *n.* 14. Passer. *ib. n.* 7. Et hinc, qui asserit beneficium aliquod regulare esse, in dubio probare illud debet, ut cum *cit.* recte advertunt Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 2. *n.* 2. Pirh. *n.* 8. Vvies. *n.* 19. Probari autem hoc potest ex triplici capite 1. Ex prima institutione, sive litteris fundationis, in quibus ita cautum reperitur, ut beneficium aliquod conferatur tantum regularibus, et ab his administretur 2. Ex privilegio, ex quo nonnullae parochiae regularia beneficia effecta sunt, dum pleno jure alicui monasterio, vel domui religiosae subjectae sunt. Dixi *pleno jure*; nam ad hoc, ut beneficium aliquod regulare sit, non sufficit, quod ejus collatio, vel praesentatio ad regulares spectet, neque quod ipsi religioni, vel monasterio quocumque modo unitum sit (quia haec omnia etiam saeculari beneficio possunt competere) sed necessarium est, ut etiam per regulares administretur; Pal. *n.* 2. Pass. *n.* 6. 3. Ex praescriptione legitima; *c. cum de beneficio cit.*

15

Dub. 2, quid requiratur, ut via praescriptionis beneficium saeculare transeat in regulare, aut vicissim? Resp. 1. requiritur possessio pacifica per legitimum tempus continuata. Et quidem ad hoc, ut saeculare transeat in regulare, quadragenariam exigi facile concedunt DD. omnes. Ut vero regulare transeat in saeculare, aliqui cum Gomez *de expect. n.* 106. volunt sufficere decennalem ex ratione , quia, ut *n. praec.* dictum est, quaelibet beneficia in dubio praesumuntur saecularia; quaelibet autem res facilius revertitur ad primaevum statum, quam ut eundum exuat: ergo etc. Sed parum stringit hoc argumentum ; nam multa beneficia initio statim ex fundatione sunt regularia, quae proinde, dum mutantur in saecularia , ad primaevum suum statum non redeunt : et esto , fuerit hujusmodi beneficium initio saeculare , dum superveniente praescriptione , mutatum est in saeculare , status ille primaevus ita extinctus fuit , ac si nunquam fuisset. Dicendum igitur probabilius etiam tunc requiri possessionem quadragenariam , quando beneficium regulare transit in saeculare. Ita Tholos. *synt. l.* 17. *cap.* 3. *n.* 7. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 26. *q.* 3. Garc. *p.* 7. *de benef. c.* 10. *n.* 35. Gonz. *ad reg.* 8. *cancell. gloss.* 7. *n.* 36. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 17. Pal. *tr.* 13. *D.*

1. *p.* 3. §. 4. *n.* 3. Barb. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 4. *n.* 45. *et* 46. Leuren. *for. benef. p.* 1. §. 1. *c.* 2. *n.* 38. et colligitur ex *c. cum de benef. 5. h. tit. in* 6. Ratio est, quia universim adversus loca sacra, et religiosa non completur praescriptio, nisi 40. annorum spatio; *c. de quarta* 4. *c. ad aures* 6. *de praescript. auth. quas actiones C. de ss. eccl.*

16

2. Requiritur, ut possidentes tale beneficium in eo sint instituti; nam sine institutione beneficium obtineri non potest; *Reg. beneficium* 1. *in* 6. Neque sufficit institutio qualiscumque, sed requiritur 1. ut instituti in eo sint, tanquam rectores ejusdem; neque enim suum statum amittere beneficium potest, si unus, vel plures illud rexissent solum, ut vicarii, vel conductitii; Pal. §. 4. *cit. n.* 5. Passerin. *n.* 22. et ratio est, quia vicarius possidet beneficium non suo, sed alieno nomine; cons. pro se non potest statum illius praescribere. 2. Ut clericus saecularis regulare beneficium administraverit tanquam saecularis, et regularis saeculare tanquam regularis; nam si regularis praeficiatur ecclesiae saeculari, non ut regularis, sed instar clerici saecularis, status beneficii saecularis etiam quadragenaria possessione non immutabitur; Pal. *n.* 5. *cit.* 3. Ut beneficium saeculare regulari, et vicissim non sit collatum ex dispensatione; dispensatio enim statum non mutat: cons. nec possessio, quae illi innititur; Pirh. *hic n.* 122. *et ibi cit.*

17

3. Requiritur bona fides, et titulus. Et quidem, quod bona fides sit necessaria, clarum est; quia malae fidei possessor nullo unquam tempore praescribit. Quoad titulum videndum est, an beneficium, quod ex natura sua est regulare, transeat in saeculare, aut vicissim, an vero quod ex natura sua est saeculare, ut parochiale, ex regulari redeat ad statum saecularem, et quod ex natura sua est regulare, ut abbatia, praepositura, prioratus etc. in monasterio, redeat ad statum regularem. *Si primum*, praeter 40. annorum possessionem pacificam opus est titulo, cum sine hoc talis beneficii non habeatur legitima possessio, vel si titulus non adsit, opus est tempore immemoriali, quo inducatur praesumptio tituli. *Si secundum*, titulo non est opus, sed hic supponitur, cum facile res quaeque ad statum suum primaevum redeant.

18

4. Secundum aliquos requiritur, ut beneficium conferatur animo, et intentione velut imprimendi alium statum beneficio, dicendo, *confero tibi beneficium saeculare*. Sed ut bene advertit Passerinus, *in c. 5. h. tit. in* 6. *n.* 24. hoc cum requisito *prioris num.*

non videtur concordare; videtur enim tolli bona fides, si conferens, et collatarius sciant beneficium sibi collatum ut regulare saeculare esse, nisi in potestate conferentis sit facere regulare, quo casu praescriptione non est opus, cum eo momento regulare efficiatur. Oportet quidem, ut conferens intendat regularitatem, quia oportet, ut intendat conferre beneficium ut regulare; sed non est necesse, ut sciens statum beneficii imprimere eidem velit statum contrarium. Videantur de his latius Garc. *p.* 7. *de benef. cap.* 10. *a n.* 34. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *a n.* 16. Pal. *tr.* 13. *D. p.* 3. §. 4. *n.* 5. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 4. *n.* 68.

19

Dub. 3. utrum beneficiis saecularibus praefici possint clerici regulares, aut vicissim regularibus beneficiis saeculares? Dixi *supra n.* 13. fere, et ordinarie saecularibus beneficiis praeficiendos clericos saeculares, et regularibus regulares: unde colligitur contrarium fieri ex rationabili causa posse.

Et 1. quidem potest beneficium saeculare conferri clerico regulari, et vice versa clerico saeculari beneficium regulare per plenitudinem potestatis papalis; *c. cum de beneficio* 5. *h. tit. in* 6. notat Ancharan. *ibid. n.* 3. Garc. *p.* 7. *de benef. c.* 10. *n.* 38. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 3. §. 4. *n.* 1.

20

Si urgeat necessitas, ut fieret casu, quo ecclesia, sive conventus regularis ita defecit, ut consideratis circumstantiis loci, temporis, et personarum per regulares reformari, et regi non possit; nam eo casu episcopus in eo instituere potest clericos saeculares; *c. inter quatuor* 5. *de relig. domib. cap. abbate* 25. *in fin. V. S.* et tradit Rebuff. *prax. benef. tit. de dispen. cum regular. n.* 40. Garc. *p.* 7. *de benef. c.* 10. *n.* 16. Pal. *p.* 3. *cit.* §. 1. *n.* 11. Laym. *l.* 4. *tr.* 3. *c.* 4. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 116. e contrario potest episcopus ex rationabili causa ecclesiam, sive collegium clericorum secularium conformare ad statum regularem, ut constat ex *c. ad audientiam* 4. *de eccl. aedif.* et notat Abb. *ibid. n.* 6. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Vviest. *hic n.* 23. *Ratio est*, quia convenientius est beneficium gubernari per clericos diversae professionis, quam omnino gubernatione destitui, vel male gubernari: et necessitas non habet legem.

21

3. Regulares, etiam monachi, promoveri possunt ad dignitatem episcopalem sive in saeculari, sive in regulari ecclesia; *c. nullus* 28. *de elect. in* 6. *Clem.* 1. *in fin. eod.* quod aliqui extendunt etiam ad praelaturas in ecclesiis collegiatis saecularibus, sed

melius negatur cum Suar. *tom.* 4. *delig. l.* 3. *c.* 19. *n.* 27. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 3. §. 1. *n.* 7. *et* 8. Pirh. *hic n.* 117. nam canonica regula est beneficia saecularia clericis saecularibus, et regularia regularibus conferenda esse: item religiosos ad saeculares ecclesias assumendos non esse; *c. super eo* 9. *de regular.* a qua regula non est recedendum, nisi exceptio habeatur in jure expressa, cujusmodi tamen nulla reperitur quoad praelaturas in ecclesiis collegiatis saecularibus. Quod multo magis verum est in regularibus ordinum mendicantium; nam hos ad ecclesias cathedralibus inferiores sine licentia summi pont. postulari, vel assumi non posse, expresse habetur *extrav. un. de postul. int. comm.*

22

4. Olim, si necessitas, aut utilitas postulabat, parochiis etiam saecularibus praefici potuerunt religiosi: ut constat ex *can. in parochia* 31. *can. cum pro utilitate* 34. *caus.* 16. *q.* 1. idque favore salutis animarum, quae per regulares tum videbatur sollicitius procuranda. Dixi *parochiis*; nam beneficiorum saecularium simplicium v. g. canonicatus ne quidem spectato jure antiquo, capaces fuerunt regulares; *c. super eo* 9. *de regular. c. quod Dei timorem* 5. *de stat. monach.* Abb. *ibid. n.* 5. Garc. *p.* 7. *de benef. c.* 10. *n.* 28. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 72. 75. *et* 76. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 9. *n.* 30. *et seq.* et hoc teste declaratum est a sacr. congreg. *Ratio est*, tum quod in beneficiis simplicibus favor salutis animarum cesset, propter quem concedebatur promotio regularium ad beneficia parochialia; tum ne daretur iisdem occasio otii, et vitae mollioris contra professionem regularem. Neque potest in hoc episcopus dispensare; quia non reperitur haec facultas ipsi concessa in jure, ut cum Abb. *l. c.* communiter advertunt DD. Addidi *olim*; nam gravior controversia, et celeberrimum inter scriptores hodiernos.

23

Dub. est 4. an regulares adhuc hodie absque dispensatione apostolica capaces sint ecclesiarum parochialium saecularium? Tres invenio diversas sententias. *Prima* generaliter capacitatem hanc adstruit regularibus. Ita Abb. *in c. quod Dei timorem* 5. *de stat. monach. n.* 7. *et seq.* Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 6. Tambur. *de jur. abbat. tom.* 3. *D.* 9. *q.* 8. *n.* 5 Bordon. *de jur. paroch. n.* 51. Muraga *de benef. q.* 2. *o.* 4. Engl. *privil. monast.* 55. Konig. *hic n.* 17. et novissime clariss. pater Schmier *de person. reb. et jur. eccl. p.* 2. *c.* 3. *n.* 34. *et seq.* quod probant 1. ex Trid. *sess.* 14. *c.* 11. *de ref.* ubi statuit, ut omnis religiosus, ex alio ordine translatus, etiamsi canonicorum regularium fuerit, ad beneficia saecularia, etiam curata, existat omnino incapax: igitur qui non ita

translati sunt, eorum capaces sunt; quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. 2. regulares citra dispensationem promoveri possunt non solum ad episcopatus, ut *n.* 21. dictum est, sed etiam, ut plurimi volunt, ad quaslibet praelaturas saeculares; *c. quorundam* 24. *vers. circa religiosos*, *c. nullus* 28. *vers. ad dignitatem de elect. in* 6. *Clem. cum rationi* 1. *eod.* igitur nihil impedit, quin assumi etiam citra dispensationem ad beneficia curata possint; 3. consuetudo jus parit, et legem abrogat: atqui consuetudo obtinuit, ut regulares admittantur ad beneficia saecularia absque ulla dispensatione pontificia, obtenta dumtaxat licentia superioris sui, ut Konig *l. cit.* Scamb. *hic n.* 25. aliique supra testantur: ergo etc.

24

Secunda sententia distinguit inter canonicos regulares, et alios religiosos; istos enim negat hodie praefici ecclesiis parochialibus absque apostolica dispensatione posse, de prioribus concedit. Ita Gonzal. *in regul.* 8. *cancell. gloss.* 7. *n.* 55. *vers. ceterum in* 2. *edit.* Zypaeus *de instit. consult.* 1. *n.* 3. Pennott. *l.* 2. *histor. tripart. can. reg. c.* 12. *n.* 7. Vviest. *hic n.* 26. et alii relati apud Barbos. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 4. *n.* 73. Pignatell. *tom. consult.* 44. *n.* 1. Petra *t.* 2. *comment. fol.* 11. *n.* 38. Fundantur 1. textu *c. quod Dei timorem* 5. *de stat. monach.* ubi postquam Innocentius III. dixit: *Concilio lateranensi cautum esse de monachis, ne singuli per villas, et oppida per quascumque parochiales ponantur ecclesias*, exceptos voluit esse canonicos regulares; quia *regulae inserviunt laxiori*; ut proinde ipsi relicti videantur sub dispositione juris antiqui, de quo, ut *n.* 22. dictum est, etiam reliqui regulares capaces erant ecclesiarum parochialium, et tantum opus fuit licentia sui praelati. 2. Trid. *sess.* 14. *c.* 11. *de reform.* ubi, dum decernit, canonicum regularem, translatum ad alium ordinem, non esse capacem beneficii saecularis curati, tacite innuere videtur, non translatum esse capacem. 3. Declaratione s. congreg. cardd. interpp. trid. quae, ut refert Fagn. *in c. quod. Dei timorem cit. n.* 15. edita fuit *die* 27. *Oct.* 1575. in haec verba: *Concilium non prohibuit, quin canonici regulares possint uti jure veteri, nisi quando translati*: cui consonat alia recentior edita 1602. in eumdem sensum, ut videre est apud Pignatell. *cons.* 44. *cit. n.* 2.

25

Tertia sententia, et meo judicio ceteris praeferenda universaliter negat, hodie, seclusis specialibus privilegiis, quemquam regularem absque dispensatione pontificia ad beneficium parochiale saeculare assumi posse. Ita Quarant. *summ. bullar. V. canonicus regularis*, Gavant. *Man. episc. V. canonici regulares*. Corrad. *prax*

dispens. l. 2. c. 1. n. 18. vers. et ego vero, Tondut. *q. benef. tom. 1. c. 80. per totum*, et signanter *n. 14. et 15.* card. de Luca *de notat. disc. 25. n. 6.* Pignatell. *tom. 1. consult. 44. per totum*, et maxime *a n. 23.* Monacell. *append. decis. sacr. rot. decis 27. n. 2. et 3.* Thomassin. *p. 1. de benef. l. 3. c. 22. n. 9. vers. anno vero.* Vincent. Petra *tom. 2. comment. fol. 12. n. 39.* aliique plurimi ab his *cit. probatur* ex declaratione card. *edita 8. jul. 1581* ubi s. congregatio ex mente Gregorii XII. declaravit regulares, etiam canonicos, etiam de licentia sui generalis, absque permissu summi pont. ad beneficium curatum assumi non posse. Neque dici potest, declarationem istam, licet ex mente Gregorii editam, quod super ea lex, vel constitutio aliqua publicata non sit, morte ejusdem pont. exspirasse; praeterquam enim, quod dictam declarationem in vim legis hodiedum observet rota, ut patet *in leodien. parochialis 11. dec. 1693. §. non obstante coram Pio*, apud Petram *l. cit. n. 40.* eadem declaratio, ut idem ibidem refert, cum Pignatell. *cons. 44. cit. n. 25. et 26.* pluribus aliis declarationibus roborata est: praesertim per *decretum s congr. episc. et regul. editum jussu Clementis X. 17. Mart. 1671.* ubi contra eos, qui authorum ex adverso stantium assertioni innixi ad talia beneficia obtinenda absque dispensatione apostolica aspirare ausi sunt, incapacitas regularium ad beneficia sine apostolica dispensatione obtinenda denuo statuta est: quod decretum, cum teste Monacell. *l. cit.* per viam legis universalis emanaverit, et publice in consuetis urbis locis affixum omnibus innotuerit, omnem super hoc dubio quaestionem removisse videtur. *Conf.* ex indulto speciali, quo s. Pius V. ad preces Philippi II. Hispaniarum regis *sub die 3. mart. 1567.* concessit regularibus cujuscumque ordinis, ut in partibus indiarum de licentia superiorum suorum parochi officium exercere possent; quo indulto utique nequaquam fuisset opus, si regulares de jure communi parochialis curae capaces forent, et apostolica dispensatione non indigerent.

26

Neque obstant allata in contrarium. Nam 1. sacr. congregatio, ut cum communi supponit Pignatell. *cons. 44. cit. n. 27.* habet vim interpretandi authenticam, ut adeo lex trid. intelligenda sit in eo sensu, in quo cardinales trid. interp. illam intelligendam volunt; voluere autem illi intelligendam de incapacitate absoluta, includendo etiam in hac canonicos regulares: ergo etc. 2. quid sentiendum de capacitate regularium ad praelaturas saeculares inferiores episcopatu, dictum est *n. 21.* Quoad episcopatum negatur paritas; nam quod hujus capaces sint regulares, habetur ex dispositione juris, de ecclesiis parochialibus vero invenitur contrarium. 3. imprimis asser-

ta ab adversariis praxis se tenet dumtaxat ex parte beneficiorum parochialium unitorum monasteriis, quae proinde mere saecularia non sunt: et si fuisset etiam quoad mere saecularia, per dicta sacr. congregat. decreta fuisset abolita. De iisdem parochiis unitis, intelligi etiam potest decretum sacr. congregat. *n.* 24. *in fin.* allegatum. Verum cum de unitis parochiis specialis sit difficultas, hinc ulterius

27

Dub. 5. an, et quatenus regulares administrare per seipsos possint parochias ecclesiis, vel monasteriis suis unitas? Resp. distinguendum inter parochias, quae intra, et eas, quae extra monasteria illorum existunt. *Quoad priores* jus commune *cap. in ecclesiis* 1. *de capell. monach.* regulares a cura earum arcet. Sed ut bene advertit illustr. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 15. *n.* 43. textus iste ad canonicos regulares non porrigitur, quia de monachis loquitur; imo etiam quoad alios regulares jam ante trid. jus illud in desuetudinem abiit. Nec improbat eam consuetudinem s. synodus, sed potius capacitatem regularium ad illas supponit, dum *sess.* 25. *c.* 11. *de regular.* regulares, curam animarum in iisdem exercentes, in concernentibus dictam curam subjicit ordinario, ut bene arguit laudatus Petra *l. cit.*

28

Quoad posteriores, seu *existentes extra monasteria* distinguendus est modus unionis, an sc. ecclesiae illae monasteriis simpliciter solum, et quoad temporalia tantum unitae sint, an vero plene, nim. temporalia simul, et spiritualia. *Si prius*, seclusis specialibus ordinum, vel monasteriorum privilegiis, obtineri illae a regulari nequeunt, etiamsi monasterium jus praesentandi ad eas habeat, sed sunt ab episcopo deputandi sacerdotes in vicarios perpetuos, vel amovibiles, a superioribus regularibus nominandi, cum congrua fructuum portione ipsius episcopi arbitrio assignanda ad praescriptum trid. *sess.* 7. *c.* 7. *de ref. Ratio est*, quia hujusmodi unio non mutat beneficium saeculare in regulare, sed si saeculare fuit, etiam post unionem saeculare manet: cons. ut regularis illud obtineat, opus habet dispensatione apostolica, ut dictum est *n.* 26. et notat Petra *l. c. n.* 46.

29

Si posterius, non requiritur permissio apostolica, sed absque hac ex privilegiis regularium plerorumque, vel communicatione illorum pro administratione talis ecclesiae deputari regularis potest, ut pluribus allegatis advertit Petra *l. cit. n.* 44. qui assertionem istam adductis etiam card. declarationibus roborat. *Ratio est*, quia per ejusmodi unionem extinguitur in tali ecclesia prior titulus, ipsaque

fit membrum monasterii, et beneficium regulare: cons. conferibile regulari.

30

Dividitur 2. beneficium tum saeculare, tum regulare in simplex, et duplex. *Simplex est*, quod nullam jurisdictionem, curam animarum, vel administrationem, aut specialem praeeminentiam sibi annexam habet, sed ad solam assistentiam in choro, vel altaris servitium obligat. Tales sunt 1. canonicatus tum saeculares, tum regulares. 2. beneficia eorum, qui in ecclesiis cathedralibus praeter canonicos portiones integras, vel dimidias habent. 3. praestimonia, quae spirituale obsequium annexum habent, et in titulum conceduntur. 4. capellaniae collativae, de quibus *n.* 8. et similia.

31

Duplex beneficium dicitur, quod specialem aliquam qualitatem, sc. praeminentiam, administrationem, jurisdictionem, vel curam animarum adjunctam habet. Horum quatuor sunt genera.

1. *Beneficia proprie curata*, quibus qui provisi sunt, praeter obligationem ad horas canonicas, et altaris servitium, nomine proprio, et ex obligatione officii sui administrant sacramenta, et in foro interno conscientiae jurisdictionem exercent, qualia sunt parochiae, plebanatus, vicariae, aut commendae perpetuae ecclesiarum parochialium, aut curatarum.

2. *Officia*, quae habentes administrationem rerum ecclesiasticarum, sine eminentia tamen, et jurisdictione obtinent: tale est officium primicerii, sacristae, seu thesaurarii, custodis etc.

3. *Personatus*: talem habere dicuntur, qui praeminentiam sedis in choro, praecedentiam in processionibus, prioritatem suffragii in capitulo sine jurisdictione fori externi, et administratione proprie dicta habent.

32

4. *Dignitates*: hanc obtinentes praeminentiam fere cum jurisdictione fori externi, et administratione proprie dicta habent. In duplici et ipsae reperiuntur genere; nam quaedam earum sunt sublimiores, et *majores* vocantur, ut episcopatus, archiepiscopatus, primatia, patriarchatus, cardinalatus, et aliis omnibus superior papatus. Hae communi appellatione beneficiorum, praesertim in poenalibus, aliisque strictae interpretationis canonibus comprehendi non solent, cum sint culmina beneficiorum, et dignitatum; Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 4. Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 3. *n.* 50. Konig *hic n.* 34.

Aliae vero *minores* dicuntur, quales sunt dignitates recentis proximae, v. g. praepositurae saltem in Germania, decanatus cathedrales, archidiaconatus, abbatiae, et aliae praelaturae tam re-

gulares, quam saeculares. Neque interest, an illi, qui eas habent, intitulati in hujusmodi praelaturis sint, an vero illas solum ad tempus gerant; nam et priores conventuales, seu qui in totam congregationem regularium jurisdictionem habent, licet ad tempus duntaxat sint, ut fit in ordine s. Dominici, eremitarum s. Augustini, servorum B. V. etc. dignitatem habere censentur, ita, ut rescripta apostolica delegationis dirigi ad illos possint. Videantur Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 1. *q.* 5. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 4. *a n.* 1. Vall. *de benef. l.* 1. *tit.* 2. *n.* 4. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 4. *n.* 47. Pirh. *a n.* 9. Vviest. *num.* 30.

33

Porro circa dignitates, et universim beneficia duplicia duo sunt advertenda: *primum est*, quod nomine dignitatum in rescriptis, et reservationibus papalibus, ac universim in materia strictae interpretationis intelligantur solae dignitates minores, non vero episcopatus, et aliae superiores; nam hae specialem mentionem merentur; Konig *hic n.* 39. *secundum est*, in dubio beneficium omne praesumi simplex, et non curatum; quia qualitas, praesertim multiplex, prout curatum exigit, regulariter non praesumitur, sed probari debet; Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 6. *n.* 8. Gonz. *in reg.* 8. *gloss.* 6. *n.* 91. Leuren. *for. benef. p.* 1. *f.* 1. *c.* 2. *q.* 32. *n.* 3. Pal. *l. cit. n.* 7. Vall. *n.* 3. Pirh. *n.* 12. Vviest. *n.* 27. Konig. *n.* 6.

34

Dividitur 3. beneficium in manuale, et non manuale. *Manuale* est, quod confertur quidem in titulum, sed revocabiliter, ita, ut ad conferentis libitum auferri, vel a patrono revocari possit. *Non manuale*, seu, ut alii vocant, *simpliciter titulare* vero illud dicitur, quod confertur in titulum perpetuum, ita, ut semel legitime collatum beneficiato, nisi ex justa, et jure expressa causa, auferri nequeat; Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 1. *q.* 4. *vers. quinto dividitur*, Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 5. Pal. *p.* 2. *cit. n.* 4. Vall. *num.* 9. Pirh. *n.* 13. Vviest. *n.* 31.

35

Dub. 1. qualia in dubio praesumi debeant esse beneficia, manualia, an titularia? Resp. In dubio beneficia saecularia praesumi debent esse titularia, regularia vero, si nec curata, nec electiva sint, manualia; Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 4. *n.* 6. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 5. *n.* 17. Pirh. *n.* 14. Konig *n.* 9. Vviest. *n.* 31. *Ratio est*, quia beneficia singula praesumuntur instituta secundum jus commune, et propriam ipsorum naturam: atqui beneficia saecularia, suapte natura, et jure ordinario sunt titularia; sunt enim perpetua, et irrevocabilia, nisi ex causis jure expressis; *can. praecepta* 12. *dist.* 55.

can. satis 7. *dist.* 36. *can. fin. dist.* 70. Contra beneficia regularia pleraque secundum jus ordinarium, et ex natura sua ratione voti obedientiae sunt manualia, ita, ut illa obtinentes amoveri inde ad nutum possint: ergo etc.

36

Dixi *secundum jus commune et ordinarium*, non enim repugnat qualitas manualitatis beneficio saeculari, sed hanc acquirere vi primae suae institutionis, vel si institutum est ut titulare, perpetuitatem commutare cum manualitate privilegio papae, vel consuetudine immemoriali potest. Addidi, *si nec curata, nec electiva sint*; nam regularia beneficia, quae per electionem conferuntur, item quae curam animarum annexam habent, non sunt ad nutum abbatis revocabilia: et ratio est, quia prima conferuntur a capitulo; posteriora constituuntur authoritate, et consensu episcopi, ac proinde ad tollendum ejusmodi beneficium possessori opus est horum consensu, et justa causa.

Porro ex hoc ipso, quod manualitas de jure ordinario insit beneficio regulari, perpetuitas saeculari, in impetratione beneficiorum ea qualitas necessario exprimenda non est; quia papae jus commune praesumitur cognitum; *c. licet* 1. *de const. in* 6. Laym. *c.* 4. *cit. n.* 6. Pirh. *n.* 15.

37

Dub. 2. an revocatio beneficii manualis ita libera sit, ut neque jure expressam, neque aliam rationabilem causam exposcat? Non desunt, qui cum Caevall. *opin. comm. contr. q.* 425. *in fin.* putant ejusmodi revocationem absque causa rationabili factam omnino invalidam esse, colliguntque hoc 1. ex textu *c. cum ad monasterium* 6. *vers. tales de stat. monach. et clem. un. vers. praemissa de supp. negl.* ubi dum abbati conceditur potestas religiosum a beneficio removendi, et ad claustrum revocandi, additur, *cum oportuerit*, quod causam justam, et rationabilem significare videtur: 2. qui absque legitima causa beneficiatum removet, malitiose procedit: sed non est credendum, malitiis hominum favere jura: 3. sic spoliatus potest implorare officium judicis, ut restituatur, ut factum testatur Gonz. *in reg.* 8. *cancell. gloss.* 5. §. 6. *n.* 42.

His argumentis id tribuo, ut concedam, causam rationabilem exigi quidem ad honestatem revocationis, sine ipsa tamen factam ipso jure subsistere. Ita Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 2. *a n.* 87. Gonz. *in reg. cit. gloss.* 5. §. 6. *n.* 56. Suar. *tom.* 4. *de relig. l.* 3. *cap.* 19. *n.* 21. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 111. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 5. *n.* 3. Leuren. *for. benef. p.* 1. *f.* 1. *c.* 2. *q.* 72. *n.* 2. *et* 3. Vviest. *hic n.* 33. et novissime clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 58.

et duob. seqq. primam responsionis partem probant argumenta pro adversa opinione allata ; *pro secunda* ratio sumitur ex ipsa beneficii manualis natura, quae talis est, ut obtineri, et possideri nequeat, nisi pro tempore, quo id non fuerit revocatum : igitur hoc ipso, quod revocatum sit, jus retinendi illud, vel possidendi amittitur; *arg. l. statu* 11. *vers. Stichum ff. de legat.* 2. ubi pro regula traditur, quod possessio data pro tempore limitato, isto transacto, cesset.

Ad argumenta contraria facilis est responsio. *Ad* 1. verbum *oportet* non semper ad valorem, sed saepe solum aliquid ad decentiam, et honestatem actionis requisitum denotat. *Ad* 2. argumentum id solum probat revocationem sic factam illicitam esse. *Ad* 3. ad summum supplicare sic spoliatus potest superiori, ut ex officio impediat malitiosam revocationem, non autem, ut factam tollat, nisi id suadeat utilitas populi, prout factum est in casu allato.

38

Dividitur 4. beneficium in collativum, seu liberum, electivum, et patronatum, seu mixtum. *Collativum* dicitur, quod a praelato ecclesiastico, vel alio collatore libere, h. e. nulla praecedente electione, nominatione, praesentatione, cum, et quibus libuerit, modo idonei sint, confertur.

Electivum, quod per suffragia capitularium, accedente postea praelati, seu superioris ecclesiastici confirmatione, vel admissione, obtinetur. Talia, ut Vviest. *hic n.* 34. notat, proprie sunt solae praelaturae, sive dignitates pastorales : adeoque, ut beneficium aliquod proprie electivum sit, duo requiruntur. *Unum* est, ut sit praelatura : *alterum*, ut electio ad id facta a superiore ecclesiastico confirmanda veniat ; nam quae confirmatione superioris non indigent, etsi ad ea electio fiat, potius collativa, quam electiva sunt, cum ad ea facta electio vim liberae collationis habeat ; Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 6. *n.* 23. Vall. *de benef. l.* 1. *tit.* 2. *n.* 8. Vviest. *hic num.* 34.

Patronatum demum, seu *mixtum* illud beneficium dicitur, quod per praeviam patronorum praesentationem, et subsequentem episcopi, vel alterius praelati ecclesiastici institutionem obtinetur : quo modo plerique parochi, vicarii perpetui, et capellani institui solent; Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 1. *q.* 4. *vers. sexto dividitur ;* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 1. Garc. *c.* 6. *cit. n.* 14. Pirh. *hic n.* 16.

In dubio beneficium potius collativum, seu liberum esse praesumitur, quam electivum, aut patronatum ; quia electio, et praesentatio non sunt qualitates propriae, sed accidentariae, et extrinsecae beneficiorum ; et per eas praejudicatur liberae provisioni ordinariorum, ad quos collatio primaevo jure spectabat; Konig *hic n.* 8.

39

Dividitur 5. beneficium in patrimoniale, et non patrimoniale. *Patrimoniale* dicitur vel a patrimonio, quia fundatum est a patribus, avis, majoribus ex suo patrimonio ea conditione, ut filiis, et aliis descendentibus suis conferatur, quamdiu dignus ex iis aliquis fuerit, qui illud acceptare velit; vel a patria, quia vi fundationis conferendum est clerico ex certa patria, parochia, civitate, oppido, castro, etc. oriunda, si talis idoneus inveniatur.

Reliqua, quae tali qualitate affecta non sunt, dicuntur *non patrimonialia*. Et quia qualitas ista est extrinseca beneficio, is, qui asserit beneficium aliquod patrimoniale esse, illud probare debet; Gonzal. *in reg.* 8. *gloss.* 9. §. 1. *n.* 3. Vall. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 10. Pirh. *hic n.* 16. *in fin.* Vries. *n.* 35.

§. III.

De collatione beneficiorum.

SUMMARIUM

40 *Collatio quid, et quotuplex?*
41 42 43 *Enumerantur, qui potestatem conferendi beneficia habent.*
44 45 *Modus triplex, quo papa beneficia conferre potest, ac solet.*
46 47 *Quae in hoc sit potestas episcopi?*
48 49 50 51 52 *Ad quem spectet collatio prœbendarum, canonicatuum et dignitatum etc. ecclesiae cathedralis, et collegiatœ?*
53 *An beneficia vacantia in propria diœcesi episcopus conferre possit, existens extra illam?*
54 55 *Quis prœferri debeat, quando unum, et idem beneficium collatum est duobus, uni a papa, alteri ab episcopo?*
56 57 58 *An potestas conferendi beneficia competere possit etiam laicis?*
59 60 *An possessori juris conferendi?*
61 *Qualitates in collatario requisitœ.*
62 *Quod jus huic acquiratur per collationem acceptatam?*
63 64 *Et nondum acceptatam?*
65 66 *An episcopus collatario possit prœfigere terminum ad collationem acceptandam?*
67 68 69 *An ad obtinendum beneficium, et ejus possessionem necessaria sit prœsentia illius, cui confertur?*
70 71 *An beneficium conferri possit novitio religionis?*
72 73 *An in beneficio succedere aliquis possit etiam jure consanguinitatis?*
74 75 76 77 *Quomodo fieri debeat collatio beneficiorum?*
78 79 *An valeat facta sub modo, pacto, onere?*
80 81 *An possit aliquis recipi in canonicum sine prœbenda?*
82 *Qua forma debent conferri beneficia parochialia?*
83 *An modum conferendi beneficia debeat etiam observare papa?*

40

Inter modos acquirendi beneficia est *collatio*, quae definiri potest, quod sit *assignatio, seu concessio beneficii vacantis facta ab habente potestatem, v. g. ab ordinario*; Van-Espen *J. E. U. p. 2. t. 21. c. 2. n. 1.* Duplex est; *voluntaria, seu libera, et necessaria, seu obligatoria. Prior* ita dicitur, quod licet conferre beneficium sit praecisum, et necessarium, voluntarium tamen, et liberum sit collatori illud conferre huic, vel alteri; Barb. *in c. 9. h. t. n. 8.* Unde etiam donatio appellatur; *c. quia diversitate 5. de conces. praeb. c. consultationibus 4. de don. et c. fin. de offic. vicar. in 6. Posterior* autem *necessariae* nomen accepit, quia collator eam facere tenetur, non tantum simpliciter, sed etiam certae personae, quae ipsi per praesentationem, vel nominationem alterius, aut aliorum proposita est,

modo illa idonea sit. Haec proprie *institutio* dicitur: de qua quia locus proprius discurrendi occurret *infra t.* 7. hinc in praesenti collatio libera duntaxat examinanda venit.

41

Quaeritur 1. quibus jus, et potestas beneficia ecclesiastica conferendi competat? Resp. 1. potestas ista eaque amplissima respectu ecclesiarum, et beneficiorum ecclesiasticorum omnium totius orbis competit *summo pontifici*; quia sicut universalis omnium ecclesiarum est pastor, ita supremus etiam, et universalis est omnium beneficiorum collator, prout constat ex *c. licet* 2. *h. t. in* 6. *et clem.* 1. *in fin. ut lit. pend.*

2. Proximum a pontifice inter ordinarios beneficiorum collatores, quoad ea, quae suae dioecesis sunt locum obtinent *episcopi et his superiores*, videlicet archiepiscopi, primates, patriarchae. Neque opus est, ut talis episcopus sit consecratus, modo sit confirmatus, et litterae apostolicae, confirmationem continentes, ostensae fuerint capitulo; quia collatio non est actus ordinis, sed jurisdictionis, vel potius officii episcopalis, quo fungi episcopus statim post confirmationem potest; *c. transmissam* 15. *de elect.* Garc. *p.* 5. *de ben. cap.* 4. *n.* 242. *et seq.* Leur. *p.* 2. *for. eccl. s.* 3. *cap.* 2. *q.* 667. *n.* 1. *in fin.* Van-Esp. *J. E. U. p.* 2. *t.* 21. *c.* 1. *n.* 24. Zoes. *hic n.* 11. Vvies. *n.* 47.

3. Cum episcopis, et quibusvis ordinariis in beneficiorum conferendorum potestate de jure communi concurrit *legatus a latere*, ita ut inter ipsum, et illos in provincia legationis suae sit locus praeventioni *cit. si a sede* 31. *h. t. in* 6. *et cap. fin. de offic. leg. eod. l.* 1. Quod verum est saltem extra Germaniam; nam in hac ejusmodi legatorum juri verisimiliter derogatum est, ut bene not. P. Vvies. *l.* 1. *decr. tit.* 30. *n.* 24.

42

4. Potestas haec competit *praelatis pleno jure exemptis*, h. e. quoad territorium, clerum, et populum; nam in hoc suo territorio obtinent jurisdictionem quasi episcopalem, et veniunt nomine ordinarii: cons. etiam beneficia, in eodem sita conferre possunt, nisi collatio eorum jure speciali ad alium spectet: Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 4. Leur. *for. benef. p.* 2. *s.* 3. *c.* 2. *q.* 718. *n.* 2. *in fin.* Pirh. *hic n.* 86. Engl. *n.* 61. Vvies. *n.* 51.

5. *S. R. E. cardinales* ex privilegio, quod a summo pont. amplissimum acceperunt, quamvis non episcopi, sed presbyteri duntaxat sint, aut diaconi, libere conferre possunt omnia beneficia ecclesiarum, quia vel jure tituli, vel commendationis habent non obstantibus exspectativis, aut reservationibus, nisi vacent in curia: nec de illis

disponit papa, nisi expressus cardinalis consensus accedat; Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 5. Leur. *p.* 2. *for. benef. ser.* 3. *c.* 2. *q.* 639. *n.* 28 Pirh. *hic n.* 86. Vvies. *lib.* 1. *decr. tit. n.* 24. Dixi *ex privilegio*; nam de jure ordinario collatio beneficiorum, quae sunt in ecclesiis urbis, ad papam pertinet cum ipse sit urbis episcopus; Azor. *l. cit.* Hinc illa etiam actu confert casu, quo cardinalis, in cujus ecclesia vacant, absens ab urbe est sine consensu papae.

6. Ex simili privilegio, vel consuetudine, aut potius praescriptione potestatem aliqua beneficia conferendi obtinuerunt *alii quidam praelati*, etsi alias non habeant jurisdictionem ordinariam; *cap. ex tenore* 13. *de conc. praeb. cap. fin. de inst. et ibi* Abb. *n.* 2. Azor. *c.* 25. *cit. q.* 20. Pirh. *n.* 86. *cit. in fin.* Debet autem praescriptio haec esse quadragenaria cum titulo vel immemorialis, si fiat contra episcopum, intra cujus dioecesim beneficia hujusmodi sita sunt; *c. episcopum* 1. *de praescr. in* 6. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 27. *n.* 3.

43

7. Aliquando collatio beneficiorum ad *canonicos* spectat: quod tribus modis fieri potest, ut colligitur ex *c. fin. h. t. in* 6. *Conjunctim, seu capitulariter* ita, ut collatio beneficii spectet ad totum capitulum, et illi sit conferendum, in quem major pars consentit. 2. *Per turnum*, ita, ut singuli canonici, unus post alterum, ordine antiquitatis servato, in certis mensibus vacantia beneficia, vel canonicatus conferant, nomine, et authoritate capituli, cujus vicem repraesentant. 3. *Titulo singulari*, si jus conferendi beneficium sit annexum certo officio, praebendae, vel dignitati: quo casu beneficium ita vacans proprio, et singulari nomine confert is, qui officium etc. tale habet.

44

8. Conferre beneficia potest *capitulum*, *sede episcopali vacante*: cujus tamen potestas varie limitabitur *infra tit.* 9. 9. *generalis vicarius tum capituli, sede vacante, tum episcopi* cum limitatione tamen, de qua dictum *lib.* 1. *tit.* 28. *n.* 22. *et* 24. 10. Sequester praelaturae, vel dignitatis, quae jus conferendi quaedam beneficia sibi annexum habet: de quo *lib.* 2. *t.* 17. *n.* 30, *et* 31.

Dub. 1. quomodo pontifex beneficia ecclesiastica conferre possit, ac soleat? Resp. Tres potissimum modos DD. referunt, ut videre est apud Rebuff. *prax. t. de devol. n.* 46. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 45. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 2. Leur. *p.* 2. *for. benef. ser.* 3. *c.* 3. *q.* 513. *n.* 1. *et seq.* Illsung *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 182. Et quidem

1. Illa conferre aliquando solet *jure praeventionis*, dando alicui gratiam exspectativam, aut mandatum de providendo, seu mandando alicui conferri beneficium, quod proxime est vacaturum; hujus enim collatione papae praevenit alios jus conferendi habentes, ut collatio-

nes ab his etiam ignorantibus factæ cedere, et provisio apostolica; tanquam prior, et potior anteferri debeat; *c. dudum* 14. *h. t. in* 6. Laym. *n.* 2. *cit.* Leur. *n.* 3. *Excipiuntur* beneficia juris patronatus ex fundatione, dotatione, vel constructione laicis competentis; cum enim hujusmodi patronos prævenire sua collatione papa non soleat, litterae provisionis apostolicae, super iis expeditae, subreptitiae forent, si patronatui isti speciali mentione non derogarent.

45

2. *Jure concursus*; nam papa sicut in jurisdictione, ita etiam in conferendis beneficiis quibuscumque cum episcopis, et aliis collatoribus inferioribus concurrit, ita, ut si beneficium vacet in quacumque diaecesi, non tantum episcopus, aliusve collator ordinarius illud conferre possit: sed etiam summus pont. et sic inter hunc, et illos praeventioni locus sit, quique prior contulerit, ejus collatio praeferatur; Rebuff. *l. cit. n.* 47. Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 1. *n.* 8. Lott: *l.* 2. *q.* 22. *n.* 62. Laym. *c.* 10. *cit. n.* 2. *vers. secundo*, Barb. *in c.* 14. *cit. n.* 8. Leuren. *n.* 1. *cit.* Illsung. *n.* 183. Engl. *hic n.* 7. Pirh. *n.* 78. Vviest. *n.* 44. Ratio est, quia pontifex, etsi aliis potestatem beneficia conferendi dederit, sibi tamen reservavit majorem. Notat tamen Leuren. *l. cit. q.* 514. *n.* 2. pontificem potestate ista raro uti, et non nisi ex magna causa.

3. *Jure devolutionis*, postquam jus conferendi beneficium, propter culpam, aut negligentiam inferioris collatoris, quod is illud vel non intra legitimum tempus contulerit, vel indigno contulerit, ab hoc ad sedem apostolicam translatum est, ut dicetur *infra tit.* 8.

46

Dub. 2. qualem potestatem conferendi beneficia habeant episcopi? Resp. His jure communi data est potestas conferendi beneficia omnia suae dioecesis, nisi specialiter excepta sint, ut patet ex *can. regenda* 4. *caus.* 10. *q.* 1. *can. omnes basilicae* 10. *can. nullus* 11. *caus.* 16. *q.* 7. *cap. in ecclesiis* 1. *de capell. monach. et c. cum ex injuncto* 12. *de haeret.* qui textus generales sunt, et indistincte loquuntur. Et hinc siquis alius sibi vendicet jus conferendi beneficia in dioecesibus illorum sita, probare debet hanc potestatem sibi competere jure speciali, cum, ut vidimus, episcopi super collatione illorum intentionem in jure communi fundatam habeant; Garc. *p.* 5. *de benef. cap.* 1. *n.* 52. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 10. *n.* 4. Barb. *de offic. episcop. allegat.* 52. *n.* 1. Leuren. *p.* 2. *for. benef. s.* 3. *cap.* 2. *q.* 665. Van-Espen. *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *c.* 1. *n.* 2. 5. *et* 6. Engl. *hic n.* 61. Vviest. *n.* 46.

47

Excipitur 1. si beneficia ejusmodi provisioni apostolicae sint reservata : de qua reservatione *infra* §. 6. 2. Si collatio illorum alteri cuidam ex privilegio, maxime apostolico , privative ad episcopum competat , v. g. abbati , praeposito , decano , capitulo etc. 3. Si jus conferendi ab episcopo ob hujus negligentiam , vel culpam ad superiorem , v. g. archiepiscopum sit devolutum; quamvis enim archiepiscopus alias in collationem beneficiorum , quae in dioecesibus suffraganeorum suorum sita sunt , immiscere sese non possit , nec debeat , potest tamen , et debet in casu devolutionis ad sese factae. 4. Si idem jus ab aliquo consuetudine, vel potius praescriptione obtentum sit ; nam sicut in aliis omnibus , ita etiam in beneficiorum provisione attendendus est usus singularum ecclesiarum, cum nonnisi de puncto disciplinae agatur, quae pro tempore, et locorum varietate varia esse potest; Van-Espen *cap.* 1. *cit. n.* 5. Si beneficium , situm in una dioecesi , accessorie unitum sit beneficio alterius dioecesis ; nam tale beneficium conferri debet ab episcopo illius dioecesis , in qua situm est beneficium, cui unitur ; quia ecclesia unita evadit inferior, altera superior , et praelatus superioris evadit praelatus utriusque; Frances *de eccl. cath. c.* 8. *n.* 108. Genz. *gloss.* 5. §. 7. *n.* 24. Leur. *q.* 673. secus , si aeque principaliter facta sit unio ; tunc enim per utrumque episcopum provideri debet, prout DD. *cit.* notant.

48

Dub. 3. ad quem spectet collatio praebendarum, canonicatuum, et dignitatum etc. ecclesiae cathedralis , vel collegiatae ? Resp. etiam quoad hoc attendenda esse specialia certarum ecclesiarum, vel personarum privilegia , statuta, consuetudines, fundationes etc. nam aliquando hujusmodi canonicatuum , et aliorum beneficiorum collatio pertinet ad episcopum, et capitulum simul, ut videre est *c. un.* §. *cum vero ne sed vac. et c. postulastis* 15. *de concess. praeb.* aliquando ad solum episcopum, vel ad solum capitulum. Et exercetur potestas ita ab utroque diversimode ; nam aliquando unam vocem habet capitulum , alteram episcopus , ita , ut , vox , seu suffragium solius episcopi valeat tantum, quantum vox capituli, vel totius, vel majoris ejusdem partis : ac proin si in discordia contulerint , et episcopus uni , capitulum vero , vel major illius pars contulerit beneficium alteri , tunc neutra collatio valeat, etiamsi ad suffragium episcopi aliqui canonici accesserint , sed minor pars; Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 4. *n.* 28. *et* 29. Barbos. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 13. *n.* 103. Van-Espan *p.* 1. *jur. eccl. tit.* 21. *c.* 1. *n.* 12. Engl *hic n.* 66. Pirh. *n.* 87. *not.* 1. Contra non raro hujusmodi canonicatus,

et praebendae ab episcopo, et capitulo conferuntur alternative per turnum; Garc. *c.* 4. *cit. n.* 72.

49

Nec minus varius est modus procedendi ad collationem canonicatuum et praebendarum, quando illa competit soli capitulo; nam aliquando illos conferre debet cum consilio episcopi; *c. un. cit.* §. *ubi vero* aliquando conferre illos potest, episcopo, et ejus consilio non requisito; *c. cum ecclesia* 31. *de elect.* Item interdum collatio a capitulo fit capitulariter, interdum a singulis per turnum, ita, ut singuli potestatem hanc habeant secundum antiquitatem procedendo; gloss. *in c. fin. V. statuto h. tit. in* 6. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 72. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 27. *n.* 3. Van-Espen *n.* 12. *et seq.* Pirh. *n.* 84. Vviest. *n.* 48.

50

De jure communi, et praescindendo a contraria consuetudine, collatio canonicatuum, et praebendarum ecclesiae cathedralis pertinet ad episcopum, et capitulum simul, ita, ut episcopus aequalem vocem cum capitulo habeat. Ita Mandos. *ad reg.* 18. *q.* 14. *n.* 2. Gouz. *ibid. gloss.* 45. *n.* 36. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 9. Lotter. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 81. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 17. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 27. *n.* 2. Vall. *l.* 1. *de benef. tit.* 9. *n.* 4. Leuren. *p.* 2. *for. benef. q.* 670. *n.* 1. card. de Luca *de benef. disc.* 1. 26. Engl. *hic n.* 66. Zypaeus *n.* 4. estque pluries decisum a rota teste Garc. *l. cit. n.* 14. quod maxime verum est, quando dicti canonicatus, et praebendae erectae sunt ex bonis communibus, prout praesumitur in dubio, ut recte advertit Pal. *l. cit.* Idem dicendum de dignitatibus ecclesiae cathedralis; nam hae de jure communi non electivae, sed collativae sunt, ut notat Garc. *l. cit. n.* 24. *et duob. seq.* ne plus juris in iis habeat capitulum, quam in praebendis, cum tamen deberet habere minus. Ratio utriusque asserti est, quia tam episcopi, quam capituli interest, canonicos, aut dignitate praeditos clericos habere gratos, et acceptos; quod autem ad omnes pertinet, ab omnibus approbari debet.

51

Eadem fere distinctio adhibenda est quoad reliqua beneficia inferiora, in ecclesiis cathedralibus consistentia, ut sunt portiones, et dimidiae portiones; nam si sunt de gremio capituli ex aliqua consuetudine, jureve speciali, saltem quoad mensae communis participationem, eodem modo ad simultaneam episcopi, et capituli provisionem pertinent. Secus, si sunt extranea a capitulo; tunc enim ab ipso episcopo, absque capitulo, et hujus consensu provideri possunt; Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 25. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 9. Pal.

tr. 13. *D.* 2. *p.* 27. *n.* 2. Clerical. *de benefic. disc.* 20. *n.* 4. Quod a fortiori in capellaniis ibidem existentibus dicendum est.

52

In ecclesiis collegiatis, iterum a consuetudine praescindendo, secundum dispositionem juris communis jus praesentandi, seu eligendi ad canonicatus et praebendas illarum competit earum capitulo, et hujus praelato immediato, si talem habeat; jus tamen instituendi, vel confirmandi spectat ad episcopum; Gonz. *gloss.* 45. *n.* 47. Garc. *n.* 64. Azor. *q.* 9. *cit.* Vallens. *n.* 10. Pal. *n.* 2. Leuren. *q.* 672. estque teste Lotterio decisum a rota.

53

Dub. 4. an beneficia, vacantia in propria dioecesi, conferri possint ab episcopo existente extra dioecesim suam? *Ratio dubitandi est*, quia episcopus beneficia conferre nequit existens Romae, ut teste Covar. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 9. praxis docet, idque conformiter juri caesareo, quo statuitur, quod quamprimum proconsul urbem ingressus est, deponat imperium; nam minoris apud majorem cessat jurisdictio. Accedit, quia episcopus jurisdictione contentiosa nuspiam uti potest extra dioecesim suam.

Sed his non obstantibus, dicendum, quod episcopus beneficia conferre possit, etiam extra dioecesim suam. Ita gloss. *fin. in c. novit.* 7. *de offic. legat.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 25. *q.* 12. Piasec. *prax. episc. p.* 2. *cap.* 5. *art.* 3. *n.* 87. Pirh. *hic. n.* 87. *not.* 2. Vviest. *n.* 49.

Paritas in ratione dubitandi instituta inter proconsulem, et episcopum potius nobis favet; nam licet nec episcopus, nec proconsul extra territorium suum existens uti possit jurisdictione contentiosa, uti tamen uterque potest jurisdictione voluntaria: et hujus actus (si tamen actus jurisdictionis est) est collatio beneficiorum, cum peragatur sine judiciali cognitione, et strepitu.

54

Dub. 5. quis praeferri debeat, quando unum, et idem beneficium collatum est duobus, uni a papa, alteri ab episcopo? Resp. distinguendo: Vel enim scitur, cui prius collatum illud sit, vel dubium de illo est. *Si primum*, praefertur ille, cui prius collatum est juxta *n.* 45. *Si secundum*, videndum, an aliquis illorum sit in possessione beneficii, vel neuter. *Si prius*, melior est conditio collatarii possidentis beneficium, a quocunque hoc ei collatum sit juxta *reg. in paci* 65. *in* 6. *Si posterius*, praeferri is debet, cui collatio a papa facta est, propter istius majorem praerogativam, et ampliorem potestatem, prout statutum habetur *c. si a sede* 31. *h. tit. in* 6. et notat Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n. vers. secundo*, Pal. *tr.*

13. *D.* 2. *p.* 13. *n.* 3. Barbos. *in c. si a sede cit. n.* 9. Leut. *p.* 2. *for. benef. s.* 3. *c.* 1. *q.* 518. *n.* 1. *et* 2. Van-Espen. *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *c.* 2. *n.* 21. *et* 22. Engl *hic n.* 7. Pirh. *n.* 79. *et* 81. *not.* 1. Vviest. *n.* 44. Et idem dicendum est de eo, cui beneficium contulit legatus a latere, ut cum *cit.* notat Pirh. *n.* 80.

55

Excipitur, si in rescripto apostolico sola dies apposita sit, non tantum dies, sed etiam hora, qua beneficium collatum est, vel ea per testes probari possit; nam tali casu in dubio, cui prius illud collatum sit, neutro possidente, collatio ordinarii, licet inferioris, praeferenda est collationi papae, vel legati a latere, ut notat gloss. *in c. si a sede cit. V. nec appareat*, Rebuff. *de pacific. poss.* 3. 299. Cassador. *decis.* 20. *de praebend.* Gonz. *ad reg.* 8. *procm.* §. 3. *a n.* 100. Barb. *de offic. episc. alleg.* 37. *n.* 15. *et in c.* 31. *cit. n.* 7. Pal. *p.* 13. *cit. n.* 4. Pirh. *n.* 80. *not.* 2. Vviest. *n.* 44. Ratio est, quia per horae expressionem tempus magis determinatur, et ejus probatio certior fit, quam sit illa, quae horae expressione caret.

56

Dub. 6. an potestas beneficia conferendi possit competere etiam laicis? Certa est negativa de jure communi, quamvis de jure, et privilegio speciali, a pont. concesso, potestas ista competere iisdem possit. *Ratio est*, quia potestas ista spiritualis est, quae a jure laicis denegatur; *c. decernimus* 2. *de judic. Dubium procedit*, an potestas ista competere iisdem possit vi consuetudinis, aut praescriptionis? *Videtur* competere posse hac via, quia, ut modo dictum est, potestas ista ex speciali privilegio, et indulto apostolico iisdem potest competere, pro quo exemplum est in regno Galliae, ubi rex jure regaliae habet ecclesiarum pastore viduatarum custodiam, et confert beneficia, quae in iisdem, dum viduatae sunt, vacant, teste Tholos. *syntagm. l.* 17. *cap.* 7. *n.* 19. sed consuetudo, saltem immemorialis, vim privilegii habet. Ergo, etiam consuetudine, seu praescriptitione obtinere laici jus beneficia conferendi possunt.

57

Sed hoc non obstante, certa est sententia negativa, quam etiam tenent Lotter. *l.* 1. *q.* 4. *n.* 39. Garc. *p.* 1, *de benef. c.* 2. *n.* 36. *et* 37. Barb. *in c.* 34. *h. tit. n.* 2. Leuren. *p.* 2. *for. benef. s.* 3. *cap.* 2. *q.* 726. *n.* 2. Zoes. *hic n.* 8 *et* 9. Engl *n.* 3. Pirh. *n.* 90. Scamb. *n* 14. Vviest. *n.* 41. et novissime clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 149. *Ratio est*, quia laicus, secluso privilegio, nec possessionem, nec quasi possessionem juris conferendi beneficia ob spiritualitatem suam habere potest; *arg. c. sacrosancta*

51. *de elect.* sine possessione autem non procedit praescriptio; *reg. sine possessione* 3. *de R. J. in* 6. *conf. a pari* : nam ut *lib.* 1. *tit. a n.* 4. dictum est, laicus etiam per praescriptionem immemorialem acquirere nequit potestatem eligendi ad beneficia, et praelaturas ecclesiasticas ob spiritualitatem suam: atqui jus conferendi beneficia magis spirituale, et potentius est, quam jus eligendi ; cum per electionem electo tantum acquiratur jus ad rem, per collationem vero acceptatam, ut infra *n.* 62. dicam, jus in re : ergo etc.

58

Proceditque hoc, ut laici beneficia ecclesiastica conferre nequeant non tantum in perpetuum, sed ne quidem ad tempus, sive ut manualia, cum etiam ista sint vere beneficia ecclesiastica in spirituali jure consistentia, quod laici dare non possunt. Suntque illi, qui a laicis collata sibi beneficia acceperunt, excommunicati; *can. siquis* 16. *caus.* 16. *q.* 7. et collatio irrita est; *c. quod autem* 5. *de jur. patron.* ubi etiam exprimitur ratio ; *quia pro non dato habetur*, *quod ab illo datur*, *qui non potest de jure donare.* Excipitur, si cum tempore immemoriali concurrat etiam fama privilegii a sede apostolica aliquando obtenti ; nam etsi hoc casu laicus lapsu talis temporis jus conferendi non acquirat, hoc tamen lucratur, ut in possessione sua, et exercitio juris conferendi tamdiu sit relinquendus, donec constet de falsitate istius famae ; Leur. *q. cit. n.* 3. Vviest. *n.* 41. *in fin.* et abud hunc Felin. Alex. de Nevo, Laym.

Ad rationem dubitandi dico, consuetudinem etiam immemorialem vim privilegii non habere in iis, quae sine privilegio possideri nequeunt.

59

Dub. 7. an is, qui est in possessione juris conferendi beneficia, licite, et valide ea conferre possit, ita, ut ab eo, qui ejusmodi possessor fuit, provisus a beneficio removeri nequeat etiam casu, quo postea pronuntiatur, proprietatem, sive ipsum jus conferendi penes alium fuisse? *Ratio dubitandi* est, quia proprietas, cum de ea constat, absorbet possessionem; *c. cum dilectus* 6. *de caus. possess.* et fructus extantes restituendi sunt proprietario, possessorem vincenti, ut dictum *l.* 2. *tit.* 13. *n.* 49.

Sed hoc non obstante, tenenda est affirmativa, videlicet ab eo, qui bonae fidei possessor est, valide, et licite exerceri hoc jus, nec provisum ab illo, si collationem sibi factam acceptavit, removendum etiam, postquam apertum est vitium possessionis. Ita Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 45. §. 2. *a n.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 16. Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 5. *a n.* 1. Lotter. *l.* 1. *q.* 45. *n.* 2. Vall. *l.* 1. *de benef. tit.* 13. *n.* 1. *et seq.* Pal. *tr.* 13. *D.* 2.

p. 28. *n.* 1. Leuren. *p.* 2. *for. benef. s.* 3. *c.* 2. *q.* 729. *n.* 1. Zoes. *hic n.* 41. Pirh. *n.* 88. Vviest. *n.* 54. *Ratio est*, quia fructus ad bonae fidei possessorem spectant; §. *siquis a non domino* 35. *inst. de rer. divis. et l. bonae* 48. *ff. de acquir. rer. domin.* sed collatio beneficiorum est quasi fructus juris conferendi: ergo ad bonae fidei possessorem spectat: et cons. ab isto facta, et a proviso acceptata collatio subsistit, quantumvis postea constet proprietatem ad alium pertinuisse.

60

Ex quo sequitur, eum, cui talis bonae fidei possessor beneficium contulit, praeferendum illi, cui a proprietario, seu vero collatore beneficium est concessum, ut cum *cit.* notat Covar. *pract. c.* 14. *n.* 2. dicens, sic apud omnes receptum. Neque necesse est, ut jam obtinuerit possessionem beneficii; quia per collationem acceptatam jam acquisivit jus in re, sicut per institutionem; Garc. *n.* 57. *et* 58. Pal. *n.* 2. Vall. *n.* 2. Leur. *n.* 6. Item nihil interest, an collatio a tali possessore juris conferendi facta sit ante, vel post contestationem litis, motae super proprietate istius juris: quia lite pendente, in possessoris praejudicium nihil est innovandum, nec bonae fidei possessor possessionis commodo privandus est; Garc. *p.* 5. *cit. c.* 6. *n.* 22. Pal. *n.* 3. Leur. *n.* 4.

Ad rationem dubitandi, quando dicitur, quod proprietas absorbeat possessionem, id intelligendum est de actibus futuris, non praeteritis; nam postquam constiterit, quod proprietas penes alium, quam possessorem sit, solum irriti fiunt actus, qui post vitii detectionem fiunt, ii autem, qui facti sunt ante illius detectionem, remanent validi.

61

Quaeritur 2. quibus beneficia ecclesiastica conferri possint, vel non possint? Resp. Ut alicui beneficium ecclesiasticum conferri possit, 1. requiritur, ut promovendus ad beneficium sit *natus ex legitimo matrimonio*; nam illegitimi sine dispensatione beneficia obtinere non possunt ut dictum est *lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 16. *vers.* 3. *illegitime nati*, *et tit.* 17. *a n.* 1. 2. *requiritur conveniens aetas*; nam pueri non sunt idonei ad beneficia ecclesiastica obtinenda; *c. super* 35. *h. tit.* Quaenam autem requiratur aetas ad singula beneficia, dictum est *lib.* 1. *tit.* 14. *a n.* 1. 3. *clericatus*; nam, ut, quis capax sit beneficii ecclesiastici, debet esse initiatus saltem prima tonsura, et sic relatus in numerum clericorum; *c. cum contingat* 11. *de aetat et qual. c. ex litteris* 6. *de transact. c. in ecclesia* 2. *de inst.* et ratio est, quia beneficium fundatur in officio spirituali, ob quod confertur, cujus laicus non est capax. An autem, et qualis

ordo ad singula beneficia requiratur, dictum est *lib.* 1. *tit.* 14. *a n.* 13. 4. *competens litterarum scientia*, quae diversa esse debet pro beneficiorum diversitate, prout exponitur *tit.* 14. *cit. a n.* 24. 5. *decens vitae honestas*, *et morum probitas*, ut nempe promovendus non sit criminosus, infamis, ligatus censura, irregularis etc. de quo dictum *tit.* 14. *a n.* 28. 6. Denique ad beneficia, saltem curata, assumendus est dignior, ut pluribus ostensum *tit. cit. a n.* 36. Possuntque his qualitatibus, quae de jure communi requiruntur in promovendo, statuto, fundatione, consuetudine superaddi aliae, e. g. ut ad certum beneficium non admittantur, nisi qui sunt de certa familia, ex certa patria, certo gradu insigniti; vel ut qui assumuntur ad canonicatus in ecclesiis cathedralibus, sint nobiles, et illustres etc. de quo *relato tit.* 14. *a n.* 32.

62

Dub. 1. an, et quale jus per collationem alicui factam acquiratur in beneficio? Resp. distinguendo: vel enim is, cui collatum est beneficium, illud acceptavit, vel non acceptavit. *Si acceptavit*, collatio eidem tribuit jus in re, et quasi dominium collati sibi beneficii, etiam ante secutam possessionis apprehensionem, ut habetur *c. si tibi absenti* 17. *h. tit. in* 6. *et cap. fin. de concess. praeb. eod.* eo prorsus modo, quo jus in re acquiritur praesentato per institutionem, electo per confirmationem, postulato per postulationis admissionem; Passerin. *in cap.* 16. *hoc tit. in n.* 17. Van-Espan *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *cap.* 2. *n.* 4. clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 156. Poterit igitur is, cui sic collatum est beneficium, si alius violente illud detineat, id sibi ab eo vindicare, et pro ejus juribus agere statim a collatione sibi facta, prout sumitur ex *c. si tibi cit.* et notat *ibid.* Franc. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 55. Vviest. *n.* 37. *Neque obstat*, quod in aliis rebus solus consensus non sufficiat ad acquirendum dominium illarum, sed insuper requiratur traditio, et apprehensio rei; *l. traditionibus* 20. *C. de pact.* quia in rebus spiritualibus, uti sunt beneficia, facilius acquiritur jus in re, quam in rebus corporalibus, ut tradit Ancharan. *in c.* 17. *cit. not.* 11. Barbos. *ibid. n.* 5. Pirh. *n.* 55. *cit.*

63

Si vero collatarius beneficium sibi collatum nondum acceptavit, major est difficultas. Videtur enim, antequam collationi consenserit, nullum eidem acquiri jus, ex ratione, quia, ut *n.* 40. dixi, collatio libera est quaedam donatio, donatio autem ante acceptationem factam a donatario nullum jus eidem tribuit, sed revocari potest a donatore, quando libuerit, licet expresso istius consensu sit

facta; *l. absenti* 10. *ff. de donat. et l. qui absenti* 38. *ff. de acquir. possess.*

Sed dicendum, hujusmodi collatione, antequam acceptetur, non quidem acquiri jus in re beneficio, acquiri tamen jus ad rem, ita, ut episcopus, vel alius collator ejusdem conferre illud alteri nequeat, donec is, cui sic collatum est, ipse collationi dissenserit, et jure per collationem sibi quaesito se abdicaverit. Ita statuitur *c. si tibi cit.* et notat *ibid.* Franc. *n.* 10. Barb. *n.* 1. *et seqq.* Passerin. *n.* 6. *et* 12. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 1. *n.* 12. Leur. *p.* 2. *for. benef. f.* 3. *c.* 3. *q.* 749. *n.* 1. clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 150. Pirh. *hic n.* 55. *not.* 2. Vvies. *n.* 38. Proceditque hoc, ut neque sub conditione, *si a priore collatario non acceptetur*, collatio fieri alteri possit, ut notat gloss. *in c. si tibi cit. V. personam.* Ratio est, quia collatione facta, episcopus, vel alius collator functus est officio suo, cujus ratione beneficium conferre potest, et tenetur, ut adeo locus sit regulae; *c. in litteris* 9. *de offic. deleg. et l. judex* 55. *ff. de re jud.*

64

Ad rationem dubitandi, licet collatio beneficii libera censeatur esse quaedam donatio respectu collatarii, quod respectu ejusdem sit concessio mere liberalis, utpote ante collationem nullum habentis jus ad beneficium sibi collatum; non tamen est proprie donatio respectu collatoris, cum ab hoc non ex mera liberalitate, sed ex officii obligatione descendat. Accedit, quia donatio proprie dicta est concessio rei, quam donator habet ut propriam, et ut talem sibi retinere posset: atqui collator non potest beneficium retinere sibi, sed necessario conferre illud alteri debet: ergo etc.

65

Dub. 2. an episcopus, vel collator beneficii praefigere collatario terminum possit, intra quem collationem acceptet? Resp. posse. Ita cum aliis Barb. *in c.* 17. *cit. n.* 9. Passerin. *ibid. n.* 18. *et duob. seqq.*

Difficultas est, an collatarius, transacto termino sibi statuto, adhuc consentire possit? Videtur non posse ex paritate cum electo, qui si intra 30. dies a jure sibi statutos in sui electionem non consensit, post illos in eandem consentire amplius utiliter nequit.

66

Sed dicendum, etsi hoc casu collator non teneatur amplius expectare, sed lapso termino, beneficium alteri conferre possit; si tamen alteri nondum contulit, collatarium collationi sibi factae utiliter adhuc consentire posse. Ita gloss. *in c. si tibi cit. V. terminum,*

Franc. *ibid. n.* 12. Barb. *n.* 10. *et* 16. Passerin. *n.* 23. *et seqq.* Pirh. *hic n.* 56. Vvies. *n.* 39. quibus consentit clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 155. *Quod collator amplius expectare non teneatur*, patet inde, quia hoc ipso, quod collatarius intra illum terminum non consentiat, censetur dissentire, et electioni sibi factae renuntiare, ut recte advertit Passerin. *l. cit. n.* 18. cum aliis. *Quod vero utiliter adhuc consentire possit*, ratio est, quia quando actus pendet ex alterius voluntate, et lex non assignat certum tempus ad declarandum consensum, vel dissensum, etsi terminus ab homine praefigi possit, tamen post terminum elapsum, si res adhuc sit integra, consensus praestari potest, ut recte monet gloss. *V. terminum cit.* neque enim quis prohibetur mutare consilium, quando alteri non fit praejudicium; *arg. reg. mutare* 33. *et ibi* gloss. *V. mutare de R. J. in* 6.

Ex quo patet responsio ad rationem dubitandi; nam 3o. dierum terminus electo ad consentiendum electioni praefixus a jure est *c. quam sit* 6. *de elect. in* 6. cujus terminus omnino fatalis est.

67

Dub. 3. an ad obtinendum beneficium, et ejus possessionem necessaria sit praesentia illius, cui confertur? Resp. dupliciter posse absenti conferri beneficium, et primo quidem nulla interveniente persona, deinde vero interveniente aliqua persona, quae loco beneficiarii acceptet, et consentiat collationi. *Si primo modo collatio fiat*, non acquiritur ita proviso jus in re, donec iste acceptaverit collationem, ut dictum est *n.* 63.

Si secundo modo, interest, an persona illa intervenies habeat speciale mandatum sibi datum a principali ad beneficium suo nomine acceptandum, an vero tali mandato careat.

68

Si prius, et hic nomine principalis beneficii collationem acceptet, collatarius acquirit jus in re per collationem a collatore, et acceptationem a suo procuratore factam, ut constat ex *c. accedens* 24. *h. tit.* et notat *ib.* Abb. *n.* 3. *et duob. seqq.* Vivian. *c. eod. vers. distingue tamen* Barb. *in c.* 17. *tit. eod. n.* 11. Passerin. *n.* 11. Vall. *l.* 1. *de benef. tit.* 6. *n.* 7. Leuren. *p.* 2. *for. benef. f.* 3. *cap.* 3. *q.* 797. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 111. *not.* 1. et alii passim. Satis autem speciale mandatum erit, si sit datum ad acceptandum beneficium saltem in genere, et indeterminate, videlicet cum aliquod vacaverit, vel se occasio obtulerit; Vvagn. *in c.* 24. *cit.* Passerin. *n.* 11. *cit.* et apud hunc alii. Neque opus est, ut procurator cum tali mandato sit clericus; quamvis enim id tutius, et usitatum sit, absolute tamen etiam laicus esse procurator in causa hac potest; *arg.*

c. 1. *de procurat. in* 6. quia jus spirituale beneficii non acquiritur ipsi laico praesenti, sed per ipsum, velut per canalem, seu exhibentem nudum ministerium transit in ipsum dominum, seu principalem, ut notat Joan. Andr. *in c.* 24. *cit. n.* 2. Abb. *ibid. n.* 6. Vivian. *vers. nunquid autem*, Passerin. *in c.* 17. *h. tit. in* 6. *n.* 11. *in fin.* Clerical. *de benefic. discord.* 90. *n.* 8. Schamb. *hic n.* 22.

69

Si posterius contingat, et beneficium acceptatum sit ejus nomine ab alio, qui speciale ab ipso mandatum non habuit, v. g a procuratore generali, negotiorum gestore, vel ejus amico, non acquiritur absenti jus in beneficio, nisi postea re intellecta, id, quod suo nomine gestum est, ratum habeat; *l. si ego* 24. *junct.* gloss. *V. imputare ff. de negot. gest.* et tradit Franc. *in c. si tibi cit. n.* 3. Leuren. *n.* 1. Pirh. *n.* 110. cum aliis supra. Et quidem quod ante ratihabitionem hoc casu jus in re collatario non acquiratur, patet ex generali juris principio, quod sine animo non acquiratur alicui dominium, vel jus aliquod. Quod vero jus in re collatarius acquirat, si collationem postea habuerit ratam, infertur inde, quia hoc casu aliud nihil defuit, quam ejus consensus, qui per ratihabitionem suppleri potest, etiam in his, quae speciale mandatum requirunt; *c. fin. de jurejur. in* 6.

Procedit que hoc etiam in aliis electionibus, et provisionibus, quibus confertur saecularis dignitas, vel administratio ex necessitate, sive obligatione officii, ut bene advertit Pirh. *l. cit.*

70

Dub. 4. an beneficium conferri possit novitio religionis? Resp. distinguendo inter beneficia saecularia, et regularia.

Saecularia eidem conferri possunt, quamvis non deceat, ut contra gloss. *in c. beneficium* 4. *vers. conferendum de regular. in* 6. docent Garc. *p.* 7. *benef. c.* 10. *n.* 5. *et* 6. Sanc. *l.* 7. *de moral. cap.* 4. *n.* 22. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 3. §. 3. *n.* 5. Leuren. *for. benef. p.* 1. *f.* 1. *c.* 2. *q.* 48. Pirh. *hic n.* 123. *n.* 23. et alii apud istos. *Ratio est*, quia novitius est adhuc sui juris, et proprii retinendi capax. *Ex quo sequitur*, 1. hujusmodi novitium beneficium suum, quod ante ingressum in religionem adeptus est, commutare cum alio posse non minus, ac alius clericus saecularis potest, ut *l. cit.* advertit Sanch. Leuren. etc. 2. eundem acceptare posse de novo sibi collatum sive curatum, sive simplex: neque ex hoc, ut quidam volunt apud Sanch. *l. cit.* argui posse, quod renuntiet religioni; quia neutrum cum statu novitii est incompatibile: 3. si beneficium vacet, quod ex fundatione debetur primogenito e. g. ex certa familia, isque sit novitius, illud beneficium non posse con-

ferri alteri, sed cum novitio, ut dictum est, decenter non conferatur, exspectandum usque ad illius professionem, vel tempus, quo potest renuntiare bonis, constituto interea vicario in beneficio; quia novitius ex vi fundationis acquisivit jus ad rem, quo spoliari non debet; Sanch. *n.* 23. Pal. *n.* 6. Leur. *l. cit.*

71

Quoad regularia distinguendum est inter beneficia, quae administrationem habent, et alia. *Ad priora* novitius promoveri non potest, maxime ad praelaturas episcopatu inferiores; *c. nullus* 28. *de elect. in* 6. Ratio congruentiae est, quia *non debet in magistrum assumi, qui formam discipuli vix assumpsit, neque aliis praefici, qui subesse non novit*, ut habetur *c. cum in magistrum* 49. *de elect. De posterioribus* aliud constitutum est jure antiquo, aliud novo. Antiquo jure nec ista novitiis conferri poterant, possunt autem novo; Trid. *sess.* 14. *c.* 10. *de regul.* ubi permittuntur beneficia regularia vacantia conferri nondum professis, imo et iis, qui habitum nondum susceperunt, modo eundem suscipere, et professionem emittere velint, et ad hoc se obligent; Sanch. *l. cit. n.* 24. Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 4. *n.* 36. *et* 37. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 18. *c.* 3. *a n.* 13.

72

Dub. 5. an in beneficio succedere aliquis possit etiam jure consanguinitatis? Resp. non posse, prout constat ex *c. ut nullus* 1. *h. tit.* Ratio est, quia cum bona ecclesiastica sint a fidelibus DEO oblata pro sustentatione ministrorum ecclesiae, hinc sequitur, quod clerici jus praebendae, seu beneficii non a defuncto beneficiario per successionem, sed ab ecclesia, seu praelato ejus per canonicam institutionem, vel collationem habere debeant; Abb. *in cap.* 1. *cit. n.* 2. Vivian. *ibid. in ration.* Barbos. *n.* 1. *et* 2. Gonz. *n.* 5. *et seq.* Pirh. *n.* 51. *procedilque* hoc, ut non solum prohibita sit successio ex testamento, vel ab intestato, sed etiam omne id, quod vel speciem, aut similitudinem talis successionis prae se fert, ut bene notat Pirh. *n.* 52.

Et hinc 1. illicitum est pactum de succedendo alteri in beneficio ecclesiastico post mortem ejusdem; *cap. nulla* 2. *de concess. praeb.* quia pactum de futura successione etiam jure civili non valet; *l. fin. C. de pact.* 2. non minus irritum est pactum, quo aliquis in ecclesia instituitur ea conditione, ut post mortem ejus alius certus v. g. consanguineus illius succedat; *c. accepimus* 5. *de pact.* 3. simili ratione non potest filius, etsi legitime natus, in eodem beneficio immediate succedere patri; *cap. veniens* 5. *et c. seq. de fil. presbyt.* 4. non potest, vivente praelato, vel alio beneficiato, de suc-

cessore substituendo tractatus institui, etiamsi paulo post morituras sit; *c. bonae* 36. §. *electionum de elect.* 5. neque etiam episcopo, vel simili praelato coadjutor dari potest cum potestate succedendi; *can. petiisti* 17. *caus.* 7. *q.* 1. Trid. *sess.* 25. *c.* 7. *de reform.* excepta plenitudine potestatis papalis, per quam haec omnia fieri possunt.

73

Ratio horum omnium est, quia secundum canones ecclesiae, et beneficia ecclesiastica, non per successionem quasi haereditariam, sed per canonicam electionem, aut institutionem obtineri debent, et quidem non antequam illa vacent: ideoque et promissiones de beneficio nondum vacante prohibitae sunt, ut *infra tit.* 8. dicetur.

Neque obstat, quod jus patronatus, licet et ipsum spirituale sit, jure successionis ad haeredes, et proximos agnatos cum bonis haereditariis transeat; nam in primis jus conferendi magis spirituale est, et propinquius connexum cum spirituali, quippe cum per collationem acceptatam acquiratur jus in re. Deinde jus patronatus ex speciali gratia concessum est laicis eo fine, ut excitentur fideles ad fundandas, et dotandas ecclesias; *c. quoniam* 3. *de jure patronatus*: qui finis magis obtinetur, si jus hoc a laico semel obtentum ad ejus haeredes transeat; Abb. *in c.* 1. *cit. n.* 4. Vvagnereck *ibid. in exeges.* Pirh. *hic n.* 52.

74

Quaeritur 3. quomodo fieri debeat collatio beneficiorum? Resp. Ut rite fiat, plura requiruntur. Nam 1. debent conferri *gratis*, h. e. nullo interveniente pretio, praemio, mercede, vel aliquo, quod sit pretio aestimabile; *can. siquis* 3. *can. siquis objecerit* 7. *et can. seq.* §. *igitur* junct. gloss. *V. ecclesiasticam caus.* 1. *q.* 3. alias committeretur simonia, quae si ex utraque parte completa sit, facit irritam collationem, ut dicetur *lib.* 5. *tit.* 3. *de Simon.*

2. *Libere*, i. e. non per vim, aut metum; *c. Abbas* 2. *et c. seq. de his, quae vi etc.* nam collatio beneficii, ut *n.* 40. dictum, est veluti liberalis quaedam donatio, quae coactionem excludit. Ex quo consequitur, quod neque debeat esse ob vel subreptitia; quia ob et subreptio tollit consensum liberum, ac proinde vitiat concessionem gratiae; *c. si motu* 23. *h. tit. in* 6. *c. ad aures* 8. *et c. constitutus* 19. *de rescript.*

3. *Palam*, i. e. praesentibus testibus saltem duobus, qui de facta provisione testari possint, ut fraudibus, et litibus occurratur. Bene tamen hic notant Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 4. Leuren. *p.* 2. *for. benef. s.* 3. *c.* 3. *q.* 773. Pirh. *hic n.* 60. collationem etiam sine testibus, clam, et secreto factam valere; quia nullo jure reperitur expressum, quod collatio beneficii debeat palam, seu publice fieri:

unde quoad hoc collatio differt ab electione, in qua forma *c. quia propter* 42. *de elect.* servari debet ; haec enim , ut valeat , publicari debet.

75

4. *In scriptura*; Azor. *p.* 2. *l.* 6. *capit.* 26. *q.* 5. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 13. *n.* 5. *et duob. seqq.* Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *lit.* 21. *c.* 2. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 62. et concordat hodierna praxis , quae non solet quenquam ad possessionem beneficii in vim factae collationis admittere , nisi litteras collationis , quas *patentes* vocare solent, in forma expeditas afferat , et exhibeat. Sed hoc iterum tantum requiritur ad faciendam fidem, quando de collatione facta dubium aliquod oriretur ; nam etiam sine scriptura facta est valida , prout DD. *cit.* cum aliis notant. *Neque obstat* , quod *extrav. injunctae* 1. *de elect. int. comm.* ad obtinendum beneficium , et ejus possessionem requiratur , ut quis litteras apostolicas collationem continentes impetret ; alioquin collationem fore irritam. Nam constitutio haec locum duntaxat habet in collatione beneficiorum facta a papa , vel ejus legato , non autem ab ordinariis locorum inferioribus , de quorum collatione facilius constare potest; Zoes. *hic n.* 53. cum *cit.*

5. *In perpetuum* vel simpliciter , ut fit in beneficiis proprie dictis , quae conferuntur ad vitam collatarii , vel saltem ad nullum certum , et determinatum tempus , ut beneficia manualia , quae licet ad nutum auferibilia sint , nunquam tamen conferuntur pro certo , et determinato tempore , sed pro indeterminato , et incerto, ac proinde de se perpetuo ; nam tempus incertum pro perpetuo quodammodo habetur; Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 7. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 27. *n.* Leuren. *for. benef. p.* 2. *s.* 3. *c.* 2. *q.* 774.

76

6. *Non conditionate* , ut colligitur *c. in electionibus* 2. *de elect. in* 6. qui textus , licet loquatur solum de electione, et postulatione, locum tamen habet etiam in collatione, seu alia provisione beneficii, ut tradit glossa communiter recepta *ib. V. incerta* , Franc. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 63. Ratio est , quia electiones , et collationes beneficiorum numerantur inter eos actus legitimos, qui secundum legis praescriptum fieri debent absolute , et simpliciter , ita, ut nec conditionem , nec diem recipiant; *reg.* 50. *in* 6. *proceditque* hoc, sive conditio collationi addita sit de futuro , sive de praeterito , aut praesenti ; nam sub quacunque conditione , si extranea illa sit , facta collatio beneficii irrita redditur ob incertitudinem , quam sibi adjunctam habet; Joan. Monach. *in c.* 2. *cit. n.* 55 *et* 6. Franc. *ibid. n.* 5. Pal. *D.* 3. *p.* 1. *n.* 7. Pirh. *hic n.* 64. Dixi, *si extranea illa sit* ; nam sub intrinseca , quae suapte natura , sive ipso jure imbibita est, ut

confero tibi beneficium, si vacet, si es idoneus etc. facta collatio valet, ut *l. cit.* advertunt Azor *q.* 3. Pal. *n.* 4. Leuren. *q.* 769. Pirh. *n* 64. Ratio est, quia per talem conditionem nihil additur, vel demitur actui, cui adjicitur, sed quod implicite continetur, explicatur.

77

7. *Non alternative, seu disjunctive*, v. g. *confero beneficium Titio, vel Cajo* arg. *c. in electionibus cit.* junct. gloss. *V. incerta*; quia sic voluntas conferentis redditur incerta, et dubia, ex cujus tamen voluntate collatio vim habet.

8. *Non unum, idemque duobus*, ut habetur *c. tuae* 20. *h. tit. proceditque*, sive id fiat, ut simul, et conjunctim illud possideant; sive ut unus obtineat statim, alter vero sub expectatione ejusdem praebendae existat: *primum* esset divisio unius beneficii in duo, quae jure canonico regulariter prohibita est; alterum esset gratia exspectativa ad proximam vacaturam, quae jam sublatae sunt; *c. nulla* 2. *de concess. praeb.*

9. *Sine diminutione*, prout dicetur *tit.* 12.

10. Denique beneficium conferendum debet esse vacans, ut explicabitur *tit.* 8.

78

Dub. 1. an valeat collatio beneficii facta sub modo, pacto, onere? *Resp. ad* 1. Modi eandem fere rationem esse, quae conditionis; nam distinguendum est, an modus talis a natura insit, vel non. *Si hoc secundum*, collatio erit invalida ex ratione, quae contra conditiones extraneas *n.* 76. allata est. *Si primum*, e. g. *confero tibi beneficium parochiale, ita tamen, ut obligatus sis intra annum suscipere sacerdotium*, collatio sub tali modo facta est valida, ob rationem supra allatam pro conditione apposita; Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 3. Garc. *p.* 8. *de benef. c.* 2. *n.* 12. Pirh. *hic n.* 65. et alii passim.

Ad 2. id, quod dictum est de conditione, et modo, etiam dicendum de pacto; nam si collationi beneficii, aut resignationi adjectum sit pactum aliquod, continens id praecise, quod jure communi requiritur, et tacite inest, ut si collator dicat, *confero tibi beneficium eo pacto, ut idoneum te huic administrando facias*, vel resignans, *resigno tibi beneficium eo pacto, ut fructus beneficii resignati usque ad amissionem resignationis ad me pertineant*, collatio, et resignatio valet, ut *l. cit.* notant Garc. *n.* 15. Pirh. *n.* 65.

79

Ad 3. distinguendum est inter onus temporale, et spirituale. De onere temporali, an, a quo, et in quantum imponi possit, examinabitur infra *tit.* 12. *Quoad onus spirituale*, multum interest, an

illud imponatur, antequam beneficium alicui conferatur, an vero in ipsa collatione per modum adjectae conditionis, modi, aut pacti. *Si prius*, ab episcopo imponi potest, et statui, ut beneficiarius deinceps docere debeat s. scripturam, habere cathechesin etc. utque tale onus deinceps ad quemcunque beneficii possessorem transeat; *c. significatum* 11. *h. t.* gloss. *ibid. in not.* non tamen id possunt inferiores episcopo; quia non possunt naturam, et institutionem beneficiorum per nova statuta mutare; Abb. *in c.* 11. *cit. n.* 2. Pirh. *hic n.* 67. *Si posterius*, hujusmodi onus novum neque ab episcopo imponi potest, ut cum aliis advertit gloss. *in c. quia nonnullis* 3. *V. item nunquid de magistr.* contra Jo. And. et Ab. *ibid. in fin.* Ratio est, quia beneficia ecclesiastica debent conferri pure, et simpliciter, sine omni pactione, et conventione; *c. fin. de pactis.*

80

Dub. 2. an possit aliquis licite recipi in canonicum sine beneficio, vel praebenda? Resp. ex causa posse, prout patet ex *c. relatum* 9. *h. t. et c. cum M.* 9. *de constit. ibi, in canonicos receperunt, nullis praebendis assignatis eidem.* Ratio est, quia praebenda non est de substantia canonicatus. Procedituque hoc maxime, quando in aliqua ecclesia nullus est certus numerus canonicorum, certae autem, et distinctae sunt praebendae, ut notat Abb. *in c. relatum cit. n.* 2.

Porro ita receptus ex hac sua receptione duos favores habet.

Unus est, quod etsi praebendam non habeat, de jure communi tamen, et nisi contrarium obtineat consuetudo, quae ubique servanda est, debeat habere stallum in choro, vocem in capitulo, et distributiones quotidianas; *c. dilectus* 19. *h. t.* quia vere jus canoniae habet, et cons. omnia jura canonicalia: *excipitur*, nisi receptus sit cum addito, quod recipiatur tanquam supernumerarius; nam sic receptus non habet jus integrum canoniae, sed solum praeparatorium quoddam ad jus integrum aliquando obtinendum; Abb. *in c. cum M. cit. n.* 31. Pirh. *n.* 32. *not.* 2. Sch. *n.* 8.

81

Alter favor est, quod sic receptus non diu debeat esse sine praebenda; cum enim, ut *n. praec.* dixi, locum habeat in choro, et vocem in capitulo, aliisque oneribus canonicorum subsit, decens est, ut etiam beneficium habeat, cujus alatur reditibus, ex principio generali, quod beneficium detur propter officium. *Ex quo sequitur*, quod ita receptus, si deinde praebenda canonicalis vacaverit, judicis officio implorato, petere possit, ut ea sibi conferatur, prout sumitur ex *c. dilectus cit.* et notat Abb. *ibid. n.* 7. *Procedituque hoc,* etiamsi receptus sit supra numerum; nam etiam huic conferri debet praebenda proxime vacatura, cum ita receptus, extincta supernumeraria canonia,

quam habuit, tali casu ingrediatur in numerum antiquorum canonicorum. Pirh. *n.* 33. *not.* 5. *Neque obstat*, quod talis canonicus non habeat jus determinate ad praebendam primo vacaturam; habet enim ratione canoniae jus saltem in genere ad aliquam praebendam, vel ut praebenda proxime vacatura potius sibi, quam alteri qui jus canoniae non habet, vel post ipsum in canonicum receptus est, conferatur.

82

Dub. 3. qua forma conferri debeant beneficia parochialia? Resp. Haec ex praescripto trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de ref.* conferri debent per concursum, ita, ut ille, qui in eo inventus fuerit dignior, obtineat beneficium. Secus, collatio censebitur irrita, et siquidem jus conferendi pertinuit ad episcopum, illud ad sedem apostolicam devolvetur. *Excipitur*, ubi modus beneficia conferendi per concursum vel non est inductus, vel si aliquando inductus est, exolevit, prout de facto exolevit in multis locis, in quibus proin collationes, etiam sine concursu factae, sunt validae.

Imo etiam in iis locis, in quibus usu beneficia per concursum conferendi viget, non semper forma per concursum illa conferendi est necessaria. Et 1. si beneficium parochiale sit juris patronatus laici; nam ad haec praesentatus, si idoneus repertus fuerit, a collatore est instituendus 2. Si permutetur cum alio parochiali, vel simplici, aut resignetur in favorem tertii; nam resignatario, modo aptus sit, prae aliis est conferendum. 3. Si sit perpetuo unitum alicui dignitati, canonicatui, vel monasterio 4. Si cura illius pertineat ad ecclesiam cathedralem, vel collegiatam, et per plures alternatim, ac per hebdomades administretur 5. Si nemo se velit ad concursum offerre, vel gravia dissidia, aut lites ex concursu sint timendae etc. Pal. *tr.* 13. *D.* 3. *p.* 2. §. 5. *an.* 2.

83

Dub. 4. an formam, et modum hactenus descriptum in beneficiis conferendis debeat etiam observare papa? Resp. negative; sed locum hactenus dicta solum habent in collatoribus inferioribus papa. Hic enim cum supremam, et plenissimam potestatem habeat in beneficiis, idcirco liberrime de iis disponere quoad ea, quae juris positivi sunt, potest, ut recte not. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 1. *et c.* 26. *q.* 1. Les. *l.* 2. *de just. cap.* 34. *n.* 45. Leur. *p.* 2. *de benef. s.* 3. *c.* 3. *q.* 511. *n.* 1. Illus. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 182. Pirh. *hic n.* 74.

Adeoque potest 1. conferre beneficia non tantum vacantia, sed etiam non vacantia, et dare ad haec gratias exspectativas, ut infra dicetur *tit.* 8. 2. potest illa conferre non tantum absolute, sed etiam sub conditione de futuro, et suspensiva; item sub modo, etiam qui de jure non inest. 3. Non tantum in perpetuum, ut alii collatores,

sed etiam ad tempus. 4. Non tantum singula singulis, sed etiam unum duobus, idque vel copulative, vel alternative, prout voluerit. 5. Imo arbitratu suo potest uni beneficium adimere, et alteri dare, et quidem valide etiam sine justa causa.

§. IV.

De pluralitate beneficiorum.

SUMMARIUM

84 *Divisio beneficiorum in compatibilia et incompatibilia,*
85 *Probantur dari compatibilia.*
86 87 88 *Enumerantur, quæ sunt incompatibilia*
89 *Quid de beneficiis sæcularibus simplicibus uniformibus sub eodem tecto?*
90 91 *Quid de difformibus?*
92 93 *Quid de pluribus sub diverso tecto?*
94 95 96 97 *An possit aliquis cum beneficio simplici, ad congruam sustentationem sufficiente, retinere aliud non sufficiens.*
98 99 100 101 *Quid circa obtentionem plurium beneficiorum possit consuetudo?*
102 103 *An quis absque dispensatione obtinere, et retinere possit plura beneficia simplicia, quam duo?*
104 *Ex qua causa ss. canones pluralitatem beneficiorum horreant?*
105 106 107 108 109 *Tempora diversa quibus prohibita illa fuit?*
110 111 *Quænam beneficia vacent ipso jure per adeptionem alterius?*
112 113 114 *Quæ non vacent?*
115 116 117 118 *An ipso jure etiam vacet simplex per adeptionem alterius simplicis?*
119 120 121 *An vacent omnia prius obtenta?*
122 123 124 125 126 127 *Requisita, ut prius obtentum vacet ipso jure?*
128 129 130 *Casus, quibus vacatio hæc non inducitur.*
131 132 *Quando beneficium primum vacare incipiat?*
133 *Ita vacans collator ordinarius intra sex menses debet conferre alteri.*
134 *Alias ad proximum superiorem devolveretur.*
135 *In possessionem tamen beneficii sic collati, non potest mittere, nisi possessore vocato.*
136 *Et causa summarie cognita.*
137 *Casus, quibus plura beneficia obtineri absque dispensatione possunt.*
138 139 140 *Causæ justæ dispensandi in beneficiorum pluralitate.*
141 *Pontifex in hac dispensandi potestatem habet amplissimam.*
142 *Valetque ejus dispensatio, etiam facta sine causa justa.*
143 *Sententiæ diversæ circa sic dispensatum.*
144 145 146 *Potestas episcopi in hoc puncto.*
147 *Legati a latere, capituli sede vacante, vicarii generalis etc.*
148 149 *Notanda circa hanc dispensationem.*

84

Communis apud DD. beneficiorum divisio est, qua alia dicuntur incompatibilia, alia compatibilia. *Compatibilia* dicuntur illa, quae vel nullam, vel non incompossibilem residentiam exigunt, ideoque simul

obtineri, et retineri possunt, uti sunt duo canonicatus, si tales sint, ut ex statuto, aut recepta consuetudine sufficiat in uno residere tres duntaxat, vel sex menses, in altero totidem. *Incompatibilia* appellantur, quae vel jure naturali, vel jure communi ecclesiastico, vel ex consuetudine, statuto, aut fundatione continuam residentiam personalem exigunt, ideoque simul obtineri, vel retineri, saltem sine dispensatione non possunt. Atque haec iterum in duas species dividuntur, in ea sc. quae incompatibilia sunt *in primo genere*, et ea quae *in secundo* tantum sunt incompatibilia. *Priori modo incompatibilia* sunt, quae ita sibi invicem adversantur in eadem persona, et subjecto, ut obtento secundo, vado, vacet hoc ipso primum. *Posteriori* illa, quae in eadem persona quidem se licite non compatiuntur, non tamen sibi invicem adversantur, ut altero obtento, prius beneficium hoc ipso vacet. Haec subdivisio hodie videtur sublata per trid. cujus decreto, ut infra *n.* 116. dicam, omnia beneficia, quae ratione etiam residentiae tantum sunt incompatibilia, facta sunt incompatibilia absolute, et primum, secundo obtento, ipso jure vacat.

85

Quaeritur 1. an de jure communi dentur aliqua beneficia inter se compatibilia in eodem subjecto? Videtur nulla hujusmodi existere ex *can. sanctorum* 2. *dist.* 70. *can. clericus* 1. *caus.* 21. *q.* 1. *c. quia nonnulli* 3. *de cleric. non resid. c. quia in tantum* 5. *h. tit. et extrav. Joann. XXII. execrabilis eod.* quibus aliisque juribus dicitur, duo, aut plura beneficia jure communi simul haberi non posse. *Et confirmatur* ex *c. conquerente* 6. *c. inter quatuor* 10. *c. cum ad hoc* 16. *de cleric. non resid.* ex quibus colligitur, quod omne beneficium requirat personalem residentiam, ac proinde secum invicem sint incompatibilia.

Sed dubitari non potest, quin in jure aliqua beneficia habeantur pro compatibilibus inter se; id enim aperte supponitur 1. *c. gratia* 7. *de rescript. in* 6. ibi, *utrumque tamen, si talia sint beneficia, quae simul nequeant de jure teneri, habere non potest.* 2. *Clem. gratiae* 4. *eod.* ubi sic dicitur: *Aliud beneficium pacifice assequaris, quod simul de jure cum dignitate, vel beneficio virtute dictae gratiae tibi debito retinere non posses.* 3. *trid. sess.* 7. *c.* 4. *de reform.* ibi, *quicunque de cetero plura curata, aut alia incompatibilia beneficia ecclesiastica recipere, ac simul retinere praesumpserit etc.* Hinc solummodo examinandum restat quaenam beneficia compatibilia sint, et quaenam incompatibilia.

86

Qua in re certum est 1. non posse ab eodem sine dispensatione apostolica simul obtineri, vel retineri duos episcopatus, duas

vicarias perpetuas, et cetera beneficia curata; *can. unio* 3. *vers. sed et hoc caus.* 10. *q.* 3. *can. clericus* 1. *caus.* 21. *q.* 1. *cum seqq.* Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 11. *q.* 5. Rebuff. *prax. tit. de dispens. ration. aetat.* §. *incompatibilia n.* 1. *et duob. seqq.* Fagn. *in c. cum jam dudum* 5. *h. tit. n.* 39. *et seqq.* Gonz. *in c.* 28. *eod. n.* 9. Barb. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 13. *n.* 172. Pirh. *hic n.* 130. Ratio perspicua est, quia singula ex hujusmodi beneficiis, et praelaturis residentiam perpetuam personalem exigunt; idem autem in pluribus ecclesiis simul residere non potest. *Exceptio* triplex est. 1. Si unum hujusmodi beneficiorum curatorum conferatur in titulum, alterum in commendam temporalem. 2. Si unum sit curatum actu, alterum habitu tantum. 3. Si unum sit alteri annexum accessorie, nam in his casibus incompatibilitatem, in ultimo etiam distinctionem perdit, cum in casu unionis sic factae beneficium accessorie unitum cum principali censeatur facere unum solummodo beneficium. Videatur Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 147. *et* 148. Gonz. *in c.* 28. *h. tit. n.* 12. Vvagn. *ibid. V. beneficium not.* 2. Leuren. *p.* 3. *for. benef. s.* 1. *c.* 2. *q.* 116. *et seq.* Van. Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 20. *c.* 2. *n.* 22. Pirh. *n.* 133.

87

Certum est 2. non posse aliquem absque dispensatione apostolica simul obtinere duas dignitates, vel personatus. Ita statuitur *c. dudum* 34. *de elect. c. adhaec* 17. *et c. de multa* 28. *h. tit. extrav. execrabilis Joan. XXII. eod.* et notant Fagnan. *in c. adhac cit. n.* 1. Gonzal. *in c. de multa cit. n.* 9. Vivian. *in c.* 13. *h. tit. princ.* Barbos. *ibid. n.* 1. Vagn. *in c.* 14. *eod.* Pirh. *n.* 128. qui recte notat id procedere non tantum de dignitatibus pluribus in eadem, sed etiam in diversa ecclesia ob incompatibilitatem residentiae, quam perpetuam de jure exigunt hujusmodi dignitates, et personatus.

88

Certum est 3. ab eodem religioso sine dispensatione non posse obtineri simul duo, aut plura beneficia regularia, ut habetur *c. cum singula* 32. *h. tit. in* 6. *proceditque* hoc, etiamsi illa non in uno, sed in diversis monasteriis, licet ejusdem ordinis, sita sint, nisi unum accessorie sit unitum alteri, prout iterum constat ex *c. cit.* §. *prohibemus*: et ratio est, quia si religiosus duo beneficia in diversis monasteriis in titulum haberet, esset sub diversa obedientia, et diversis praelatis contra *c. fin. de religios. domib.* et extendi hoc etiam debet ad canonicos, et clericos regulares, etsi *c. cit.* pontifex solum utatur nomine monachi. Ratio est, quia ex regula generali, ut notat Navar. *commen.* 3. *de regular. n.* 41. ea, quae jure communi statuuntur de monachis, quamvis odiosa sint, et

poenalia, etiam de canonicis, et clericis regularibus statuta censentur, si in iis eadem ratio locum habeat, prout in praesenti contingit.

89

Dubium 1. est, an aliquis obtinere, et retinere simul possit duo beneficia simplicia saecularia? Resp. distinguendo: vel enim illa beneficia sunt sub eodem tecto, et in eadem ecclesia, aut in diversis.

Si primum, videndum, an uniformia illa sint, an vero difformia. *Si uniformia*, ut sunt duo canonicatus, unus, idemque illa in eadem ecclesia simul obtinere non potest, ut ex communi docent Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 11. *q.* 1. Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 5. *n.* 5. 182. Laym. *l. tr.* 2. *c.* 8. *n.* 5. Vall. *l.* 3. *de benef. tit.* 3. *n.* 3. Gonz. *in c.* 28. *h. tit. n.* 8. Leuren. *p.* 3. *for. benef. s.* 1. *c.* 2. *q.* 129. Pirh. *hic n.* 131. et sumitur ex *c. de multa* 28. *h. tit. vers. hoc idem*, ibi, *in eadem ecclesia*, *c. litteras* 9. *de concess. praebend. et Clem. fin. h. tit.* Ratio est, quia per obtentionem duorum beneficiorum uniformium sub eodem tecto imminuitur numerus canonicorum, adeoque cultus divinus. Estque hoc verum, ut hoc etiam non permittatur jure accessionis, ut statutum habetur *Clem. si juxta* 6. *h. tit.* nec valet consuetudo contraria, ut ex *c. consuetudinem* 1. *de consuet. in* 6. dicam *infra n.* 98. Et hinc, si praebendatus, seu canonicus dignitatem, vel personatum adeptus sit in eadem ecclesia, cui similis praebenda, sive canonicatus, qualem antea habuit, annexus sit, prior canonicatus, et praebenda ipso jure vacat; Zab. *in cap.* 9. *de concess. praeb. n,* 2. Vall. *tit.* 3. *cit. n.* 15. *vers. unde habens*, Leuren. *c.* 2. *cit. q.* 130. Pirh. *hic n.* 136.

90

Si vero difformia sint, modo singula ad sustentationem congruam non sufficiant, nec ratione servitii incompatibilia sint, non obstante, quod sint sub eodem tecto, et ecclesia, retineri simul absque dispensatione possunt. Ita Navar. *cons.* 21. 24. *et* 26. *h. tit.* Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 5. *n.* 235. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 144. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 7. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 6. Vall. *l.* 3. *de benef. tit.* 4. *n.* 3. et suffragatur *c. eam te* 7. *de rescript. c. cum olim* 12. *de re judic. c. super eo* 6. *h. tit.* 6. ipsumque trid. quod dum *sess.* 24. *c.* 17. *de reform.* non habenti beneficium ad sustentationem sufficiens permittit conferri alterum simplex sufficiens, non distinguit inter beneficia sub eodem tecto, et sub diverso. Ratio est opposita, quia per hujusmodi collationem duorum beneficiorum difformium sub eodem tecto, cum utriusque obligationi unus idemque satisfacere possit, cultus divinus non minuitur per collationem duorum beneficiorum uniformium.

91

Et hinc 1. unus, idemque simul esse potest praepositus, vel decanus alicujus ecclesiae, et simul in ea habere canonicatum, ut patet ex *c. consuetudinem* 1. *de consuet. in* 6. et tradit Navar. *cons.* 21. 24. *h. tit.* Vvagn. *in c.* 13. *eod. in exeq.* 2. Rector, seu parochus alicujus ecclesiae praeter rectoriam, seu beneficium curatum simul retinere potest cappellaniam in eadem ecclesia existentem: Navar. *cons.* 16. *n.* 1. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 2. *vers. circa poenalem*, Pirh. *hic n.* 137. Konig *n.* 11. 3. Probabile est, posse aliquem simul habere duas capellanias in duobus altaribus ejusdem ecclesiae cum onere, ut in uno altari bis v. g. in hebdomada celebret, in altero ter aliis diebus; Navar. *l. cit.* Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 229. Laym. *c.* 8. *cit.* 7. Pirh. Konig. *l. citt.* Ratio est, quia etsi uno nomine generali cappellaniae appellentur, revera tamen non sunt beneficia uniformia, sed difformia censenda, cum distincta onera, seu officia in diversis altaribus habeant.

92

Si secundum, et quaestio sit de duobus beneficiis in diversis ecclesiis, iterum distinguendum, an ambo requirant residentiam incompossibilem, an vero ratione residentiae compatibilia sint. *Si prius*, obtineri simul non possunt, ut ex communi docet Abb. *in rep. c. extirpandae* 30. §. *qui vero n.* 30. *h. tit.* Rebuff. *prax. tit. de dispens. rat. aetat.* §. *incompatibilia n.* 3. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 261. Vivian. *in c.* 18. *vers. sed nunquid h. tit.* Laym. *c.* 8. *cit. n.* 6. Pirh. *hic n.* 132. Vviest. *n.* 202. et constat ex trid. *sess.* 24. *c.* 17. *de reform.* Ratio est, quia unus, idemque officio, duobus hujusmodi beneficiis annexo satisfacere non potest, hoc ipso, quod simul esse nequeat in duobus locis.

93

Si posterius, videndum, an utrumque illorum ad sustentationem congruam sufficiat, vel non sufficiat. *In hoc secundo casu*, duo simul obtineri, retinerique, etiam absque dispensatione posse, communis sententia est apud DD. *citt.* Colligitur ex trid. *l. cit.* et habetur ex declaratione card. apud Joann. Gallemart *ibid. n.* 3. *In primo casu* tenenda est negativa; quia incompatibilia sunt, etsi personalem residentiam non requirant, ut iterum ex communi docent Barbos. *de offic. episc. alleg.* 62. *n.* 8. Vivian. *in c.* 18. *cit. vers. sed nunquid.* Passerin. *in c.* 19. *h. tit. in* 6. *n.* 3. Vviestner *hic n.* 197. Sumitur ex *can. fin. dist.* 70. *can. cleric.* 1. *et can. seq. caus.* 11. *q.* 1. *c. cum adeo* 17. *de rescript. c. quia in tantum* 5. *et c. seq. h. tit. c. is cui* 19. *et c. cum singula* 32. *in* 6. et clarius ex *trid. c.* 17. *cit.* ubi contrariam consuetudinem perversionem ecclesiastici or-

dinis appellat, et statuit, ut imposterum unum duntaxat beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, siquidem ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam sufficiat. Sed hinc oritur controversia, et

94

Dub. 2. an possit aliquis cum beneficio simplici, ad congruam sustentationem sufficiente, obtinere, et retinere simul aliud simplex ad sustentationem non sufficiens, et quoad residentiam, ac servitium compatibile? Hojeda *de incompatib. benef. p.* 2. *cap.* 19. *n.* 1. Zerol. *prax. episc. p.* 4. *V. beneficium n.* 2. Flamin. *de resign. l.* 5. *q.* 6. *n.* 116. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 319. Vviest. *hic n.* 198. tenent universaliter negativam, sive deinde sufficiens obtinuerit ante insufficiens, sive insufficiens ante sufficiens: putantque id procedere non tantum tunc post publicata decreta synodi trid. sed etiam de jure obtinuisse jam ante laudatam synodum, ex ratione, quod etiam tali casu, dum unus plurium officia occupat, cultus divinus minuitur.

95

Alii distinguunt inter casum, quo quis primo obtinuit beneficium insufficiens, et inter casum, quo obtinuit primo beneficium sufficiens. *Si primum*, putant obtineri, et retineri cum illo beneficium aliud sufficiens deinde collatum posse, neque ad hoc opus esse dispensatione apostolica, vel episcopi. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 10. *q.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 13. Fagn. *in c. cum jam dudum* 18. *h. tit. n.* 57. *et* 58. Barb. *in c.* 28. *eod. n.* 18. *vers. sed pro declaratione*, *et jur. eccl. l.* 3. *c.* 13. *n.* 179. Schamb. *hic n.* 36. Pirh. *n.* 186. Rationem dant, quia qui habet primum non sufficiens, juste petit secundum ad congruam sui sustentationem; nam hoc tridentinum ipsi permittit: ergo etsi secundum per se solum sufficiat, non tamen ideo debet privari primo insufficiente; quia quod legitime factum est; poenam non meretur.

96

Si secundum, non potest post illud obtinere secundum beneficium insufficiens, et si hoc obtineat contra canones, primum ipso jure vacat, ut *loc. cit.* notat Pal. *n.* 10. Fagn. 49. et 58. Barb. *in c. cit. n.* 24. Thomassin. *p.* 2. *de benef. l.* 3. *c.* 8. *n.* 8. et sumitur ex trid. *l. cit.* ubi decernitur, quod unum tantum beneficium singulis conferri debeat. *Neque obstat*, quod, ut *n. praec.* dictum est, is, qui obtinet beneficium insufficiens, petere possit secundum, etsi illud per se sit sufficiens: nam istud petens, jure petit; non autem jure petit aliud beneficium, qui jam habet unum ad congruam sustentationem sufficiens.

97

Quidquid sit de jure communi, in multis provinciis jam invaluit consuetudo, vi cujus beneficium simplex ad sustentationem sufficiens obtinenti aliud insufficiens confertur a dioecesium ordinariis, neque ab his obligatur ad prius obtentum dimittendum; neque consuetudinem hanc improbat Rebuff. *prax. tit. de dispens. ad plura n.* 29. et Garc. *c.* 5. *cit. n.* 273. et haec ubi viget, non est opus dispensatione, ut *l. cit.* notat Rebuff. quia tali casu consuetudo dispensat.

98

Dub. 3. quid circa obtentionem, et retentionem plurium beneficiorum possit consuetudo? Resp. hic iterum distinguendum esse inter beneficia in eadem ecclesia, et in diversis ecclesiis. *Quoad primi generis beneficia* videndum, an beneficia illa sint uniformia, an difformia. Ut quis simul absque dispensatione sedis apostolicae obtineat, vel retineat duo beneficia *uniformia* in eadem ecclesia e. g. duas dignitates, vel personatus, duo officia, duos canonicatus etc. nulla consuetudine, etiam immemoriali, induci potest, prout patet ex *consuetudine* 1. *de consuet. in* 6. ubi talis consuetudo, tanquam *ss. inimica canonibus, et corruptela, quae de ambitionis radice processerit reprobatur et ratio additur; quia unum officium vix digne valet aliquis adimplere.*

99

In difformibus altera distinctio est adhibenda; nam dignitas cum personatu, vel officio absque dispensatione papali simul retineri non potest; potest tamen absque hac obtineri in eadem ecclesia dignitas, vel personatus, aut officium cum praebenda canonicali, ubi consuetudine ita inductum est. *Primum* expresse statuitur *c. consuetudinem cit. ibi, vel eorum alterum cum reliquo. Secundum* constat ex *c. eam te 7. de rescript.* et docet Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 5. *n.* 245. *et seq.* Azor *p. l.* 6. *cap.* 11. *q.* 2. Vall. *l.* 3. *de benef. tit.* 4. *n.* 6. Barb. *in c.* 13. *h. tit. n.* 3. Leuren. *for. benef. p.* 3. *s.* 1. *c.* 2. *q.* 136. Pirh. *hic n.* 140. et teste Garc. *l. cit. n.* 246. decisum est a s. congr. *in una valentina* 1593. his verbis; *consuetudini permittenti, quod in eadem ecclesia dignitates cum praebendis canonicalibus teneantur, non est derogatum per trid. sess.* 24. *c.* 17.

100

Quoad beneficia secundi generis, videlicet *existentia in diversis ecclesiis* distinguendum iterum est inter curata, et simplicia; nam ut duo, vel plura *curata beneficia* unus simul obtineat in diversis ecclesiis, nulla valet consuetudo inducere, ut docet Abb. *in repet. c. extirpandae* 30. §. *qui vere n.* 36. *hoc tit.* Rebuff. *prax. tit. de di-*

spens. de non resid. n. 66. Leur. *c.* 2. *tit. q.* 121. Pirh. *hic n.* 141. quia talis consuetudo nimis esset ecclesiis, et animabus damnosa, et hinc *c. de multa* 28. *h. tit.* reprobatur, et *praesumptio, ac cupiditas* appellatur. *Excipitur*, ubi per consuetudinem immemorialem inductum est, ut in beneficiis curatis non requiratur residentia personalis, sed administrari illa per vicarium idoneum possint; nam eo casu duo beneficia curata simul obtineri, et retineri poterunt, ut docent Navarr. *cons.* 21. *de cler. non resid. n.* 4. junct *cons.* 24. *hoc tit.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 11. Leur. *q.* 121. *cit.* Pirh. *l. cit.* et constat ex praxi Germaniae, ubi ex recepta passim consuetudine parochiae solent conferri praepositis, decanis, et canonicis cathedralium ecclesiarum, constituto in iis vicario perpetuo, et assignata ipsi competente sustentatione. Monet tamen *loc cit.* Layman, ne passim, et sine justa causa hoc fiat; hoc enim repugnaret juri divino, contra quod consuetudo praevalere non potest.

101

De beneficiis simplicibus minor est difficultas; nam, ut Navarr. *cons.* 24. *cit. n.* 1. *not.* 4. testatur, ubique est consuetudo, ut quis plura beneficia simplicia obtinere possit. Neque obstat, etsi illa residentiam personalem exigant; nam per consuetudinem tolli potest obligatio residendi. Et verum est hoc probabiliter, etiamsi unum beneficium sufficeret ad honestam sustentationem clerici, ut contra Fagnan. *in c. quia in tantum hoc tit. n.* 18. post Innoc. et Navarr. notat Garc. *cap.* 5. *cit. n.* 272. et probatur ex contrario fundamento; quia multitudo beneficiorum non habentium curam animarum non est prohibita lege naturali, et divina, sed tantum ecclesiastica, contra quam consuetudo praevalere potest. Sed hinc

102

Dub. 4. an quis absque dispensatione apostolica obtinere simul, et retinere possit etiam plura beneficia simplicia, quam duo? Resp. Olim dispensare poterat episcopus, ut quis plura, quam duo beneficia in diversis ecclesiis obtineret, si duo prius obtenta simul sumpta non praebebant honestam sustentationem, ut docet Abb. *in c.* 28. *h. tit. n.* 19. Nunc vero non potest amplius, ut notat Fagan. *in c. cum jam dudum h. tit. n.* 63. Barbos. *in* 28. *cit. n.* 24. Thomassin. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 8. et declaratum est a card. apud Joann. Gallemart *in not. ad trid. sess.* 24. *c.* 17. *de reform. n.* 3. ubi dicitur: *episcopus potest conferre secundum beneficium, si primum non sufficit ad sustentationem; sed si duo non sufficerent, non potest conferre tertium absque dispensatione apostolica. Excipitur*, nisi ubi hoc per rationabilem, et legitime praescriptam consuetudinem inductum est; nam talem consuetudinem, modo non nimis multa huju-

smodi beneficia coacerventur, non reprobat Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 273. aliique DD.

103

Majus dissidium inter eosdem est, an vi consuetudinis conferri eidem possint tria beneficia difformia sub eodem tecto, dispensatione apostolica non petita? Negant Franc. *in cap. consuetudinem* 1. *de consuet. in* 6. *n.* 7. Imol. *ibid. n.* 8. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 238. Marc. Ant. Genuens. *c.* 64. *n.* 4. *et* 5. Vall. *l.* 3 *tit.* 4. *n.* 4. Fagn. *in cap. litteras de concess. praeb. n.* 3. et alii ab his *cit.* desumunt hoc ex *c. consuetudinem cit.* ubi consuetudo obtinendi plura beneficia in eadem ecclesia, tanquam *ss. inimica canonibus, et corruptela* generatim rejicitur.

Contrarium tamen sentiunt Navarr. *cons.* 16. *hoc tit. n.* 3. Zesol. *prax. V. conformitas*, Laelius Zecchus *de republ. n.* 4. *de benef.* et non obscure approbat Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 7. *in fin.* juxta quos jus conferendi tertium beneficium in eadem ecclesia, sed difforme vi consuetudinis immemorialis episcopo potest competere, quando duo ante obtenta non sufficiunt ad sustentationem congruam. *Rationem* dat P. Viest. *hic n.* 204. quia potestas conferendi beneficium tertium, si duo ad sustentationem congruam non sufficiunt, potest episcopo competere per privilegium apostolicum, ut nemo facile inficias ibit: atqui isti consuetudo immemorialis aequivalet: ergo etc.

Neque obstat *c. consuetudinem cit.* quia hujus textus, consuetudinem tanquam corruptelam reprobans, solum loquitur de dignitatibus, personatibus, administrationibus, et officiis, non de beneficiis simplicibus, et ad sustentationem insufficientibus.

104

Dub. 5. ex qua causa ss. canones beneficiorum pluralitatem ita horreant? Resp. *c. quia in tantum* 5. *h. t.* plures afferuntur 1. enim ex ambitionis radice oritur. 2. Praebet ansam dissolutionis tum in vestibus, et aliis. 3. dat licentiam vagandi ab una ecclesia ad alias, etiam longe dissitas. 4. continet periculum animarum; quia peccatum est plura beneficia simul obtinere sine causa justa, et dispensatione legitima. 5. imminuit cultum divinum; quia singula suum officium habent, et ex prima sua institutione assiduitatem, sive residentiam, et servitium personale exigunt; *c. cum adeo* 17. *de rescr. c. cum ad haec* 13. *hic* non potest autem unus quis pluribus ecclesiis, sicut par est, simul servire. 6. denique multa alia incommoda invehit, quae recensentur *extrav. un. Jo. XXII. princ. h. t.* inter quae non minimum est, quod habentes plura beneficia ad vitae sustentationem non necessaria, vendicent, et approprient sibi stipendia plurium, et occu-

pent locum clericorum pauperum, qui alias in illis beneficiis instituerentur. Hinc recte s. Bernardus, relatus a s. Thom. *quodl.* 9. *art.* 15. dicebat, quod *qui non unus, sed plures est in beneficiis, non unus, sed plures futurus sit in suppliciis.*

105

Quaeritur 2. an, et quo jure per assecutionem beneficii secundi vacet prius incompatibile? Resp. Hic distingui debent quatuor tempora ante concilium trid. ut notat Abb. *in cap.* 3. *de cler. non res.* *n.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 13. *q.* 1. Garz. *de benef. p.* 11. *c.* 5. *a n.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 1. Vall. *l.* 3. *de ben. t.* 1. *n.* 7. Barb. *in c.* 7. *h. t. n.* 4. Gonz. *in c. de multa* 28. *eod. n.* 7. Pirh. *hic n.* 145.

Primum tempus est ante concilium Lateranense habitum sub Alexandro III. quo tempore siquis duas parochias, duas dignitates, vel alia beneficia incompatibilia simul obtinebat, non vacabat primum ipso jure per assecutionem secundi, nec qui utrumque retinere praesumeret, secundo privabatur ipso facto, sed dabatur ei optio, ut quod vellet, retineret, alterum dimitteret, prout constat ex *c. referente* 7 *et c. praeterea* 14. *h. t.*

106

Secundum est tempus ipsius concilii lateranensis sub Alexandro III. in quo sublata optione memorata, statutum fuit, ut is, qui secundo obtento, non dimittebat primum, isto privaretur, non quidem ipso jure, sed per sententiam judicis, prout refertur *c. quia nonnulli* 3. *de cleric. non resid.* et notat *ibid.* Abb. *n.* 4. *cit.*

Tertium tempus est concilii lateranensis sub Innoc. III. in quo prout refert *c. de multa* 28. *h. t.* constitutum fuit, ut quicunque post obtentum unum beneficium curatum, alterum curatum acceperit, beneficio curato prius obtento ipso jure privatus sit; sin autem illud retinere contenderit, etiam secundo privetur. Et additur de collatore, quod is eo casu prius beneficium curatum conferre possit, cui merito conferendum judicaverit, et si ultra sex menses illud conferre distulerit, non solum collatio ad alios devolvatur, sed etiam tantum de suis proventibus ecclesiae illi cujus est beneficium, dare teneatur, quantum a tempore vacationis ipsius perceptum fuerit.

107

Quartum tempus est extrav. Joan. XXII. quae incipit *execrabilis h. t.* in qua *vers. qui vero* statuitur denuo, quod is, qui beneficium curatum, dignitatem, vel personatum receperit, si ante simile aliud obtinebat, postquam secundum pacifice possiderit, vel possidere potuisset, si voluisset, prius obtento ipso jure privatus sit: et simul praecipitur, ut illud sine mora in manibus ordinariorum dimittat; alioquin ipso jure privandum etiam secundo, et non tantum ad

ss. ordines suscipiendos, sed etiam ad obtinendum quodcunque beneficium ecclesiasticum inhabilem fore: additur praeterea ipsa beneficia sic dimissa, quaecunque illa sint, reservari papae, et sedis apostolicae dispositioni, ita, ut siquis de illis quavis authoritate, vel quocunque modo disponere attentet, illud irritum sit.

108

Hoc postremum jus confirmavit etiam concilium tridentinum *ses.* 7. *c.* 4. *de ref* ut proinde defacto is, qui ejusmodi duas dignitates, personatus, aut beneficia curata retinere simul praesumeret, ipso jure etiam secundo excideret, non tantum primo.

Neque his adversatur, quod idem concilium *ses.* 24. *c.* 17. *de ref.* statuat, ut qui plures ecclesias parochiales, aut unam cathedratem, et alteram parochialem obtinet, una tantum retenta, alteram intra sex menses dimittere teneatur, quo dari videtur electio inter utramque, prout dabatur ante lateranense celebratum sub Alexandro III. ut dictum est *n.* 105. Nam dicendum, statutum hoc *c.* 17. *cit.* concernere solum eos, qui ejusmodi ecclesias *in praesenti*, hoc est, tempore ipsius concilii obtinuerunt; circa alios vero, qui ejusmodi postea sunt assecuti, procedere debet decretum *c.* 4. *allegati*, prout bene advertit Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 5. *n.* 77. Vall. *l.* 3. *t.* 1. *n.* 7. Pirh. *hic n.* 149. *vers. porro*, Vvies. *n.* 188.

109

Discrimen tamen est faciendum inter vacationem primi, et secundi beneficii; nam quamvis utrumque ipso jure vacet, secundum tamen ante sententiam declaratoriam dimittere non est necesse, sed quamvis ejus titulus sit amissus, possessio tamen retineri potest, donec quis, causa cognita, per sententiam privatus beneficio illo declaretur glos. *in c. licet* 28. *V. te non vocato h. t. in* 6. Hes. *l. 2. de just. c.* 34. *n.* 143. Vvies. *n.* 190. *Ratio est*, quia vacatio primi beneficii introducta est ob incompossibilitatem, secundi autem in poenam retentionis indebitae; poena autem ante sententiam declaratoriam, etsi jure lata, non incurritur.

110

Dub. 1. quaenam beneficia vacent ipso jure per adeptionem alterius? Resp. 1. per adeptionem episcopatus, si is, qui ad eum promotus est, confirmatus sit, et bonorum administrationem pacificam, ac consecrationem acceperit, ipso jure vacant omnia beneficia prius obtenta, etiam simplicia, imo et pensiones, ut dictum *lib.* 1. *t.* 6. *n.* 83. *vers.* 4. *postquam.*

111

2. Per assecutionem secundi beneficii, etiam simplicis, vacat ipso jure prius obtentum in eadem ecclesia uniforme, ut docet Abb.

in c. litteras 9. *de conces. praeb. n.* 4. Vall. *l.* 3. *de benef. t.* 3. *n.* 4. Vvies. *hic n.* 191. et patet ex Trid. *ses.* 7. *c.* 4. *de ref.* ubi id, quod ab Innoc. III. in concilio lateranensi relato *cap. de multa, et extrav. cit.* statutum est, ad omnia beneficia de jure incompatibilia porrigit.

3. Per assecutionem alterius beneficii curati, ipso jure vacat curatum prius obtentum, prout sumitur ex text. *cit.* item ex *c. licet* 28. *h. t. in* 6. *clem.* 3. *et extrav. execrabilis* §. *qui vero t. eod.* Intelligitur autem hic nomine beneficii curati non solum id, quod curam animarum in foro interno annexam habet, sed etiam, quod in externo tantum, ut est archidiaconatus, decanatus cathedralis etc. ut notat Abbas *in c. de multa cit. n.* 24.

4. Idem dicendum casu, quo quis consequitur beneficium curatum cum dignitate, personatu, vel officio sine cura, vel duas dignitates, personatus, aut officia sine cura; nam per adeptionem secundi vacat ipso jure primo obtentum; *cap. de multa, et extrav. execrabilis cit.*

112

Contra 1. per adeptionem abbatiae, vel alterius beneficii non vacat episcopatus, sed potius collatio alterius beneficii, vel dignitatis episcopo facta non tenet, ut notat Abb. *in c. cum nostris* 6. *de conces. praeb. n.* 4. Gar. *p.* 11. *de benef. c.* 5. *n.* 43. *et seq.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 3. *vers. quarto* Pirh. *hic n.* 164. Vvies. *n.* 189. Ratio est, quia praeterquam quod episcopatus propria authoritate sine speciali licentia papae non possit deferri, *cap. inter corporalia* 2. *de transl. episc.* episcopatus in materia odiosa ob specialem praerogativam, et excellentiam nomine generali dignitatum, et personatuum non comprehenditur; *c. de multa* 28. *h. t.*

2. Non vacat ipso jure canonicatus, vel episcopatus, si quis ex canonico, vel episcopo fit cardinalis; nam retinere canonicatum, vel episcopatum simul cum cardinalatu potest; Laym. *in c.* 53. *de elect. n.* 1. Pirh. *hic n:* 164. imo ut Pirh. *l. cit.* notat, si beneficium aliquod residentiam personalem non exigat, conferri hoc illi post assumptionem ipsius ad cardinalatum potest. Secus, si exigit; tunc enim opus est dispensatione papae, ut una cum cardinalatu retineri possit.

113

3. Nec cetera beneficia per adeptionem episcopatus, nec episcopatus ipso jure vacat per adeptionem alterius beneficii alias compatibilis, si episcopatus ille solum sit titularis, in terris infidelium situs, quales conferri solent episcoporum aliorum suffraganeis, nam hi prius obtenta cum tali episcopatu retinere, et alia de novo consequi possunt; Navar. *cons.* 14. *de elec. edit.* 1. Azor *p.* 2. *l.* 16. *q.* 12. Garc. *p.* 11. *c.* 6. *n.* 24. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 4. *vers. excipe*

primo, et novissime illustrissimus D. praepositus Frisingensis *to.* 1. *cons.* 12. *n.* 1. *et seq.*

4. Si duae ecclesiae parochiales, vel duae dignitates alicui collatae sint eodem tempore, ita ut constare non possit, cujus possessionem prius acquisiverit, neutra vacat ipso jure, sed probabile est, his provisum dimittere posse ex duobus beneficiis, quod maluerit; Imol. *in c. quia nonnulli* 3. *n.* 12. *de cler. non resid.* Alex. de Nevo *ib. q. ult. n.* 22. Fag. *in c. referente* 7. *h. t. n.* 9. Pirh. *hic n.* 146. *Ratio est*, quia *c. de multa cit.* solum loquitur de casu, quo unum beneficium obtinetur post alterum, cons. casus, quo duo obtinentur eodem tempore, linquitur sub dispositione juris antiqui, isto autem per *c. referente cit.* dabatur optio dimittendi, quod beneficiarius ipse maluerit: ergo etc.

114

5. Si secundum beneficium sit simplex, et cum prius obtento ratione residentiae secundum loci consuetudinem compatibile, per ejus adeptionem non vacat ipso jure obtentum prius; Abb. *in c. fin. de cleric. non resid. n.* 4. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 13. *q.* 4. Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 15. *n.* 26. Barbos. *alleg.* 62. *n.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 11. Pirh. *hic n.* 169. Ratio est, quia talis utrique beneficio deservire potest. Proceditque hoc, etsi utrumque ad congruam sustentationem sufficiat; nam etsi talis primo privari debeat ab ordinario, privationem illius tamen per consecutionem alterius ipso jure non incurrit, ut docet Gonz. *gloss.* 15. *cit. n.* 26. et confirmat decisione rotae, ac praxi recepta. Gravior controversia, et

115

Dub. 2. est, an beneficium simplex per adeptionem alterius simplicis ipso jure vacet, si hoc cum illo ratione personalis residentiae sit incompatibile? Negant ipso jure vacare primum Sayr. *flor. decis.* 38. *de praebend.* Flores de Mena *q.* 13. *a n.* 5. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 144. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 3. *vers. circa poenalem*, Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 20. *cap.* 4. *n.* 8. Zoes. *hic n.* 58. *vers. quantum ad incompatibilia*, Pirh. *n.* 146. *et* 170. *Rationem dant*, quia non est recedendum a jure antiquo, nisi quatenus illi per jus novum reperitur specialiter derogatum *l. praecipimus* 32. *fin. C. de appell.* atqui, spectato jure antiquo, is, qui accepit plura beneficia ob personalem residentiam, vel aliam causam incompatibilia, neutrum ipso jure amisit, sed alterum, quod maluerit, dimittere debuit, ut constat ex *c. referente* 7. *et c. praeterea* 14. *hoc tit.* neque hoc jus correctum reperitur, nisi quoad beneficia curata, dignitates, et personatus *c. de multa* 28. *hoc tit. et extrav. un. Joan. XXII. eod.* ergo quoad beneficia simplicia, etiamsi ratione

residentiae incompatibilia sint, adhuc dispositio juris antiqui tenet, et cons. non vacat primum obtento altero simili, sed si utrumque ad honestam sustentationem seorsim sufficiat, alterutri renuntiare tenebitur is, qui illa obtinuit.

116

Sed melius primum simplex vacare ipso jure per adeptionem alterius simplicis ratione residentiae incompatibilis defendunt Abb. *in c. fin. de cleric. non resid. n.* 5. Hojeda *de incompat. benef. p.* 1. *c.* 9. *n.* 5. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 13. *q.* 2. Riccius *prax. decis.* 393. *edit.* 1. *alias resol.* 332. *n.* 12. *edit.* 2. Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 5. *a n.* 83. Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 25. *a n.* 16. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 3. dicens id pro certo tenendum, Fagn. *in cap. de multa cit. n.* 3. asserens, ita hodie tenendum indubitanter, Vall. *l.* 3. *tit.* 3. *n.* 4. Barb. *in c.* 28. *hoc tit. n.* 7. *et l.* 3. *jur. eccl. c.* 13. *n.* 173. Leuren. *p.* 3. *for. eccl. f.* 1. *c.* 2. *q.* 110. *n.* 2. *et q.* 123. *n.* 2. Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 156. *n.* 10. Thomassin. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 8. Vviest. *hic n.* 193. Sumitur ex Trid. *sess.* 7. *c.* 4. *de reform.* ubi constitutio *cap. de multa* 28 *cit.* extenditur etiam ad alia quaecunque incompatibilia beneficia ecclesiastica, et statuitur, ut *quicunque de cetero plura curata, aut alia incompatibilia beneficia ecclesiastica, quocunque modo, et titulo, contra ss. canones, et praesertim contra hujus constitutionis* (nempe *c. de multa*) *dispositionem recipere, ac simul retinere praesumpserit, beneficiis ipsis ipso jure privatus existat.*

117

Respondent quidem adversarii, hoc textu sub nomine beneficiorum incompatibilium, per quorum receptionem concilium prius habita vacare decernit, intelligi posse dignitates, et personatus non curatos, vel beneficia uniformia sub eodem tecto, ut ita evitetur correctio juris antiqui, et ultra illud non fiat extensio. Sed contrarium pluries declaratum est a card. ut videre est apud Garc. *c.* 5. *cit. n.* 84. Ex pluribus ibi allatis unam adduco ordine sextam, quae sic habet: *congregatio censuit, in residentiam requirentibus, aut alias quomodocunque incompatibilibus, etiamsi canonicatus sint, vel portiones, induci vacationem primi ipso jure per adeptionem secundi pacifice possessi per decretum concilii Trid. sess.* 7. *c.* 4. *juxta dispositionem c. p. de multa de praebend.*

118

Ex quo patet responsio ad argumentum contrarium; dicendum enim, per textum Trid. *cit.* dispositionem *c. de multa* extendi etiam ad beneficia simplicia ratione residentiae incompatibilia, ut sensus proin sit: beneficia quaecunque incompatibilia per assecutionem se-

cundi vacent ipso jure, prout vacare per constitutionem *c. de mul. ta* declaratum est beneficia curata, cujus dispositionem ipsum concilium voluit extendi vigore praesentis canonis ad quaecunque incompatibilia.

119

Dub. 3. an casu, quo quis post duo, vel tria beneficia incompatibilia dispensative obtenta, postmodum aliud incompatibile sine legitima super hoc impetrata dispensatione acceptat, ex prius obtentis vacent omnia, an unum tantum, an nullum? Videtur vacare nullum; quia collatio tertii beneficii absque dispensatione non valet, prout sumitur ex *c. ordinarii* 3. *vers. in conferendis de offic. ord. in* 6. et ex Trid. *sess.* 24. *c.* 17. *de reform.* quod dum tribuit ordinariis facultatem conferendi ad summum duo beneficia, cons. prohibet collationem tertii, et tacite illam irritat: atqui, ut habet *reg.* 32. *in* 6. non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum: ergo etc.

120

Sed retinenda est sententia gloss. *in clem. si plures* 3. *V. adepta h. tit.* Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 5. *n.* 169. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 13. *q.* 10. Vall. *l.* 3. *tit.* 2. *n.* 14. Pirh. *hic n.* 172. Vviest. *n.* 194. et dicendum, vacare omnia prius obtenta, quamprimum ultimum pacifice obtentum fuerit, aut si per beneficiarium steterit, quo minus possessionem pacificam illius obtineret. Patet ex *clem. si plures cit.* quae etsi expresse tantum loquatur de dignitatibus, et beneficiis curatis, propter identitatem tamen rationis etiam ad beneficia alia incompatibilia extendi debet, ut de personalibus notat gloss. *ibid. V. dignitates.*

121

Ad rationem dubitandi dico in nostro casu specialiter constitutum esse, ut priora beneficia post ultimi sine dispensatione invalide obtenti possessionem ipso jure vacent, ne sit melioris conditionis, qui acceptat collationem tertii illicitam, quam qui licitam. Neque hoc novum est in jure; nam etiam obtentio beneficii per injustam intrusionem invalida est, et tamen *c. eum qui* 18. *h. tit. in* 6. statuitur, ut siquis post obtentum unum beneficium curatum per vim, aut injustam intrusionem obtineat aliud curatum, prius obtentum ipso jure vacet: quod ipsum ad dignitates, et beneficia non curata extendunt gloss. *ibid. in notat.* Franc. *n.* 2. Azor. *c.* 13. *cit. q.* 1. Garc. *cap.* 5. *cit. n.* 24. Mandos. *ad reg.* 1. *cancell. q.* 14. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 13. *n.* 172. Leuren. *p.* 3. *s.* 1. *c.* 2. *q.* 127. *n.* 2.

122

Dub. 4. quid requiratur, ut prius beneficium per adeptionem alterius incompatibilis vacet ipso jure? Resp. 1. requiritur, ut secundum beneficium non tantum sit collatum, et acceptatum, sed etiam pacifice possessum, vel saltem ut penes beneficiarium steterit, quo minus pacifice illud possederit. Ita gloss. *in cap. commissa* 35. *V. pacificam elect. in* 6. Abb. *in cap. de multa* 28. *hoc tit. n.* 16. Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 5. *n.* 123. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 16. *q.* 9. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 3. *vers. secundo advertendum*, Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. 2. 20. Barb. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 13. *n.* 173. Van-Espen *J. E. U. p.* 3. *tit.* 20. *c.* 4. *n* 9. *et* 10. Clericat. *de benef. discord.* 30. *n.* 1. *et seqq. et discord.* 45. *n.* 55. Fagn. *in c. de multa cit. a n.* 9. Vvagn. *ib. vers. quicunque recoperit*, Passerin. *in cap.* 26. *eod. in* 6. *n.* 13. Zoes. *hic n.* 58. *vers. dicta*, Pirh. *n.* 155. Vviest. *n.* 195. et novissime illust. d. praepositus Frisingensis *tom.* 1. *cons.* 12. *n.* 1. *et seqq.*

123

Dixi *pacifice*; nam si ultimo obtentum litigiosum sit, privationem beneficii prius obtenti non inducit, ut notant DD. *cit.* cujus ratio est, quia alioquin talis beneficiarius bis puniretur, sc. amissione prioris beneficii, et periculo etiam amittendi posterius propter litis, et possessionis ambiguae ancipitem aleam. Addidi, *si ultimo obtentum litigiosum sit*; nam si primum litigiosum sit, illud vacabit per possessionem secundi pacifice possessi, cum tali casu jam cesset ratio supra allata, ut cum *cit.* advertit Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 141. Addit tamen idem Lessius, quod siquis obtento titulo unius beneficii absque possessione accipiat secundum litigiosum, et postea antequam incipiat esse pacificus possessor secundi, obtineat pacificam possessionem primi, non ideo amittat secundum litigiosum; quia id jure statutum non est. *Neque obstat*, quod per pacificam possessionem secundi, ut paulo antea dictum est, vacet primum, et sic videatur esse eadem ratio; nam jura poenalia restringenda, non amplianda sunt etiam ex rationis identitate ultra verborum proprietatem: qualis extensio fieret, si hoc casu adepta pacifica possessione primi, vacaret secundum litigiosum; nam jura solum statuunt vacare primum per adeptionem pacificam secundi.

124

Porro non censetur pacificam possessionem adeptus is, qui statim et in continenti, seu in limine legitimae possessionis turbatus fuit, vel lis eidem mota; gloss. *in V. pacificam cit.* Abb. *in c. de multa n.* 16. Garc. *n.* 110. Et sufficiunt etiam molestiae extrajudi-

ciales, et de facto, ut cum aliis notat Barb. *c.* 13. *cit. n.* 174. Censetur autem possessionis turbatio in continenti fieri, si intra annum fiat, vel melius secundum alios intra duos menses lis superveniat; Pirh. *n.* 155. *cit.*

125

2. Requiritur, ut quis habeat pacificam possessionem non tantum quoad titulum, et exercitium curae, vel officii annexi beneficio, sed etiam bonorum, et fructuum beneficii, vel majoris partis illorum; si enim fructus posterioris beneficii aut nullos, aut saltem secundum majorem partem non percipiat, quia ex privilegio, statuto, vel ex alia causa fructus illi ad tempus reservantur alteri, non vacat interim prius beneficium, ut *loc. cit.*, advertunt Abb. *n.* 16. Garc. *n.* 123. Azor. *q.* 9. *vers. quaerat*, Less. *n.* 141. Laym. *vers. secundo*, Pal. *n.* 22. Barbos. *n.* 74. Passerin. *n.* 1. *et seq.* Zoes. *vers. dicta*. Pirh. *n.* 156. Vviest. *n.* 195. et alii communiter. Constat ex *c. si tibi absenti* 26. *hoc tit. in* 6. Ratio est, quia talis non censetur plene, et perfecte obtinere alterum beneficium, igitur cum in jure aequitas maxime spectanda sit, *l. in omnibus* 90. *ff. de R. J.* eaque juri stricto praeferenda, *l. placuit* 8. *C. de judic.* merito casus iste sub dispositione juris generalis, et communis non continetur.

126

Dixi, *non vacare interim beneficium*; nam si postea beneficiarius alterius beneficii fructus percipere incipiat, prius obtentum debebit dimittere; quia hujus vacatio tantum suspensa est usque ad perceptionem fructuum secundi; Joan. Andr. *in c. si tibi cit. n.* 3. Ancharan. *ibid. not.* 3. Franc. *n.* 2. Pirh. *n.* 157. Addidi, *Si fructus reservantur alteri*: aliud foret, si aliqui fructus, e. g. primi anni reservarentur ipsi beneficiato post mortem applicandi; cum enim hoc non impediat, quo minus fructus sint ipsius beneficiati, etiam non impediet beneficii prius obtenti vacationem, ut notant Garc. *n.* 137. Pal. *n.* 23. Vviest. *n.* 197.

127

3. Requiritur, ut utrumque beneficium sit collatum in perpetuum, seu titulum, seu commendam, ut tradit Abb. *in c. de multa* 28. *hoc tit. n.* 22. *concl.* 3. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 4. *vers. quarto advertendum*, Barbos. *in c. de multa cit. n.* 5. Pirh. *hic n.* 158. Vviest. *n.* 196. Ex quo sequitur, per acceptationem vicariatus episcopi non per dignitatem, vel beneficium curatum prius obtentum; quia vicariatus episcopi non est dignitas perpetua, cum vicarius ad nutum episcopi amoveri possit: et idem dicendum de aquecunque vicaria, vel commenda temporali, ut recte DD. *cit.*

128

Dub. 5. quibus casibus per adeptionem pacificam beneficii secundi non vacet incompossibile prius obtentum? Resp. Plures hujusmodi casus enumerat Abb. *in c. de multa* 28. *h. tit. a n.* 13. Zecchus *de rep. eccl. c. de benef. n.* 4. §. *in primo capite*, Garc. *p.* 11. *cap.* 5. *a n.* 100. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 3. *vers. secundo advertendum*, Vall. *l.* 3. *de benef. tit.* 8. Pirh. *hic n.* 159.

Et 1. quidem, si papa dispensaverit, ut utrumque simul retineri possit. Proceditque hoc, etsi non fuerit sufficiens causa dispensandi, vel ipsa dispensatio subreptitie obtenta sit; nam etsi eo casu ex tali dispensatione non acquiratur jus ad beneficium secundum, facit tamen dispensatio, ne impetrans ipso jure privetur primo; Garc. *c.* 5. *cit. n.* 22. Gomez. *in reg. de annali q.* 14. et hoc teste saepe est approbatum a rota. *Ratio est*, quia collatio secundi beneficii ita subreptitie impetrati est nulla, ideoque inducere effectum privationis non potest. Interim tamen in poenam criminis ita impetrans dispensationem per sententiam judicis privari potest.

129

2. Siquis subito iracundiae calore motus, recipit secundum beneficium incompatibile, et in eo se institui petit, sed mox poenitentia ductus ei renuntiat; nam tali casu non vacat primum; *arg. can. divortium* 21. *dist.* 1. *de poenit.* ubi ex *l. divortium* 3. *ff. de divort.* dicitur: *quidquid in calore iracundiae vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuerit judicium animi fuisse.* Imo ut *l. c. n.* 16. generaliter advertit Abbas, possessio valde brevis secundi beneficii nunquam sufficit, ut vacet primum.

3. Si is, qui alterum beneficium incompatibile obtinuit, in primo beneficio expensas fecit ex bonis suis patrimonialibus; tunc enim cogi non potest, ut primum dimittat, nisi ipsi prius expensae restituantur; *arg. can. quicunque* 2. *caus.* 12. *q.* 3. imo, ut notat Abb. *l. cit. n.* 14. tali casu etiam haeres ipsius ab intestato hujusmodi expensas potest repetere, nisi ex conjecturis appareat, quod eas beneficiarius fecerit in favorem ecclesiae sine animo repetendi.

130

Si episcopus primi beneficii nolit ratam habere collationem secundi, sed clericum suum repetat; nam beneficiatus beneficio suo renuntiare non potest, etiam indirecte, recipiendo aliud beneficium, sine consensu superioris, seu praelati sui, qui non tenetur renuntiationem habere ratam juxta *c. admonet* 3. *de renunt.*

5. Si unum beneficium sit alteri accessorium, v. g. archidiaconatus, cui accessorie unita est ecclesia parochialis; *c. super eo* 6. *hoc tit. in* 6. quia talis non censetur habere duo beneficia, cum id,

quod alteri accessorium est, per unionem cum illo sit suppressum, et extinctum; Vallens *l cit. n.* 4.

6. Si unum detur in titulum, et alterum in commendam temporalem; *c. nemo de elect. in* 6. Vall. *n.* 5.

131

Dub. 6. quando vacare incipiat beneficium primum per assecutionem alterius incompatibilis? Resp. Vacare incipit eodem instanti, quo illud habens adeptus est pacificam possessionem secundi, quamvis dimittere illud reipsa non teneatur, nisi post duos menses numerandos a die possessionis ita captae. Ita Lotter. *l.* 3. *q.* 23. *n.* 20. Gare. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 114. *et* 116. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. **6**. *n.* 3. clerical. *de benef. discord.* 30. *n.* 10. *et discord.* 45. *n.* 56. card. de Luca *de benef. disc.* 54. *n.* 6. *et* 7.

Pars prima colligitur ex *c. licet* 28. *hoc tit. in* 6. ubi disponitur, quod statim a die habitae possessionis pacificae secundi beneficii incompatibilis possit alteri conferri primum beneficium. Sed collatio primi beneficii non posset fieri alteri, nisi prius vacasset; *c. qui in virorum* 1. *et c. seq de concess. praebend.* ergo etc. *conf.* ex *declar. Gregorii XIII.* relata apud Fagn. *in c. non sine n.* 36. *de arbitr.* per quam, cum dubitaretur, an beneficium primum vacans per assecutionem secundi incompatibilis esset reservatum, vel non, sanctitas sua decrevit, quod si possessio secundi collati ab ordinario capta sit in mense reservato, primum sit reservatum sedi apostolicae, et a solo papa conferendum; secus autem, si dicta possessio secundi beneficii capta fuerit in mense ordinarii. Neque ad vacationem inducendam opus est sententia declaratoria, sed absque hac conferri sic vacans alteri potest juxta expressos textus, *c. licet cit.* §. *is cui*, *et notat.* clerical. *de benef. discord.* 80. *n.* 10.

132

Pars secunda originem suam debet aequitati canonicae, qua beneficiario, postquam secundum beneficium incompatibile acquisivit, permissum est, ut primum per duos menses, et defacto retineat, ne si forte insurgant molestiae super secundo, ipse remaneat privatus utroque. Unde molestiis non supervenientibus, rata est vacatio usque ab initio captae possessionis. Et hanc ob causam dataria solet conferre idem primum beneficium ante lapsum duorum mensium; card. de Luca *disc.* 54. *cit. n.* 9. clericat. *n.* 12. Et in hoc sensu intelligendi sunt DD. dum dicunt primum beneficium non vacare intra duos menses a die captae possessionis secundi; nam hi loquuntur de vacatione corporali possessionis primi beneficii, quae consistit in facto, non autem de vacatione beneficii quoad titulum, quippe quae sequitur ipso jure post pacificam possessionem secundi

obtentam. Neque novum est in jure, ut vacet beneficium, non autem ejus possessio; est enim quid facti, a quo non pendet beneficii titulus, per quem jus in re acquiritur, etiamsi non habeatur possessio.

133

Dub. 7. quod sit officium episcopi, vel collatoris in casu vacantis hoc modo beneficii? Resp. Hic post obtentam possessionem pacificam secundi beneficii, primum vacans conferre intra sex menses alteri idonea personae potest, ac debet, etiam irrequisito possessore, prout constat ex *c. licet* 28. *hoc tit in* 6. et colligitur ex *c. de multa saepius cit.* ibi, *libere conferat*, i. e. illo non monito, vel vocato, ut explicat Joan. Andr. *ibid. n.* 10 *V. libere*, Imol. *n.* 6. Abb. *n.* 3. Pirh. *n.* 151. *Ratio est*, quia regulariter is, qui habet jus, seu potestatem rem alteri conferendi, vel in alium transferendi, potest hoc jure suo uti, non obstante alterius possessione, seu detentione, juxta *reg.* 26. *ff.* ubi Ulpianus, *qui potest*, inquit, *invitis alienare*, *multo magis et ignorantibus*, *et absentibus potest.*

134

Dixi, *intra sex menses*: qui numerari debent non a tempore receptionis secundi beneficii, sed notitiae vacationis; *c. quia* 5. *de concess. praebend.* Procedituque hoc etiam in aliis casibus, quibus ecclesia, vel beneficium ipso jure vacat. Innoc. *in c. de mulcta cit. vers. quantum ad hoc.* Quodsi episcopus, ad quem spectat collatio, intra sex menses non conferat, jus conferendi devolvitur ad primum superiorem, et ipse tenetur tantundem ex suis proventibus assignare illi ecclesiae, cujus beneficium conferre distulit, quantum ex fructibus illius, durante vacatione constiterit esse perceptum, *c. de mulcta cit.* vel si proprios proventus non habeat, aliter punietur ad arbitrium judicis; gloss. *in c. de multa cit. V. proventibus*, Joan. Andr. *ibid. n.* 12. *vers. additur*, Pirh. *hic n.* 151.

135

Addidi, *conferre potest, et debet*; in possessionem autem corporalem beneficii collati eum, qui contulit, tali casu non debet inducere, nisi prius vocato possessore, sive eo, qui prius beneficium per adeptionem secundi amisisse censetur, prout statuitur *c. licet cit.* et ratio *ibidem additur*, *quia forsan ipsi jus potest competere retinendi. Excipitur* 1. nisi certum, et indubitatum sit possessorem, seu detentorem primi beneficii nullum habere jus retinendi illud; tunc enim absque illius citatione, vel causae cognitione novus provisus, cui beneficium illud collatum est, mitti in possessionem illius debet *arg. c. cit.* ubi dicitur ideo possessorem esse vocandum, quia forsan ipsi jus retinendi potest competere: ergo si ei nullum jus competat,

non debet vocari, neque opus est causae cognitione. *Excipitur* 2. nisi collationem beneficii alteri factam praecesserit monitio, seu citatio possessoris, et causae cognitio; tunc enim potest provisus mitti in possessionem, non citato ulterius possessore. Jo. Monac. *in c. licet cit. n.* 1. Laym. *n.* 1. Pirh. *n.* 161.

136

Porro cognitio ista debet fieri summarie, et de plano sine figura, ac strepitu judicii, juxta *Clem.* 2. *de jud.* Et sufficit, si is, cui facta est collatio, probet eam factam esse, nec requiritur, ut eam probet esse canonicam; quia praesumitur esse canonica, et legitima. Neque etiam admittitur contra eam quaelibet exceptio impediens collationis effectum, seu immissionem in possessionem beneficii, ut notat Lapus *in c. licet cit. n.* 4. Anch. *ib. not.* 7. Pirh. *n.* 161. *cit. Ratio est*, quia cum etiam appellatio interposita a collatione beneficii non suspendat, nec impediat ejus effectum, multo minus id poterit exceptio opposita. *Excipitur* 1. si opponatur crimen junctum cum infamia. 2. Si opponatur exceptio subreptionis, vel alia, per quam negatur petentem possessionem habere canonicum titulum in beneficio. 3. Si sit manifesta, vel in continenti probari possit.

137

Quaeritur 3. de dispensatione in pluralitate beneficiorum. Et 1. quidem dubitatur, quibus casibus liceat plura beneficia obtinere simul absque dispensatione? Resp. quatuor casus refert Vall. *l.* 3. *de benef. tit.* 8. 1. Quando primum ad honestam sustentationem non est sufficiens; nam tunc obtineri potest secundum non requirens residentiam, ut patet ex trid. *ses.* 24. *c.* 17. *de ref.*

2. Si ecclesia cathedralis, aut parochialis, vel dignitas sit valde pauper, aut debitis gravata; tunc enim eam obtinenti beneficium saltem simplex, et compatibile conferri potest: imo, ut recte infert Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 4. *ver. excipe secundo*, prius obtentum ei relinqui; quia cui licet, quod plus est, licet etiam minus: plus autem videtur esse posse post obtentum episcopatum, vel parochialem ecclesiam beneficium de novo consequi, quam retinere ante obtentum: ergo etc. Aliud dicendum de curatis, et incompatibilibus; nam haec aliud simile obtinenti, licet illud tenue, et ad sustentationem insufficiens sit, jam post decretum trid. *ses.* 24. *c.* 17. *de ref.* conferri non amplius possunt, nisi forte in casu, quo duae parochiae sibi ita vicinae sint, ut unus utrique satisfacere possit, nec facile inveniri possent, qui uni soli deservire vellent. Val. *t.* 8. *cit. n.* 3.

3. Quando unum est accessorie annexum alteri. Et 4. quando unum datum est in titulum, alterum in commendam temporalem, ut dictum est supra *n.* 130.

138

Dub. 2. quae sint causae justae dispensandi in pluralitate beneficiorum? Resp. tres enumerantur, ut videre est apud Abb. *in c. de multa* 28. *h. t. n.* 7. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 2. Lay. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 2. Val. *l.* 3. *de ben. t.* 9. *n.* 2. Leur. *p.* 3. *for. ben. s.* 1. *c.* 2. *q.* 122. Pirh. *hic n.* 191. Konig *n.* 18. et sumitur ex *can. tali* 17. *caus.* 1. *q.* 7.

Prima est *ecclesiae*, *necessitas*, ob quam quandoque uni plura beneficia supra necessariam vitae sustentationem conferri possunt, si desint idonei ministri; v. g. in locis, in quibus haeretici se beneficiis intrudere conantur. Quo reducitur, si beneficium prius obtentum ad sustentationem congruam non sufficiat; nam eo casu alterum conferri ab episcopo potest etiam nulla dispensatione mediante, ut dictum est *n. praec.* tertium, et quartum vero saltem a summo pont.

139

Secunda *utilitas ecclesiae*, si quis solus putetur magis profuturus ecclesiae, etiam absens, sua authoritate, potentia, prudentia, doctrina, quam alius praesens, vel alii plures. Sic Gregorius m. ut patet ex *l.* 2. *episc. c.* 32. quemdam, Agnellum nomine, ob certam ecclesiae necessitatem duos episcopatus habere voluit. Sic defacto in germania filiis principum interdum conferuntur plures ecclesiae cathedrales, etiam ante aetatem, ut ecclesiae adversus haereticos facilius defendantur.

140

Tertia *praerogativa meritorum*: ob hanc causam *c. de multa* 28. *h. t.* dicitur, circa sublimes, et litteratas personas, cum ratio postulaverit per sedem apostolicam dispensari posse: et *extrav. execrabilis Jo.* XXII. *eod.* cum pontifex statuisset, ne quis acciperet plures dignitates, personatus, officia, et beneficia, quibus inest cura animarum, excipit s. r. e. cardinales, qui universali ecclesiae serviendo singularum commoditatibus se impendunt; ac regum filios qui propter sublimitatam, ac generis claritatem sunt potioris praerogativa gratiae attollendi.

141

Dub. 2. quam potestatem dispensandi in pluralitate beneficiorum habeat pontifex? Resp. habet amplissimam, ob generalem administrationem illorum, quae eidem jure divino competit. Adeoque dispensare potest non tantum ad duo, sed etiam ad plura beneficia; nec tantum ad inferiora, et simplicia, sed etiam ad curata, personatus, et dignitates; eisque perinde, sive illa sint sub diverso, sive sub eodem tecto, uniformia, seu difformia, prout colligitur ex *c. de multa* 28.

h. t. in fin. c. licet 2. *eod. in* 6. *in clem.* 1. *ut lit. pend.* estque praxi quotidiana receptum.

142

Difficultas est duplex 1. An valeat dispensatio circa pluralitatem beneficiorum a pont. facta, si facta sit sine justa causa. 2. An ita dispensatus retinere illa simul licite possit.

Ad 1. Less. *l.* 2. *de just. c.* 31. *n.* 152. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 2. Gonz. *in c.* 28. *cit. n.* 4. Leur. *p.* 3. *s.* 1. *c.* 2. *q.* 115. Van-Es. *J.E.U. p.* 3. *t.* 20. *c.* 5. *n.* 5. *et seq.* cum communiori DD. contra Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 7. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 26. et alios quosdam docet, ejusmodi dispensationem quidem esse illicitam, sed tamen validam, nisi obreptio aliqua intervenerit ex parte impetrantis.

Et quidem *quod licita sit*, patet, quia papa non est dominus beneficiorum, sed dispensator, qui non potest pro arbitrio dispensare bona ecclesiis relicta, sed tantum in utili atem earum. Quod *autem valida sit.* colligitur ex eo, quia his provisus ad nullum illorum jure naturae inhabilis est.

143

Ad 2. duplex est sententia. Less. et Lay. *l. cit.* putant ita provisum bona conscientia hujusmodi beneficia retinere non posse, sed obligari ad resignanda illa, quae secundum statum suum eidem non sunt necessaria, vel in quibus justa causa dispensandi non intervenit, absolvunt tamen illum a restitutione fructuum interim perceptorum, si obligationibus beneficiorum illorum saltem per vicarium satisfecit. Contra Sanc. *l.* 2. *cons. c.* 2. *dub.* 6. docet, eum quidem pec. casse procurando dispensationem, et beneficia hujusmodi recipiendo, retinere tamen illa licite posse, si per se, vel per substitutos ea bene administret, et consulat damnis inde pullulantibus : et rationem dat, quia accepit ab eo, qui poterat legitime conferre, et qui sciens, ac prudens illa contulit: quod confirmari potest ex eo, quia tali casu dispensando, et recipiendo plura beneficia solum peccatur contra justitiam distributivam, cujus violatio ad restitutionem non obligat.

144

Dub. 4. an, et in quibus beneficiis dispensare possit episcopus? Resp. distinguendo, an sint beneficia compatibilia, an vero incompatibilia. *Si primum*, duo, vel plura, ubi consuetudo legitime praescripta sic habet, ut dictum est *n.* 102. *et* 103. conferre episcopus etiam sine dispensatione potest, dummodo ita provisus iis indigeat ad honestam vitae sustentationem.

145

Si secundum, iterum distinguendum, quo jure sint incompatibilia; nam *si dioecesano tantum*, episcopus in pluralitate illorum di-

spensare potest. *Si vero communi*, non potest, praeterquam in causa magnae necessitatis, vel publicae, et evidentis utilitatis; tunc enim, si pontif. adiri nequeat, et periculum sit in mora, dispensare praelatus pontifice inferior ad pluralitatem beneficiorum incompatibilium poterit, quamvis, ut recte notant Les. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 150. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 9. Pirh. *hic n.* 185. Vviest. *n.* 211. rarissime ejusmodi casus accidat, ut non petita dispensatione pontificis, plura beneficia sit necesse conferre. Ita cum *cit.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 6. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 28. Barb. *in c.* 28. *h. t. n.* 18. *vers. per sedem*, *et n.* 22. Gonz. *ib. n.* 3. Leur. *p.* 3. *s.* 1. *c.* 2. *q.* 120. Van-Es. *c.* 5. *cit. n.* 11. Colligitur ex *c. de multa cit. ibi*, *cum ratio postulaverit*, *per sedem apostolicam poterit dispensari*: ubi glos. *V. per sedem* a sensu contrario infert, per alios in talibus non posse dispensari; quia quod de uno conceditur, de alio negatur, et quod de uno negatur, de alio conceditur. *Ratio est,* quia episcopus, et alii inferiores praelati non possunt dispensare contra jus pontificium.

146

Ex quo sequitur solum pontificem dispensare posse. 1. Ut quis obtineat plures dignitates, personatus, et beneficia curata. 2. Ut quis obtineat duo, vel plura beneficia uniformia sub eodem tecto. 3. Ut obtineat, et retineat duo, vel plura difformia sub eodem, vel alia quaecunque, etiam simplicia, sub diverso tecto, si primum ad sustentationem honestam fuit sufficiens. Quorum omnium ratio est, quia beneficia haec de jure communi sunt incompatibilia.

147

Dub. 5. quam potestatem dispensandi in pluralitate beneficiorum habeat legatus a latere, capitulum sede episcopali vacante, vicarius generalis episcopi, reges, et principes, quibus jus conferendi beneficia per speciale privilegium apostolicum competit ?

Resp. 1. *legatus a latere* dispensare potest quoad pluralitatem beneficiorum in provincia sibi demandata ex iisdem causis, et iisdem beneficiis, in quibus dispensare potest episcopus respectu ecclesiarum subjectarum jurisdictioni suae ; Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 9. Vivian. *de benef. l.* 3. *tit.* 9. *n.* 4. *et duob. seq.* Barb. *in c.* 28. *n.* 18. *vers. cum in hoc*, Pirh. *hic n.* 189.

2. *Capitulum*, *sede vacante*, non potest dispensare, ut unus plura simul obtineat beneficia; Azor. Pirh. *l. cit.* quia tantum habet jurisdictionem necessariam. Non est autem necessarium uni plura conferre, vacante sede ; sufficiet enim, si interea habenti unum commendet alterum, dum episcopus eligatur.

3. *Vicarius generalis* opus habet speciali commissione episcopi, ut in beneficiorum pluralitate dispensare, et uni plura conferre possit; Azor. Pirh. *loc cit.*

4. Quod multo magis procedit de regibus, et principibus; nam etsi ex concessione ecclesiae nonnunquam beneficia conferre possint, duo tamen, vel plura nequeunt sine speciali romani pontif. authoritate; Azor. *l. cit.*

148

Dub. 6. quid circa dispensationes in pluralitate beneficiorum notandum sit? Resp. 1. petens illam in supplicatione debet facere mentionem de beneficio prius obtento, etsi modicum illud sit; alias dispensatio non proderit, sed erit ipso jure nulla, prout statuitur *c. non potest* 21. *in princ. h. tit. in* 6. et notat Franc. *ibid. n.* 2. Barb. *n.* 1. Passerin. *n.* 2. *et seq.* Pirh. *n.* 193. et alii communiter. *Ratio est*, quia expressio talis qualitatis requiritur quasi forma legitimae postulationis, et reticentia illius dispensationem tanquam subreptitiam vitiat. *Procedit*que hoc, etsi constet, qualitate illa expressa, papam adhuc gratiam illam fuisse concessurum, ut cum aliis notat Covar. *l.* 1. *var. c.* 20. *n.* 5. *vers. verum.*

2. Si quis indultum apostolicum accepit ad obtinenda, et retinenda plura beneficia, uno ex his dimisso, non potest vi illius indulti recipere aliud, et retinere illud cum altero non dimisso; Barb. *n.* 1. *cit.* Passerin. *n.* 24. Pirh. *n.* 196. et habetur *c. non potest cit. vers. illud autem. Ratio est*, quia quamprimum talis duo beneficia obtinuit, jam gratia dispensationis impleta est, et ideo ad alia tertia, vel quarta vice vacatura extendi non debet.

3. Si alicui de beneficio provideatur, adjecta clausula, *non obstante, quod jam aliud benficium habeat,* non ideo dispensatum censeri debet ad retinendum unum cum altero; sed clausula illa hoc solum operatur, ut impetratio secundi beneficii non debeat censeri subreptitia, ut rursum decidit*ur c. non potest cit. vers. cum vero*, et notat Barb. *n.* 1. *cit.* Passer. *n.* 25. Schamb. *hic n.* 37.

149

Dub. 7. quousque extendi debeat dispensatio facta ad pluralitatem beneficiorum? Resp. Cum odiosae dispensationes sint, rescripta illarum sunt strictae interpretationis.

Extenduntur tamen ad ea, quae inseparabiliter accessoria, seu connexa sunt, ita, ut sine iis dispensatio effectum non sortiretur; gloss. *in c. quia in tantum* 5. *V. plures h. tit.* Abb. *ibid. n.* 4. Fagn. *n.* 20. *et seq.* Pirh. *hic n.* 198. Adeoque dispensatus, ut possit retinere duo beneficia, quae continuam residentiam persona-

lem, adeoque incompatibilem exigunt, etiam dispensatus censeri debet super ipsa residentia, ut in uno eorum residere sufficiat.

Dixi, *quae inseparabiliter sunt accessoria, seu connexa*; nam ad ea, quae sunt accessoria contingenter, seu quae separari possunt, non extenditur dispensatio; Rebuff. *prax. tit. de dispens. ad plur. benef. n.* 76.

§. V.

De beneficiorum unione, divisione, et dismembratione.

SUMMARIUM

150 *Definitio unionis.*
151 *Divisio in perpetuam, et temporalem.*
152 *Uniri possunt beneficia primo, ut coalescant in unum.*
153 154 155 *Secundo accessorie: ubi de hujus unionis effectu.*
156 *Aeque principaliter.*
157 158 159 *Effectus, et discrimen a modo priori.*
160 *Est odiosa.*
161 162 163 164 *Regulae, ex quibus colligi possit, qualis sit unio.*
165 166 167 168 169 *Beneficia, quae uniri possunt.*
170 171 *Facere hanc potest papa, et quomodo?*
172 173 174 *Episcopus, et qua ratione?*
175 176 *Capitulum sede vacante.*
177 178 *Legatus a latere.*
179 *Archiepiscopus in sua dioecesi.*
180 *Vicarius generalis, et praelati episcopo inferiores quando?*
181 182 183 184 *Requisita ad legitimam unionem.*
185 186 *Quae causae justae unionis?*
187 188 *Quorum requirendus consensus?*
189 *Quid circa horum consensum notandum?*
190 *An requiratur etiam consensus rectoris immediati, defensoris, plebis etc.*
191 *Jus, quod acquiritur per unionem quoad temporalia tantum.*
192 193 *Quoad spiritualia etiam jure, plenissimo.*
194 *Jure pleno tantum.*
195 196 197 *De institutione vicarii in ecclesia unita.*
198 *Quomodo probanda unio?*
199 *Quomodo dissolvenda?*
200 *Dissolutionis effectus.*
201 202 203 *Quid sit, et quomodo fieri debeat dismembratio beneficiorum?*
204 *Quid sit beneficii divisio?*
205 *Hujus causa justa.*
206 207 *Conditiones.*
208 *Solemnitas.*

150

Quaeritur 1. quid, et quotuplex sit beneficiorum *unio*? Resp. *Unio est duorum, vel plurium beneficiorum; aut ecclesiarum ab episcopo, vel alio legitimo superiore ecclesiastico facta annnexio.* Ita

Rebuff. *prax. tit. de union. benef. n.* 1. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 194. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 1. *n.* 1. et alii passim : *ecclesiarum* nomine comprehenduntur episcopatus , *beneficiorum* autem quaecunque alia beneficia, dignitates, personatus, et officia : et ratio diversae hujus nomenclationis est ; quia, ut supra *n.* 32. monui , episcopatus , et dignitates his majores regulariter non veniunt nomine beneficii, cum sint culmina beneficiorum, et dignitatum.

151

Unio ecclesiarum, et beneficiorum sic definita duplex dividitur. Una *perpetua*, cum duae ecclesiae, vel beneficia authoritate praelati ecclesiastici in perpetuum connectuntur ; altera *temporalis*, quae fit ad tempus v. g. ad vitam ejus , in cujus favorem fit, et eo mortuo exspirat; Corrad. *prax. benef. l.* 2. *c.* 13. *n.* 28. Leuren. *for. benef. p.* 3. *q.* 879. *n.* 1. Clericat. *de benef. discord.* 75. *n.* 4. *posterior* non est proprie dicta unio , sed potius dispensatio , seu reservatio, per quam reservatur beneficium illi , in cujus favorem fit unio , ut notat Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 17. *et l. cit.* docent Corrad. *n.* 39. Rebuff. *n.* 9. Laym. *n.* Pal. *n.* 7. Hinc in dubio non praesumitur facta unio temporalis, sed perpetua. Censetur autem haec posterior fieri. 1. quando exprimitur, ut duret perpetuo; *c. exposuisti* 3. *h. tit.* 2. quando dicitur *ad perpetuam rei memoriam , vel ad beneplacitum sedis apostolicae*; *c. si gratiose* 5. *de rescript. in* 6. 3. si fiat contemplatione ecclesiae, quae nunquam moritur; *c. si gratiose cit. et c. novit* 1. *ne sed. vac.*

152

Potestque haec ecclesiarum , et beneficiorum unio fieri tribus omnino modis , ut notat gloss. *in c. novit cit. V. uniendo*, Rebuff. *n.* 11. *et seq.* Azor. *c.* 28. *cit. q.* 2. Garc. *p.* 12. *de benef. c.* 2. *n.* 7. Sanch. 146. Pal. *n.* 3. Leur. *q.* 880. *n.* 1. Pirh. *n.* 201.

Et 1. quidem , si ex duobus beneficiis fiat unum , ex duabus parochiis una parochia , ex duobus episcopatibus unus episcopatus , ita , ut ambo in unum veluti corpus tertium , et distinctum coalescant. Hic unionis modus , ut Pirh. *n.* 201. *cit.* notat , non est in frequenti usu. *Effectus* illius est , ut privilegia , uni ecclesiae data , etiam alteri competant , et si contraria sint , meliora , et favorabiliora retineantur , reliqua cessent ; item si ecclesiae unitae sint cathedrales , vel collegiatae , per unionem hujusmodi fit , ut canonici , qui sunt in una ecclesia , sint etiam canonici in altera , et faciant unum corpus ; Azor. *q.* 2. *cit.* Garc. *n.* 10. *et* 11. Pal. §. 1. *cit. n.* 4. Leuren. *q.* 880. *cit. n.* 3. Vviest. *l.* 5. *decret. tit.* 31. *n.* 5. Jacob Emerix *decis.* 1204. *n.* 34.

153

Secundus modus est, quando una ecclesia, vel beneficium subjicitur alteri tanquam superiori, eidemque unitur velut accessorium principali. Hic uniendi modus usitatissimus est, et frequentissimus. *Effectus* illius decem enumerat clericat. *de benef. discord.* 75. *et seqq.* plures Leuren. *p.* 3. *cit. q.* 883. *Praecipuus est*, quod per eam beneficium sic unitum quasi extinguatur, quia assumit naturam, qualitates, et privilegia beneficii principalis, cui adhaeret; Rebuff. *n.* 12. Sanch. *n.* 146. Laym. *n.* 2. *vers. alter modus*, Pal. *n.* 4. Leur. *n.* 2. Clericat. *n.* 5. Pirh. *n.* 202. Vvies. *n.* 6. Jacob Emerix *decis.* 1296. *n.* 7. Ex quo proin

Sequitur 1. si exempta ecclesia uniatur alteri non exemptae, exemptam jus exemptionis amittere; et vicissim si non exempta uniatur exemptae, jus exemptionis acquirere: item si ecclesia saecularis accessorie uniatur regulari, saecularem fieri regularem, et vice versa; Azor. *q.* 2. *cit.* Pal. *n.* 7. Pirh. *n.* 202. Monacel. *p.* 3. *Append. decis.* 12. *n.* 3. *Ratio est*, quia hujus unionis ea natura est, ut titulum ecclesiae unitae tollat, eamque faciat membrum, et quasi praedium ecclesiae, cui facta est unio; Garc. *c.* 2. *cit. n.* 12.

154

Sequitur 2. quod beneficium accessorie unitum non vacet mortuo, vel remoto rectore principali; quod enim est extinctum quoad nomen et titulum, vacare non potest; Garc. *n.* 15. *et* 16. Rebuff. *n.* 12. Pirh. *n.* 202. Solum ergo vacabit mortuo principali rectore illud beneficium, cui unitum est, et cum quo unum beneficium factum est. *Conf.* nam beneficium ita unitum, ut supra dictum est, fit quasi praedium illius beneficii, vel ecclesiae, cui unitum est, ac proin semper penes illam manet, et ab ipsa tanquam persona ficta possidetur, id autem beneficium, quod legitimum possessorem habet, non vacat: ergo etc.

Sequitur 3. per hujusmodi unionem auferri collationem beneficii ita uniti, et potestatem id conferendi; cum enim beneficium nullum conferri possit, nisi vacet, consentaneum est, ut postquam per unionem impedita est ejus vacatio, etiam impediatur illius collatio; Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 5. §. 7. *n.* 20. card. de Luca *de paroch. disc.* 12. *n.* 13. Leur. *q.* 883. *cit. n.* 5. clericat. *discord.* 16. *n.* 3. Hinc apud DD. commune dictum est, nihil magis repugnare unioni, quam suppositio collativi status: Lotter. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 104. Cleric. *disc.* 16. *n.* 3. Procedit autem hoc tantum, quando effectum suum jam sortita est unio, et is, cui facta est unio, mortuo beneficii uniti possessore, consecutus est possessionem illius, nam si effectum nondum sortita est, potest episcopus illum suspendere, et

prorogare post mortem illius clerici, cui vult illud conferre, et ideo adhuc habet potestatem id conferendi; Cleric. *disc.* 13. *cit. n.* 3.

155

Sequitur 4. in impetratione beneficii solius principalis mentionem debere fieri, non autem accessorie uniti; Garc. *n.* 20. *et seq.* Azor. *q.* 20. Rebuff. *n.* 14. Laym. *n.* 2. *cit. coroll.* 1. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 1. *n.* 11. et ratio clara est, quia jam non possidetur in titulum beneficii, sed tanquam praedium beneficii principalis: et hinc sicut capta possessione castri, etiam capta censetur possessio praediorum ad castrum illud pertinentium, ita capta possessione ecclesiae, seu beneficii principalis, cui facta est unio, etiam capta censetur possessio beneficii sic uniti; Garc. *n.* 22. Pal. *n.* 6. Leur. *n.* 5. *cit.*

Sequitur 5. si ecclesia parochialis accessorie, et perpetuo sit unita dignitati, vel canonicatui, in recipiente illam sufficere aetatem, quae ad dignitatem, et canonicatum, cui sic unita est illa ecclesia, requiritur; quia beneficia curata, sic unita transeunt in naturam simplicium, prout teste Leur. *n.* 2. s. congr. conc. trid. censuit, et cum aliis monent Garc. *n.* 26. Laym. *coroll.* 2. Pal. *n.* 7.

Sequitur 6. non debere, nec posse (seclusa plenitudine potestatis papalis) beneficium dignius accessorie uniri minus digno e. g. ecclesiam parochialem capellaniae; quia non decet, ut magis dignum subjiciatur minus digno; Rebuff. *num.* 17. Laym. *coroll.* 3. Pirh. *n.* 202.

156

Tertius unionis modus est, si duo beneficia, videlicet duae ecclesiae cathedrales, vel parochiales aeque principaliter uniantur, ita, ut ambae propriam naturam, qualitates, et privilegia sua retineant, et neutra ecclesia alteri subjiciatur, vel adhaereat, sed utraque proprios reditus habeat, et titulum suum retineat, sub eodem tamen episcopo, vel rectore, qui ecclesiae utrique praeficitur, et in utraque intitulatur, sicut factum est in casu *c. novit* 1. *ne sed vac. et notat* gloss. *in c. et temporis* 48. *V. unire caus.* 16. *q.* 1. Rebuff. *prax. tit. de union. n.* 15. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 2. Garc. *p.* 12. *de benef. c.* 2. *n.* 37. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 246. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 2. *vers. tertius modus*; Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 1. *n.* 4. Jacob Emerix *decis.* 1025. *n.* 7. *et decis.* 1094. *per totam*, Joan. Emerix *decis.* 44. *n.* 5. Leur. *p.* 3. *for. benef. q.* 880. *n.* 2. *et q.* 884. *n.* 1. *et* 2. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 1. *n.* 12. Pirh. *hic n.* 203.

157

Effectus unionis istius non est alius, quam ut rector unius ecclesiae sit etiam rector alterius; Garc. *p.* 12. *de benef. c.* 2. *n.* 37. De cetero enim in omnibus fere unio ista operatur contrarium iis, quae operatur unio accessoria. Nam

1. Quaelibet ex ecclesiis ita unitis jura, privilegia, et qualitates retinet, quas singulae habuerunt, antequam unirentur; Rebuff. *n.* 15. Garc. *n.* 37. Pal. *n.* 9. Leur. *q.* 884. *n.* 2. Ratio est, quia vi talis unionis beneficia sic unita non inter se, sed tantum in persona rectoris communicantur, ita, ut duo quidem maneant beneficia, sed unus illorum rector.

2. Reditus utriusque distincti manent, prout manent distincti earum tituli. Sequitur ex *praeced.* Et hinc, si in harum ecclesiarum una sit constituendus vicarius, is ex istius tantum, non ex alterius ecclesiae unitae proventibus ali debet; Pal. Leuren. *l. cit.* Et hoc procedit, etiamsi prioris ecclesiae proventus ad vicarium alendum non sufficiant: cum enim unio haec distinctionem tollat, etiam obligationem non imponet, ut una succurrat alteri.

158

3. Beneficium sic principaliter unitum vere vacat, et ideo conferri, resignari, et permutari potest, sed non unum separatim ab altero, cui ita unitum est; alias dissolveretur unio, quam dissolvere, si perpetua sit, neque beneficiarius beneficia sic unita obtinens, neque collator, nisi is, qui fecit unionem, potest; Pal. *n.* 9. *cit.* Leur. *n.* 3. Pirh. *n.* 203.

4. Si alterum eorum sit curatum, vel alias incompatibile, impedit assecutionem alterius similis, et hoc obtento, nisi dispensetur, ambo sic principaliter unita vacant; Garc. *c.* 2. *cit. n.* 41. Pal. *n.* 8. Leur. Pirh. *l. cit.*

5. Si ecclesiae ita unitae sunt cathedrales, vel collegiatae, canonici unius non fiunt canonici alterius, cum separata, ut dictum est, maneant ecclesiae utriusque jura; casu tamen, quo electio facienda est, celebrari illa ab omnibus communiter, seu ab utroque collegio simul debet in loco, de quo in unione conventum est, vel in digniore, si de loco non sit specialis conventio; Azor. *c.* 28. *cit. q.* 2. Garc. *n.* 48. Leur. Pirh. *l. cit.*

159

6. Similiter si beneficia sic unita patronata sint, patroni unius efficiuntur etiam patroni alterius, ita, ut qui habuerit majorem partem vocum respectu unius, illam habere censeatur etiam respectu alterius; Jacob Emerix *decis.* 987. *n.* 7.

7. Si beneficia aeque principaliter unita subsint diversis episcopis, vel ad diversos collatores spectent, neuter eorum jus conferendi amittit, prout tamen amittitur ex parte beneficii uniti accessorie, sed utriusque collatoris, et episcopi consensus ad collationem, vel confirmationem requiritur; Garc. *num.* 47. Azor. *q.* 2. Laym. *vers. tertius modus*; Van-Espen *n.* 13. Pirh *n.* 203.

8. In impetratione alterius beneficii, vel ecclesiae aeque principaliter unitae de utroque mentio fieri debet contra id, quod fit in accessorie unitis, ubi solum opus est fieri mentionem de principali; Garc. *n.* 43. Azor. *q.* 20. Pal. *n.* 8. Laym. Van-Espen, Pirh. *l. cit.*

160

Quaeritur 2. qualis sit unio, favorabilis, an odiosa? Resp. Uniones de jure communi esse odiosas, et restringendas; quia per illas diminuitur cultus divinus; et quia unio duorum beneficiorum, et ecclesiarum est contra jus commune, cum quaelibet ecclesia debeat suum proprium habere rectorem; *c. quia nonnulli* 3. *h. tit.* Leur. *p.* 3. *jur. benef. q.* 882. *num.* 1. Card. de Luca *de benef. disc.* 19. *num.* 13. Magis tamen favorabilis est unio aeque principalis, quam accessoria, et subjectiva; quia minus praejudicialis; Carol. Ant. de Luca *in observat. ad annot.* 8. §. *tom.* 2. *ventriglia n.* 1. card. de Luca *ad trid. disc.* 8. *n.* 30. *et de regular. D.* 25. *n.* 4. Leur. *l. cit. n.* 2. Hinc cum semper praesumptio capienda sit, quae minus est praejudicialis, in dubio unio censebitur facta aeque principaliter, donec contrarium probetur, ut notat Gonzal. *ad reg.* 8. *cancell. gloss.* 5. §. 7. *n.* 134. Rebuff. *tit. de union. n.* 20. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 1. *n.* 11. Pignatell. *tom.* 1. *cons.* 223. *n.* 13. Leuren. *p.* 3. *q.* 881. *n.* 1. card. de Luca *disc.* 25. *cit. n.* 4. Jacob. Emerix *decis.* 1185. *n.* 9. Joan. Emerix *decis.* 11. *n.* 3. *et* 7.

161

Ad dignoscendum autem, an unio facta sit accessorie, an vero aeque principaliter, hae regulae observandae sunt. 1. et ante omnia inspiciendus est unionis tenor. Ex hoc accessorie unita judicabitur ecclesia, si in rescripto unionis inveniantur verba, *ecclesiam; vel beneficium illi beneficio unimus, annectimus, incorporamus.* Contra aeque principaliter unita censebuntur, si dicatur: *illud et illud beneficium annectimus*; Carol. Ant. de Luca *l. cit. n.* 3. et communiter ceteri.

2. Si ex litteris unionis nihil colligi possit, attendendum, an ex beneficiis sibi unitis unum sit dignius, nam minus dignum semper praesumitur unitum accessorie, et non aeque principaliter magis digno, ita, ut magis dignum trahat ad se minus dignum, ut *arg. c. quod in dubiis* 3. *de consecr. eccl. vel altar.* §. *si tamen alie-*

nam purpuram 26. *inst. de rer. divis. et l. quae religiosis* 43. *ff. de R. V.* colligit Gonzal. §. 7. *cit. n.* 129.

162

3. Si non appareat, quodnam sit magis dignum, recurrendum erit ad denominationem, sive attendendum, num ex uno beneficio duntaxat proveniat denominatio, et illud judicabitur principaliter unitum, alterum accessorie, cum semper a digniore, et potiore fiat denominatio; Gonz. *l. cit. n.* 132. Pal. *n.* 11. Leur. *n.* 2.

4. In consilium vocanda est observantia; haec enim, tanquam optima legum interpres, removebit in parte hac dubium; Gonz. *n.* 135. cum *cit.*

5. Denique cessantibus his omnibus, praesumendum, ut *supra n.* 160. dixi, unionem factam aeque principaliter; Gonz. *n.* 134. cum *citt.*

163

Ne vero in his conjecturis erretur, bene notanda sunt sequentia. 1. si praebenda canonicalis annexa sit dignitati, personatui, vel officio ejusdem ecclesiae, licet haec digniora sint, quam canonicatus, vel praebenda simplex canonicalis, non per hoc tamen censendum statim, annexam esse accessorie, per viam incorporationis, et suppressionis, sed potius, nisi aliud constet, censeri unitam aeque principaliter, ita, ut duo beneficia maneant, sed unus amborum rector, ut recte advertit Pal. *n.* 12. et inde patet, quod praebenda ita unita dignitati etc. cum alia simili sit incompatibilis, quod non fieret, si titulus ejusdem per unionem esset extinctus, sic enim dignitas habens annexam praebendam canonicalem, et alia similis praebenda forent beneficia difformia, quae sub eodem tecto, ut *n.* 99. dictum est, obtineri simul absque dispensatione possunt.

164

2. Ex hoc, quod ecclesia una in alteram superioritatem aliquam, vel respective subjectionem habeat, non statim inferri posse hanc priori annexam esse accessorie; quia id referri ad protectionem, vel jus patronatus, tributum, vel censuationem potest, circa omnem etiam unionem; Card. de Luca *disc.* 25. *de regular. n.* 4.

3. Plurimum in re hac valere consuetudinem, quae, ubi secundum jus est, juris dubii interpres est; ubi contraria eidem, illi derogat; Leur. *q.* 881. *cit. n.*

165

Quaeritur 3. quae beneficia, et ecclesiae sibi invicem uniri possint? Resp. hic considerandam tum qualitatem ejus, quod unitur, tum illius, cui fit unio.

Nam 1. beneficium regulariter non debet uniri, nisi beneficio; Corrad. *prax. benef. l.* 2. *c.* 8. *n.* 79. *et* 80. et hoc teste responsum est a cancellaria apostolica, quae, cum peteretur fieri unio certo alicui altari pro paramentis ejusdem ecclesiae, noluit fieri unionem, si altare illud non foret beneficium, sed permisit, beneficium, de quo uniendo agebatur, supprimi, et facta suppressione, fructus illius applicari dicto altari in memoratum finem. *Excipiuntur* hospitalia, seminaria, et alia collegia pia; nam his in eorum dotem, augmentationem, conservationem, pro propagatione fidei, vel juventutis ad scientias instructione uniri beneficia, saltem simplicia permisit trid. *sess.* 23. *c.* 8. *de reform.*

166

2. Facilius uniuntur beneficia simplicia, quam parochialia: imo haec monasteriis, abbatiis, dignitatibus, et praebendis alicujus ecclesiae cathedralis, vel collegiatae, aut aliis beneficiis simplicibus, hospitalibus, et militiis ab episcopis uniri vetat trid. *sess.* 24. *c.* 13. *de reform.* adeo, ut neque pars fructuum ex parochiis, praedictis ecclesiis, aut praebendis applicari possit sine licentia papae, ut colligitur ex *sess.* 25. *c.* 16. *de reform. et* card. declaratione firmat Garc. *p.* 12. *de benef. c.* 2. *n.* 87. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 5. *princ.* Choppin. *de sacr. polit. l.* 2. *n.* 14. Van. Espen *p.* 2. *tit.* 29. *c.* 2. *n.* 13. Excipit Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 5. §. 7. *n.* 47. uniones, quae fiunt pro fundatione, augmento, vel conservatione collegiorum, aliorumve piorum locorum, erectorum ad fidei catholicae defensionem, aut propagationem, et bonarum artium cultum. Sed verisimilius alii cum Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 3. *n.* 18. negant, tum propter generalitatem textus unionem beneficiorum parochialium indiscriminatim prohibentis; tum quia *sess.* 23. *c.* 18. *de reform.* concilium hujusmodi locis expresse permittit uniri beneficia simplicia; igitur hoc ipso curatorum unionem prohibet *in Clem.* 2. *V. directe contrariis de testib.* Unde dum hodie vides passim parochialia beneficia unita, et incorporata collegiis regularium, has uniones crede factas vel ante trid. authoritate episcopali, vel post illud interveniente authoritate papali.

167

3. Quamvis ob paupertatem, et in aliis casibus a jure permissis quandoque uniri parochialis ecclesia cum alia parochiali possit, ex his tamen facilius uniuntur, quae viciniores sibi sunt; quia ob majorem inter se contiguitatem unus utrique cum incommodo, et difficultate minore deservire potest; Van. Espen. *n.* 16.

4. Facilius admittitur unio canonicatus cum dignitate, aut parochiali beneficio existente in eadem, quam in diversa ecclesia; Van Espen. *n.* 17. et habet praxis, urgetque ratio proxime assignata.

5. Non est uniendum beneficium unius dioecesis cum beneficio alterius dioecesis; Trid. *sess.* 14. *c.* 9. *de reform.* Neque beneficium unius regni cum beneficio alterius regni ob incommoda non exigua, quae timeri debent, si duobus supremis principibus eadem ecclesia esset subjecta; Van Espen *n.* 19. Hinc ad eam faciendam requirendus esset regis alterius consensus; Rebuff. *tit. de union. n.* 28.

168

6. Non possunt episcopi unire beneficia liberae collationis patronatis, ut his accedant, et subjiciantur; Trid. *sess.* 25. *c.* 9. *vers. insuper de reform.* cum duplici tamen exceptione. *Una est*, si patronatus juri renuntietur, vel inducatur alternativa, ut beneficium una vice libere, altera ad praesentationem patroni conferatur, ut a s. congr. declaratum testis est Franc. Leo *thesaur. for. eccl. p.* 2. *c.* 16. *n.* 14. *Altera*, si animarum cura, quae sine congrua dote sustineri non potest, et dos sufficiens aliunde haberi nequit, praecellere debeat incommodo, quod ex hac unione ob liberam collationem sublatam nascitur, nam tunc sine dubio locus est legi, *salus populi suprema lex esto*; Zypaeus *de excess. prael. consult.* 5. *prope fin.* Van Espen. *n.* 21.

169

7. Non debet episcopus beneficium unire mensae suae, aut capituli, etiam de consensu capituli; quia sic episcopus, et capitulum authoritatem praestaret in facto proprio; gloss. *in Clem.* 2. *V. capitulo de reb. eccl. non alien.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 29. *q.* 17. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 6. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 6. Pirh. *tit. de reb. eccl. non alien. n.* 9. *not.* 5. Clericat. *de benef. discord.* 48. *n.* 44. *et discord.* 76. *n.* 23. *Excipitur* triplex casus. 1. si unio tantum in consequentiam, et indirecte cederet in utilitatem capituli, vel episcopi unientis, ut si unio fiat fabricae ecclesiae cathedralis, vel seminario clericorum; Garc. *c.* 2. *cit. n.* 169. Laym. *n.* 7. *cit.* 2. si unio fiat ipsis canonicorum praebendis distributive acceptis ad earum augmentum, quia tenues sunt; Garc. *n.* 170. Laym. *n.* 6. Pal. *n.* 6. *fin.* Leur. *p.* 3. *q.* 891. *n.* 2. Pignat. *tom.* 1. *cons.* 108. *n.* 2. et hoc teste declaravit saepius s. congr. 3. si alicubi consuetudo praescripta sit, ut episcopus etiam sine capituli consensu facere uniones beneficiorum possit, tunc enim nihil obstat, quin ea sua authoritate mensae capitulari directe uniat; Laym. *l. cit.*

170

Quaeritur 4. quis potestatem habeat uniendi beneficia? Certum est, potestatem hanc prae aliis competere summo pontifici: et quidem ea se extendit 1. ad quaecunque beneficia tum majora, tum minora, et ecclesias quascunque ob plenariam, et amplissimam potestatem, quam ipse in administratione beneficiorum, bonorumque ecclesiasticorum habet; *c. licet* 2. *h. tit. in* 6. Rebuff. *prax. tit. de union. n.* 23. Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 9. *n.* 2. *vers. potestas uniendi*, Van. Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 1. *n.* 18. Pirh. *n.* 204. *hic*, et alii communiter. 2. ad ecclesias cathedrales, et metropolitanas; *c. sicut* 8. *de excess. praelat.* Imo has, et dignitates in cathedralibus post pontificalem majores, et principales in collegiatis de jure communi unire solus ipse, non alius, vel episcopus, vel alius superior ecclesiasticus potest, Azor. *pag.* 2. *l.* 6. *cap.* 28. *q.* 6. Sanc. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 150. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 1. Fag. *in c. sicut cit. n.* 3. Vries *l.* 5. *t.* 31. *n.* 10 Pirh. *hic n.* 205. 3. Ad quemcunque modum unionis: circa quod tamen

171

Notandum 1. est, per unionem, etiam papae authoritate factam, non auferri episcopo potestatem visitandi ecclesiam, vel beneficium unitum, subditos puniendi etc. quia unio censetur fieri salvo jure episcopi, in cujus dioecesi ecclesia, vel beneficium unitum situm est, cum papa cuilibet jura sua inviolata servare intendat, non derogare, ut dicitur *c. quia monasterium* 2. *de relig. domib.* et notat glos. *fin. ibid* Laym. *n.* 2. *cit. in fin.* Pirh. *n.* 205. *cit.* 2. Ob eandem rationem etiam papa, licet ex plenitudine potestatis posset, non tamen solet ecclesias, aliaque beneficia unire aliis, non requisito consensu episcopi, seu ordinarii, et capituli cathedralis, vocatisque iis, quorum interest; Pirh. *de reb. eccl. non alien. n.* 9. *not.* 4. 3. Etsi papa, *ut n. praec.* dictum est, unire possit etiam ecclesias cathedrales, raro tamen istud de facto fit; frequentius vero contingit, ut ecclesia, quae prius nullius dioecesis fuit, et jurisdictionem ordinariam in clerum, et populum habuit, erigatur in cathedralem, et unico contextu principaliter uniatur antiquae cathedrali ad sopiendas discordias, quae inter hanc, et illam oriebantur; Card. de Luca *ad trid. disc.* 8. *n.* 4. *et* 5. Leur. *p.* 6. *for. eccl. q.* 896. *n.* 1.

172

Dubium est 1. an et qualem potestatem uniendi beneficia, et ecclesias habeat episcopus? Resp. Huic jure communi potestas competit perpetuo, citra praejudicium tamen, uniendi ecclesias, et benefi-

cia omnia suae dioecesis, non exempta ab ejus jurisdictione; *c. sicut* 8. *de excess. prael.* Reb. *prax. t. de union. n.* 22. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 6. Sanc. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 147. Laym. *l.* 4. *tr.* 2*s c.* 9. *n.* 3. *princ.* Garc. *p.* 12. *de benef. c.* 2. *n.* 162. Barb. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 16. *n.* 54. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 8. *n.* 2. Leur. *p.* 3. *for. eccl. q.* 901. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 205.

Dixi 1. *ecclesias, et beneficia omnia suae dioecesis.* Quod *extenditur* 1. etiam ad beneficia reservata, modo reservata non sint perpetuo; haec enim ab episcopo alteri beneficio uniri non possunt, ut recte infert Pal. *l. cit. o.* 5. et ratio clara est; quia unio effectum habere nequit, quamdiu durat reservatio; ergo nunquam habebit effectum, si reservatio duret perpetuo, sicque eo casu inutiliter fiet. *Extenditur* 2. ad beneficia, ob negligentiam, vel ignorantiam praedecessorum devoluta ad papam; Azo. *c.* 28. *cit. q.* 15. Sanc. *n.* 140. Laym. *n.* 3. Garc. *n.* 91. Pal. *n.* 3. Passerin. *in c.* 17. *h. t. in* 6. *n.* 17. V. Esp. *J.E.U. p.* 2. *t.* 29. *c.* 3. *n.* 20. Pirh. *hic n.* 206. *Extenditur* 3. ut unire possit non tantum ecclesiam saecularem alteri saeculari, sed etiam regulari, aut alteri loco religioso, quamvis exempto, modo ecclesia, quae unitur episcopo unienti subjecta, et in ejusdem dioecesi sita sit, ut constat ex *clem.* 2. *de reb. eccl. non alien. c. consultationibus* 4. *de donat.* et notant Garc. *l. cit. n.* 77. Sanc. *n.* 148. Pal. *n.* 6. Pirh. *n.* 206.

173

Dixi 2. *citra praejudicium tamen;* nam episcopus unione sua jus suum alteri quaesitum eidem auferre non potest. Hinc 1. si uniatur beneficium viventis, ea unio primum effectum sortietur post cessum, vel decessum rectoris possidentis: qui proinde non obstante hac unione, beneficium illud in favorem tertii resignare poterit; Garc. *n.* 214. Flam. *l.* 2. *de resig. q.* 9. *n.* 7. Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 156. *n.* 6. Leur. *p.* 3. *q.* 886. 2. Si episcopus uniat beneficium devolutum ad papam, ea unio effectum non habebit, antequam papa illud contulerit, et is, cui contulerit, beneficio illo cesserit, vel decesserit; nam si haberet effectum, antequam illud conferretur a papa, tolleretur eidem jus per devolutionem ipsi quaesitum, cum facta unione, beneficium extinguatur, ita, ut amplius conferri nequeat; Azor *q.* 15. Pal. *n.* 3. Pirh. *n.* 206. 3. Si uniat beneficium, super quo alius ex provisione apostolica gratiam exspectativam habet, unio non habebit effectum, nisi post obitum exspectantis; vel postquam illo beneficio fuerit privatus, vel ipse sponte illud dimiserit; Rebuf. *n.* 31. Azor. *q.* 17. Sanc. *n.* 150. Pirh. *n.* 206. Viest. *tit. de exces. prael. n.* 11. 4. Si uniat beneficium, quod obtinet aliquis ex familiaribus papae, effectum unio illa non habebit, donec beneficium illud iterum vaca-

verit per mortem, vel depositionem instituti a papa, qui cum illud sit vacaturum in curia, casu, quo vacaverit, ad id conferendum jus quaesitum papae est: quo proinde per unionem non potest exui; Azor. Sanc. Pirh. *l. cit.* quibus accedit Laym. *n.* 4. 5. Idem denique dicendum de beneficiis aliis reservatis papæ; nam ea unire episcopus cum effectu nequit, nisi postquam illa per mortem, vel cessionem ejus, cui papa jure reservationis ipsa contulit, vacaverint, et sic jus conferendi redierit ad episcopum. Ita *cit. sup.*

174

Dixi 3. *perpetuo*; nam ad tempus solum, et vitam beneficiarii episcopus unum beneficium unire non potest alteri; Azor. *q.* 17. Laym. *n.* 1. Pal. *n.* 7. V. Esp. *n.* 4. Pirh. *n.* 205. et colligitur ex Trid. *sess.* 7. *c.* 4. *et ses.* 25. *c.* 17. *de ref. Ratio est*, quia unio temporalis, ut *n.* 151. dictum est, non nisi nomine tenus est unio, reipsa vero quaedam dispensatio, seu iuris relaxatio. Deinde ejusmodi uniones temporales sunt odiosae, quippe contra, vel saltem praeter formam juris, per quas non ecclesiis, sed personis providetur, et in effecta duo beneficia conceduntur, ita, ut is absit ab altera ecclesia toto vitae suae tempore.

Dixi 4. *non exempta ab episcopi jurisdictione*; exempta enim episcopus unire non potest; Reb. *n.* 22. Sanc. *n.* 152. Laym. *n.* 3. *princ.* V. Esp. *n.* 22.

175

Dub. 2. an, et qualem potestatem beneficia uniendi habeat capitulum cathedrale, sede episcopali vacante? *Ratio dubitandi est*, quia duo beneficia uniri nequeunt, nisi conferatur unum ei ecclesiae, cui conjungitur. Sed capitulum, sede vacante potestatem conferendi beneficia nullam habet: ergo nec uniendi.

Verum non recte istud concluditur, quod triplici ratione ostenditur. 1. Enim episcopus non potest conferre beneficia spectantia ad collationem inferioris ordinarii, et tamen potest ea unire: ergo nec capitulo sede vacante oberit defectus potestatis conferendi. 2. Beneficium nondum vacans non potest conferri, et tamen alteri uniri potest; *Clem.* 2. *de reb. eccl. non alien.* 3. Non idem jus est de conferendo, et uniendo: nam conferre est voluntatis, et liberalitatis; at unire est necessitatis, cum, ut *infra n.* 181. dicam, unio fieri non debeat, nisi ob necessitatem, vel utilitatem ecclesiae.

176

Quare dicendum, sede vacante, capitulum cathedrale unire posse beneficia, quae alioquin episcopus poterat, dummodo per illam unionem juri episcopali nihil derogetur. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 9. Reb. *prax. tit. de union. n.* 36. Garc. *p.* 12. *c.* 2. *n.* 67. Sanc.

l. 7. *mor. c.* 29. *n.* 155. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 6. *princ.* Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 11. V. Esp. *J.E.U. p.* 2. *t.* 29. *c.* 3. *n.* 24. Pirh. *hic n.* 207. Sch. *n.* 40. *Ratio est*, quia, ut dictum est paulo antea, potestas uniendi est jurisdictionis non voluntariae, sed necessariae quae juxta *c. un. de major. et obed.* ad capitulum sede vacante transit.

Addo tamen, hanc uniendi potestatem competere capitulo, dummodo non sibi, vel mensae suae eam unionem faciat; Garc. *n.* 68. Pal. *n.* 13. Barbos. *alleg.* 66. *n.* 5. Leuren. *p.* 3. *for. ben. q.* 908. *n.* 2. et teste Garc. decisum est a s. cong. *Ratio clara est ex n.* 169. ubi dixi, quod capitulum sede plena non possit in sui favorem praestare consensum ad unionem; quia id esset authorizare proprium factum, et quasi in propria causa jus dicere. Igitur multo minus poterit sibi beneficia unire sede vacante.

177

Dub. 3. quid possit legatus pontificius circa uniones beneficiorum? Resp. Distinguendum inter legatos natos, legatos nuntios, et legatos a latere. *Primis* potestas uniendi beneficia competit in dioecesi sua, in qua sunt episcopi. *Secundis* eam potestatem communiter DD. negant cum Garc. *p.* 12. *c.* 2. *n.* 66. Pal. *tr.* 13 *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 16. Leur. *p.* 3. *de for. benef. q.* 905. *n.* 3. ex ratione, quod nec beneficia conferre possint. *De postremis* inter DD. est controversia.

Negant hanc potestatem legatis istis competere Host. *in c. fin. de conf. util. et inut. n.* 1. Jo. And. *ib. n.* 2. Frid. de Senis *con.* 195. ex ratione; quia jure communi *c. sicut* 8. *de exc. prael.* videtur potestas ista concedi soli episcopo: imo *c. fin. cit.* videtur unio a legato facta reprobari. Deinde per ejusmodi unionem derogatur juri episcopali, cum ejusmodi beneficia, quia per unionem suppressa, ab episcopo conferri amplius nequeant.

178

Sed melius potestatem uniendi beneficia legatis a latere competere defendunt Abb. *in c.* 8. *de exc. prael. n.* 5. *et* 6. Reb. *prax. t. de union. n.* 24. Garc. *p.* 12. *c.* 2. *n.* 55. Sanc. *p.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 158. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 8. Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 116. *et* 117. Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 20. *n.* 16. Barb. *all.* 66. *n.* 12. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 15. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 6. *vers. quarto*, Leur. *p.* 3. *for. benef. q.* 905. *n.* 1. Vvies. *tit. de exc. praelat. n.* 14. Pirh. *hic n.* 207. *Ratio est*, quia legati a latere sunt ordinarii provinciae sibi demandatae, et in ea cum episcopo concurrentem potestatem habent, etiam (saltem extra Germaniam) quoad collationem beneficiorum; *c. officii* 1. *in fin. de offic. legat. in* 6. *et c. si a sede* 31. junct. glos. *V. legatorum h. t. in* 6. Quod intellige de unione perpetua; nam ad tempus, seu ad vitam tantum unire non potest, ni-

si ad hoc habeat a papa specialem facultatem; Gamb. *de potest legat. l.* 5. *n.* 127. Garc. *n.* 84 Leur. *n.* 1. *cit.*

Neque adversantur textus allegati in contrarium ; nam *priori* sub nomine episcopi venit, qui praeditus est jurisdictione episcopali, cum potestas uniendi competat etiam episcopo confirmato solum, non consecrato. *Posteriore* textu non reprobatur unio, vel collatio a legato facta, sed praetensio clericorum beneficiatorum, quia occasione collationis sibi a legato factae volebant esse exempti a patriarcha cum diminutione juris huic competentis. *Ad rationem* adjectam dico, per unionem in ecclesiis , vel beneficiis unitis nullum perire jus episcopale , cum utrique providere etiam post unionem possit episcopus.

179

Dub. 4. quam potestatem uniendi beneficia habeant archiepiscopus, vicarius generalis episcopi , et ceteri praelati inferiores episcopo ? Resp. 1. *archiepiscopus* unire potest ecclesias, et beneficia suae dioecesis , sicut episcopus in sua , non tamen potest ea unire in dioecesibus suorum suffraganeorum , ut constat ex *c. sicut* 8. *in fin. de excess. praelat.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 7. Rebuff. *prax. de union. n.* 29. *et* 30 Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 156. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 16. *n.* 58. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 17. Pirh. *hic n.* 207. Leur. *q.* 904. *n.* 1. *Ratio est*, quia in dioecesibus suffraganeorum suorum jurisdictionem non habet, nisi in certis casibus jure expressis , inter quos praesens non invenitur. *Excipit* Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 8. §. 1. *n.* 2. si id exigat causa legitima , qualis foret , si episcopus legitime interpellatus negaret unionem facere ; tunc enim ab ipso appellari posset ad metropolitanum, et hic unire beneficium , cum proprium sit appellationis negotium suspendere, et devolvere.

180

Resp. 2. *vicarius generalis episcopi* non potest unire beneficia, nisi id specialiter ab episcopo ipsi commissum sit ; quia nec beneficia conferre potest sine speciali commissione, quod est minus; Rebuff. *n.* 37. Azor. *q.* 10. Sanch. *n.* 153. Pirh. *n.* 206.

Resp. 3. quoad *praelatos episcopo inferiores* distinguendo: nam qui habent jurisdictionem quasi episcopalem in ecclesias sibi plene subjectas , unire beneficia possunt ; non autem possunt hoc ceteri , qui simili jurisdictione instructi non sunt , nisi id habeant ex speciali concessione , privilegio , vel praescriptione ; Azor. *q.* 11. Rebuff. *n.* 32. *et seq.* Garc. *n.* 71. *et seq.* Sanch. *n.* 160. Laym. *n.* 6. *vers. porro*, Pal. §. 2. *n.* 18. Barb. *in c.* 8. *de excess. prael. n.* 7. Fagn. *ibid. n.* 17. Van-Espen *n.* 26. Pirh. *hic n.* 207. *in fin.*

181

Quaeritur 5. quid requiratur ad unionem beneficiorum legitime instituendam? Resp. 1. requiritur justa causa ; nam sine hac unio per ordinarium facta est ipso jure nulla; Garc. *p.* 12. *de benef. c.* 2. *n.* 113. Ventrigl. *tam.* 2. *annot.* 8. §. 2. *n.* 21. Lotter. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 142. Cassador. *decis.* 8. *n.* 6. *de concess. praeb.* Joan. Emerix *decis.* 174. *n.* 7. Leur. *q.* 3. *q.* 909. *n.* 1. idem dicendum , si facta sit ex causa quidem, sed quae deinde appareat esse falsa , argumento sumpto a paritate cum re minoris , quae si alienata sit ex causa , et postmodum liqueat eam esse falsam , non obstante , quod decreto judicis facta sit alienatio , non intelligitur exiisse de dominio minoris; *l. magis puto* 5. §. *manet* 15. *ff. de reb. eor. qui sub tutel. etc.* imo hoc casu nulla est unio , etiamsi facta sit a summo pont. non quidem ob defectum causae, quia unio a papa facta ad valorem non indiget, sed ob vitium subreptionis; quia in rescriptis unionum a papa emanatis semper subintelligitur clausula , *si causae verae sunt ;* Garc. *n.* 115. Leur. *n.* 2. et alii ab his *cit.*

182

2. Ut praecedat aliqua causae cognitio , ut colligitur ex *clem.* 2. *de reb. eccl. non alien.* alias subreptitia erit , et ipso jure nulla, nisi justitia causae probetur; Rebuff. *n.* 43. *et reg.* 1. *de union. gloss.* 9. Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 146. Barb. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 16. *n.* 39. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 9. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 20. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 28. *n.* 162. Leur. *p.* 3. *q.* 911. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 2. *n.* 5. Pirh. *hic n.* 210. et hoc adeo verum est, ut etiam a papa sine praevia causae cognitione factae uniones in partibus revocentur secundum *reg.* 21. *alias* 22. *cancell. de union.* et cum *cit.* advertit Vviest. *tit. de excess. praelat. n.* 15. Clericat. *de benef. discord.* 16. *n.* 8.

183

3. Ut vocentur ii , quorum interest , sive in quorum praejudicium unio cedere potest juxta *reg. quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet* , quae est 29. *in* 6. alias similiter ipso jure irrita est talis unio; Azor. *q.* 14. Sanch. *n* 163. Laym. *n.* 9. Pal. *n.* 21. Van-Espen *c.* 3. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 210. Vviest. *de excess. praelat. n.* 16. Clericat. *de benef. discord.* 16. *n.* 8. Joan. Emerix *decis.* 44. *n.* 3. et hoc teste decisum est a rota. *Excipitur,* si unio fiat a papa in forma *gratiosa*; tunc enim non requiritur clausula *vocatis vocandis*; Rebuff. *ad reg. de union. cit. gloss.* 10. Van-Espen *l. cit.*

184

4. Ut exprimatur annuus valor secundum communem aestimationem beneficii uniendi , et ejus , cui annectitur , secundum *reg.*

cancell. 21. *cit.* alioquin enim constare non potest unionem esse necessariam, vel utilem; Pal. *n.* 28. Leur. *q.* 925. *n.* 1. Van-Espen. *c.* 3. *cit. n.* 7. *et duob. seq.* Verum hoc procedit solum, si petatur fieri unio a papa, vel ejus legato, qui ignorat valorem beneficii; secus, si ab ordinario, cui valor beneficii satis perspectus esse praesumitur; Rebuff. *ad reg. cit. gloss.* 5. Sanch. *n.* 178. Pal. *n.* 28. Leur. *n.* 1. *cit.* Pirh. *hic n.* 211. Vviest. *de excess. prael. n.* 18.

185

Dub. 1. quaenam sint causae justae, quae unioni faciendae intervenire necessario debeant? *Resp. C. exposuisti* 33. *h. tit.* duae afferuntur. *Prima* est evidens necessitas ecclesiae: talis contingere censetur 1. si praebendae sint adeo tenues, ut non reperiantur, qui velint ecclesias, vel beneficia acceptare, praesertim canonicatus in ecclesia cathedrali, et ita ecclesia debito servitio, seu necessariis ministris destituatur; *can. unic* 3. *caus.* 10. *q.* 3. Clem. 1. §. *adhaec de stat. monac.* trid. *sess.* 21. *c.* 3. *de reform.* ubi ob paupertatem parochialium conceditur episcopo potestas uniendi illas. 2. Si ecclesia unienda ab hostibus sit desolata, vel destructa; *c. quia monasterium* 2. *de relig. domib.* 3. Si alteri vicina sit, et restant pauci de populo, aliis mortuis peste, vel bello dissipatis; *can. et temporis* 48. *caus.* 1. *q.* 1. 4. Si status ejus sit deformatus, et disciplina in ea observetur; *arg. c. relatum* 7. *ne cleric. vel monach.*

186

Altera causa est magna ecclesiae utilitas: quod fieri potest in duplici casu. 1. Si non reperiuntur idonei alii, et ecclesiae, praesertim cathedrali, utiles clerici, qui in ea instrui, et servire velint; Azor. *q.* 14. Rebuff. *n.* 39. Laym. *n.* 8. *vers causae*, Sanch. *n.* 161. Pal. §. 2. *n.* 19. Pirh. *n.* 2. Si evidens sit augmentum divini cultus; Sanch. Pal. *l. cit.* juxta quos manifeste constare censebitur, quod adsit sufficiens causa uniendi beneficia conventibus religiosorum, si eorum unione augeatur cultus divinus. Ob merita personae dispensari quidem potest, ut quis duo simul, vel plura obtineat beneficia incompatibilia, ut dictum est *n.* 140. uniri tamen ob illa duo beneficia nequeunt; Abb. *in c. exposuisti cit. n.* 5. Laym. *cit. in fin.* Pirh. *n.* 209.

187

Dub. 2. quorumnam consensus requiratur ad unionem beneficiorum faciendam? Resp. 1. requiritur, ut accedat consensus capituli cathedralis si unio fiat ab episcopo, imo si a legato a latere, quando jure ordinario istud facit, et non tanquam delegatus sedis apostolicae; *c. pastoralis* 7. *de donat. Clem.* 2. *de reb. eccl. non alien.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 12. Garc. *p.* 14. *c.* 2. *n.* 145. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.*

9. *n.* 9. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 24. Barbos. *alleg.* 66. *n.* 29. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 28. *n.* 164. *et* 166. Clericat. *de benef. discord.* 16. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 210. *Ratio est*, quia unio est veluti alienatio quaedam, in qua consensus capituli intervenire debet. *Excipitur*, si in contrarium stet consuetudo immemorialis, vel quadragenaria cum titulo; haec enim videtur esse praescriptio, cons. excusat episcopum ab obligatione requirendi consensum capituli; Garc. *n.* 152. Pal. *n.* 25. Leur. *q.* 914. *n.* 9.

2. Requiritur consensus abbatis, vel alterius praelati inferioris, ad quem talis ecclesiae, vel beneficii administratio, vel collatio alias pertinet; Sanch. *n.* 167. Laym. *n.* 9. Leur. *q.* 917. Van-Espen *c.* 3. *n.* 8. *Ratio est*, quia ipsi per unionem jus administrandi, vel conferendi aufertur.

188

3. Si beneficium sit patronatum, requiritur consensus patroni; Azor. *q.* 12. Sanch. *n.* 168. Laym. *n.* 9. Pal. *n.* 22. Pirh. *n.* 211. Van-Espen *n.* 9. et indicat trid. *sess.* 24. *c.* 15. *de reform. ibi*, *cum patronorum consensu. Ratio est*, quia patrono per unionem praejudicium fit, cum jus patronatus per eam amittat. Proceditque hoc probabilius, etiamsi sit patronatus ecclesiasticus, et unio fiat per legatum a latere, ut bene notat Pal. *n.* 22. *cit. vers. solum*, et rationem dat; quia esto, data sit legatis a latere potestas derogandi huic patronatui, non tamen inde infertur, quod data sit etiam ad extinguendum beneficii patronati titulum, et ut jus patronatus cum beneficio unito extinguatur.

189

Dub. 3. quid circa horum consensum sit notandum? Resp. 1. consensus a canonicis praestari debet non sigillatim, et singulariter, sed ab iis simul in unum congregatis, praevio tractatu, et discussione causae propter quam unio fieri praetenditur; *c. tuae et* 8. ibi glos. *V. tractatus de his*, *quae fiunt a praelat.*; Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 153. Leur. *p.* 3. *q.* 913. Cleric. *de benef. discord.* 16. *n.* 8. *et discord.* 76. *n.* 25. Quod tamen intelligendum solum, quando unionem facit episcopus; nam legatus a latere tractatu isto non indiget, multo minus papa, cum istius authoritas omnes solemnitates, cons. etiam defectum consensus capitularis, suppleat; card. de Luca *de benef. disc.* 45. *n.* 9.

2. Sufficit, si patroni, vel praelati inferioris consensus subsequatur unionem: quod etiam Garc. *n.* 147. Sanch. *n.* 165. Pirh. 210. putant procedere de consensu capituli; quia universaliter satis est, consensum eorum, quorum interest, subsequi. Contrarium tenet Leur. *q.* 914. *n.* 8. Cleric. *discord.* 16. *n.* 8. juxta quos consensus

capituli intercedere debet in ipso actu : quod etiam verius esse existimat Pal. §. 2. *cit. n.* 26.

3. Si capitulum, aut alii, quorum interest, sine justa causa consentire nollent, poterunt ad id a papa compelli : imo etiam ipsis invitis potest episcopus unionem facere, si causa evidens necessitatis adsit : quamvis alias, si justa causa contradicendi subsit, etiam unius contradictio sufficiat ad impediendam unionem ; Rebuff. *reg.* 21. *cancell. gloss.* 11. *n.* 3. Azor. *q.* 12. Sanch. *n.* 164. Laym. *n.* 9. Pal. *n.* 25. *vers. secundo*, ubi addit videri prius compellendos, quoad fieri potest, ut consentiant.

190

Dub. 4. an pro valore unionis requiratur consensus beneficiati, seu rectoris ecclesiae, vel beneficii ab episcopo uniendi, defensoris ejusdem, dum nimirum uniendum est beneficium tempore vacationis, plebis, vel domini loci ? Resp. negative. Ita Abb. *in c. consultationibus 4. de donat. n.* 2. Azor. *p.* 2 *l.* 6. *c.* 28. *q.* 12. Garc. *p.* 12. *c.* 2. *n.* 214. *et seqq.* Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 28. *n.* 163. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 9. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 23. Pignatell. *n.* 1. *consult.* So. *n.* 10. Leur. *p.* 3. *q.* 918. *et tribus seqq.* Van-Espen *c.* 3. *cit. n.* 14.

Ratio est 1. *de rectore immediato beneficii* ; quia cum unio non sit sortitura effectum, donec beneficium uniendum per mortem, vel aliter vacaverit, cons. per eam possessori nullum fit praejudicium. 2. *De defensore beneficii vacantis* ; quia nec hujus interest fieri, vel non fieri unionem : et constitutio ipsius requiritur pro dismembratione, et divisione beneficii, illiusque alienatione, non vero pro ejus unione. 3. *De plebe, et domino loci*, quia nihil, quod unionem juste impediat, allegaturi praesumuntur.

Quodsi tamen rector beneficii uniendi, hujus vacantis defensor, plebs, vel dominus loci se unioni opponant, audiendi sunt, et causa, quam allegant, examinanda, ut *loc. cit.* advertunt Azor. Garc. Sanch. Leur.

191

Quaeritur 6. quid juris, seu potestatis habeat praelatus, vel ejus monasterium, ecclesia cathedralis, aut collegiata, cui ecclesia parochialis, vel aliud beneficium est incorporatum, seu unitum ? Resp. distinguendum, an quoad temporalia solum, adeoque non pleno jure unitum, et incorporatum sit tale beneficium, vel ecclesia, an vero etiam quoad spiritualia, et cons. pleno jure : et si pleno, an ita unitum sit, ut etiam populus ab episcopo dioecesano exemptus sit, et in spiritualibus etiam subjectus praelato monasterii, vel capitulo, quod est plenissimo jure incorporatam esse

ecclesiam ; an vero parochia incorporata sit quidem monasterio, vel capitulo etiam quoad spiritualia , ita tamen , ut populus subjectus maneat episcopo dioecesis , quae est incorporatio jure pleno , sed non plenissimo.

192

Si primum , et incorporatio facta sit quoad temporalia tantum (quod in dubio praesumi debet , cum semper ea capienda sit interpretatio , qua minus praejudicatur ecclesiae ; Pignat. *tom.* 1. *cons.* 136. *n.* 15.) monasterium , vel ejus abbas , aut capitulum , cui incorporatio redituum parochialium facta est , nihil ferme juris habet sive circa personam presbyteri , qui est positus in parochia , sive circa curam populi : ac proinde sine consensu episcopi , cui populus subjectus est , in ecclesia sibi unita nec instituere presbyterum potest , nec institutum destituere ; Abb. *in c.* 3. *num.* 6. *de privil.* Laym. *c.* 2. *n.* 7. *de suppl. neg'. praelat.* Leur. *p.* 2. *for. benef. q.* 718. *n.* 5. Pirh. *hic n.* 2.6. imo non est necesse eo casu , ut praesentatio presbyteri ad monasterium , vel capitulum , cui facta est incorporatio , spectet : et si habet jus praesentandi , episcopo dioecesano praesentare debet ab eo instituendum , prout constat ex *c. in lateranensi* 31. *hoc tit.* Dixi , *nihil ferme juris* ; non enim nullum jus abbas , vel monasterium , aut capitulum eo casu habet , sed siquidem jus patronatus in ecclesia unita habeat , ratione istius , et unionis , qua ecclesia illa quoad temporalia ipsi unita est , a rectore, aut vicario illius exigere rationem administrationis temporalium potest , ut constat ex *c. lateranensi cit.* non tamen hoc jus competit patrono laico ; Abb. *in c. cit. n.* 3. Pirh. *hic n.* 216.

193

Si secundum , et ecclesia parochialis plenissimo jure incorporata sit monasterio , vel capitulo cathedrali , tunc potest monasterium , vel abbas ejusdem , aut capitulum independenter ab episcopo loci presbyteros , aut vicarios in ecclesia unita instituere , et destituere , eos visitare , rationem administrationis ab ipsis exigere , aliaque facere , quae ad jus ordinarii spectant ; Barb. *in c.* 31. *h. tit. n.* 4. Vvagn. *in c.* 12. *eod. not.* 1. Passer. *in c.* 1. *dict. tit. in* 6. *n.* 8. *et* 10. Leur. *q.* 718. *cit. n.* 3. Pirh. *hic num.* 217. et constat ex *c. quoniam* 21. *de privil.* et ratio est , quia tunc episcopo in ecclesiam sic unitam nullum jus episcopale competit , sed ipse abbas , vel capitulum , cui unita est , personam ordinarii habet. Sic tamen unita ecclesia nunquam praesumitur , sed probari debet : nec unio haec ab episcopo fieri potest , sed a solo papa , ut *l. cit.* advertit Pirh. , additque rationem , quia episcopus , et quicumque alius praelatus officium, sive jurisdictionem sibi commissam,

sine consensu superioris committentis, abdicare non potest. Imo nec papa ecclesiam parochialem censetur ita donare, et incorporare monasterio, vel religioni, ut cum Innoc. et Joan. Andr. idem Pirh. notat ex ratione, quia grande periculum esset, si episcopus populo sacramenta administrare non posset, quae alius praelatus non potest, sicut est confirmare, ss. ordines conferre, ecclesias et altaria consecrare etc.

194

Si tertium, et ecclesia parochialis unita sit monasterio, vel capitulo pleno quidem jure, sed non plenissimo, tunc istud idoneum vicarium episcopo praesentare debet, ab ipso examinandum, et instituendum in ecclesia unita: neque hoc casu refert, utrum monasterium secundum se exemptum sit, vel non exemptum; Laym. *in c. 1. cit. n. 7. in fin.* Barb. *l. cit. n. 1.* Passerin. *n. 9.* Leur. *n. 4.* Pirh. *n. 218.* et novissime Cleric. *de benef. discord. 75. n. 20.* quia per deputationem curati non agitur de providenda ecclesia unica, sed de providendo populo, qui reperitur habitare sub illa cura, et episcopo subjectus manet, cujus interest, ut sacerdos habilis ad eundem populum regendum deputetur. Eritque vicarius iste, sive perpetuus ille, sive temporalis sit, etiam religiosus ordinis exempti, quoad ea, quae ad curam animarum, et sacramentorum administrationem pertinent, subjectus jurisdictioni episcopi dioecesani, ita, ut ab eo visitari, et corrigi possit, juxta decretum trid. *sess. 25. c. 11. de regular.* junct. *declaratione card. ibid. n. 1.* apud Joan. Gallemart. Ratio est, quia exemptus ratione rei non exemptae subjacet jurisdictioni ordinarii, ut ait Innoc. *in c. cum capella 16. in fin. de privil.* ergo si parochiani subjecti sint curae, et jurisdictioni episcopi, etiam rector parochiae in iis, quae curam spectant, subjectus erit. Verum de his plura suo loco.

195

Quaeritur 7. qualis vicarius poni debeat ab episcopo in beneficio non plenissime unito? Resp. Poni potest etiam perpetuus, talisque ordinarie debet, *nisi ipsis ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur*, ut loquitur trid. *sess. 7. c. 7. de reform.* Et hoc verum est, etiamsi antea semper vicarium temporalem, ad voluntatem praelati, monasterii, vel capituli, cui unita est, amovibilem ecclesia talis habuerit; Laym. *in c. 2. n. 8. de suppl. negl. praelat. et in qq. canon. de elect. praelat. q. 207.* Barb. *in c. 31. h. tit. n. 1.* Passer. *in c. 1. n. 9. eod. in 6.* Leur. *p. 3. q. 718. n. 4.* Clericat. *de benef. discord. 75. n. 20.* Pirh. *hic num. 218.*

196

Excipiuntur complures casus, in quibus ordinarius vicarium perpetuum non potest apponere, sed temporalem etiam nominatum a praelato monasterii, seu conventus, cui beneficium unitum est, si post examen inventus idoneus fuerit, approbare debet. Et 1. quidem, quando a tempore immemoriali unio facta est, et ex tunc constat, beneficium ita unitum semper fuisse administratum per vicarium ad nutum amovibilem; quia tridentinum nulli consuetudini derogat, nedum immemoriali, quae ad sui derogationem speciali mentione indiget. Contrarium tamen defendit Garc. *part.* 11. *de benef. cap.* 2. *n.* 7. referens ita decisum a s. congr. 2. si per viam pacti, et concordiae, a sede apostolica approbatae, cum clausula de serviendo beneficio per vicarium ad nutum amovibilem facta est unio; quia tridentinum non derogat his pactis, et concordiis, cum ad eorum derogationem sit opus mentione ipsorum speciali: 3. si pro bono pacis, et cessatione litium, rectaque beneficii gubernatione expediret nihil innovari, sed institui vicarium ad nutum amovibilem; quia trid. id non liberae episcopi voluntati relinquit, sed usum est verbis denotantibus arbitrium boni viri, ibi, *nisi ipsis ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur.* 4. quando ex privilegio remunerationis gratia concesso beneficium esset unitum cum clausula ponendi vicarium ad nutum amovibilem; quia in generali privilegiorum derogatione, quam concilium *l. cit.* ponit, non includuntur privilegia remunerationis gratia concessa alicui. 5. quando ex privilegio pontificio post trid. conces. so unitum est beneficium parochiale cum clausula instituendi vicarii temporalis; quia cum trid. nequierit pontificiam potestatem restringere, dum derogavit privilegii, intelligi debet de privilegiis ante illud decretum concessis. 6. quando beneficium unitum est monasterio monachorum, aut mendicantium, prout *cit.* trid. decretum restrinxit s. Pius V. in quodam *motu proprio*, incipit *ad exequendum*, *edito* 15. *nov.* 1567. 7. denique quando particulariter, et per se fuit unita vicaria perpetua; quia in ea constituendo vicarium perpetuum dissolveretur unio talis vicariae. Videantur Flores de Mena *var. q.* 10. *a n.* 41. Sanch. *l.* 7. *moral. c.* 22. *n.* 109. Barbos. *de offic. episc. alleg.* 72. *n.* 190. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 3. *n.* 4. Leuren. *p.* 1. *for. benef. q.* 114. et alii ab his *cit.*

197

Extra hos casus, quando ordinarius in ecclesia, quae regularibus unita est, ponere intendit vicarium perpetuum, ubi prius fuerat temporalis, Pal. §. 3. *cit. n.* 5. *et seq.* sequentia eidem advertenda tradit. 1. non facile fundationem, statutum, stylum circa beneficium unitum alteret, nisi ex causa, quae juxta prudentis arbi-

trium in utilitatem beneficii uniti cedat. 2. prius debet vicariam perpetuam erigere, et beneficium constituere. 3. mutatio ista fieri debet in visitatione, quamvis verius contrarium esse existimet Pal. *n.* 8. 4. ad eam vocari debent ii, quorum interest. 5. si his videatur expedire, ab erectione, et designatione vicarii perpetui potes appellari: quae tamen appellatio, ut idem Pal. *n.* 9. putat, habebit solum effectum devolutivum, non suspensivum.

198

Quaeritur 8. an, et quomodo unio facta probari debeat? Certum est eam probandam ab eo, qui factam asserit; quia unire quid facti est, et odiosum, tum quia per eam minuitur numerus ministrorum, tum quia est quaedam alienationis species, eo, quod beneficium unitum per ipsam unionem quodammodo supprimatur, aut ut minus ita alteretur, ut primaevam suam naturam, et conditionem amittat.

Modi eam probandi varii apud DD. inveniuntur. 1. et efficacissime per litteras unionis. 2. si hae sint amissae, per testes, qui dictam scripturam viderint. 3. per instrumenta antiqua, in quibus facta unio, seu talia beneficia unita adstruuntur. 4. ex diuturnitate temporis: nam si beneficium ab immemoriali tempore sine collatione propria, et ut unitum alteri possessum fuit, in dubium revocari non debet, tametsi modo titulus, aut instrumentum unionis exhiberi nequeat. 5. ex confessione partis, si haec aliis conjecturis, et adminiculis adjuvetur; nam tunc etsi probatio haec probabilius non sufficiat ad unionis canonizationem, seu ad declarandum beneficium esse unitum, sufficiet tamen ad imponendum parti illi perpetuum silentium ad non impugnandam amplius unionem. Videantur Garc. *p.* 12. *c.* 2. *a n.* 296. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 4. *n* 3. Leur. *p.* 3. *q.* 932. *per totam.*

199

Quaeritur 9. a quo, et ex quibus causis unio ecclesiarum, vel beneficiorum semel facta dissolvi, seu revocari possit? Resp. Regulae generalis loco est, illum dissolvere unionem posse, qui potuit illam facere, juxta illud, *quod jussit, vel ejus praetor, contrario imperio tollere potest*; *l. quod jussit* 14. *de re judic.* Et hinc 1. ut unire, ita etiam unitas dissolvere ecclesias cathedrales potest solus pontifex, ut colligitur ex *c. novit* 1. *ne sed vacant.* ibi, *authoritate apostolica indulgentes etc.* et notat *ibid.* Fagn. *n.* 34. et 37. Pirh. *tit. cit. n.* 5. *not.* 2. 2. Episcopus dissolvere potest uniones beneficiorum sibi subjectorum: et hoc procedit non tantum, quando illae factae sunt ab episcopo, sed etiam quando a papa, vel ejus legato, nisi ex plenitudine potestatis pontificiae factae sint; Rebuff.

tit. de union. revocat. n. 15. *et* 16. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 29. *q.* 5. Garc. *p.* 12. *c.* 2. *n.* 302. *et duob. seqq.* Leur. *p.* 3. *q.* 936. *n.* 2. Van. Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 4. *n.* 5. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 4. *n.* 4. Pirh. *hic n* 221. quia papa uniendo noluit tollere potestatem ordinarii. 3. fieri dissolutio ista potest, ob easdem rationes, ob quas fieri potest ipsa unio, si sc. eandem fieri aut necessitas, aut utilitas ecclesiae evidens suadeat: imo sufficit, si causa, ob quam unio facta est, cesset; et aliquando etiam, quamvis ea non cessaverit, si alia causa supervenit, quae praevaleat causae unionis, suadeatque illius revocationem potius esse faciendam, quam unionem tolerandam; Rebuff. *n.* 1. *et seq.* Azor. *q.* 4. Garc. *n.* 305. Leur. *q.* 937. Van-Espen *n.* 2. *et seq.* Pirh. *l. cit.* et alii apud istos. 4. ut rite fiat, requiritur causae cognitio, consensus capituli, vocatio eorum, quorum interest unionem non dissolvi; Rebuff. *n.* 25. *et seq.* Azor. *q.* 6. Garc. *n.* 307. et 308. Pal. *n.* 4. Leur. *q.* 938. Van Espen *n.* 8. ubi notat, in dissolutione unionis minus exactam causae cognitionem facilius tolerari, quam in faciendam unione, quod illa, utpote beneficia ad primaevum et naturalem statum educens, sit favorabilis.

200

Effectus hujus revocationis est, quod ecclesia unita post revocationem unionis redeat in illum statum, in quo fuerat ante unionem: adeoque si prius erat sine cura, erit talis etiam post revocationem; si saecularis, manebit saecularis, et vicissim si regularis fuit, manebit regularis; item si monasterium per unionem cum ecclesia cathedrali erectum fuit in ecclesiam cathedralem, etiam soluta unione, manebit monasterium et desinet esse ecclesia cathedralis; Rebuff. *n.* 78. Garc. *n.* 309. Fagn. *in c. novit n.* 43. *e.* 44. Pirh. *ne sed. vac. n.* 5. *not.* 2. Jacob Emerix *decis.* 1025. *n.* 20. *et seqq.* Rota *decis.* 406. *n.* 19. *p.* 26.

201

Quaeritur 10. quid sit *dismembratio* beneficii, et quid requiratur, ut legitime fiat? Resp. *Dismembratio* tunc fieri dicitur, quando manente unitate beneficii, pars bonorum, vel fructuum ab eo auferatur, et alteri beneficio, vel ecclesiae, quae tenues reditus habet, ad hujus fabricam, vel ministrorum sustentationem applicatur; Garc. *p.* 12. *de benef. c.* 3. *n.* 1. *et* 2. Tondut. *q. benef. p.* 3. *c.* 156. *n.* 17. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 9 §. 10. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 222. Schamb. *ib. n.* 43. Leur. *q.* 946. Facere illam, justa causa hoc exigente, episcopus potest, ut colligitur ex *c. avaritiae* 10. *h. t.* per argumentum a sensu contrario; nam ibi dicitur, quod religiosi, quibus est incorpo-

rata parochia, sine consensu episcopi non possint diminuere portiones assignatas ipsorum vicariis: igitur cum consensu episcopi illud poterunt ex justa causa; gloss. *in c.* 10. *cit. V. reditus*, Barbos. *ib. n.* 1. Laym. *c.* 9. *cit. n.* 3. *princ.* Pirh. *hic n.* 223. Schambog *n.* 44. Debet autem causa talis esse, quae moralem necessitatem, et evidentem ecclesiae utilitatem indicet, et quidem talem, ut eidem alias opportune provideri non possit; card. de Luca *de regular. disc.* 27. *n* 4. *et de paroch. disc.* 34. *n.* 3. Leuren. *q.* 953. Unde citra istam praecise, quia ecclesia parochialis habet pinguiores reditus, non potest rectori ejusdem obtrudi adjutor cum dismembratione eorum; Leur. *l. citt.*

202

Praeter justam causam episcopus, ut rite faciat dismembrationem, adhibere debet solemnitates fere easdem, quae alias requiruntur ad rerum ecclesiasticarum alienationem; quia species ejusdem est. In specie vocandus est rector beneficii dismembrandi. 2. requirendus consensus ecclesiae, vel collegii, cujus canonicatus, vel beneficium est dismembrandum. 3. si ecclesia, vel beneficium dismembrandum sit vacans, petendus consensus defensoris. 4. vocandi patroni, si patronatum, et parochiani, si parochiale sit. 5. consentire in eandem debet etiam capitulum cathedrale, idque, etiamsi beneficium dismembrandum non spectet ad cathedralem, nec ei subjectum sit. 6. probabilius praemitti debet tractatus episcopi cum capitulo super dismembratione facienda; nam hic probabilius etiam requiritur ad unionem, ut dixi *supra n.* 189. Videatur Lotter *l.* 1. *q.* 28. *a n.* 5. Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 8. §. 2. *a n.* 15. Corrad. *prax. benef. l.* 3. *c.* 2. *n.* 2. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 10. *n.* 1. *et seq.* card. de Luca *de benef. disc.* 43. *n.* 4. *et de jur. patron. disc.* 66. *n.* 10. Leurent. *p.* 3. *q.* 954. *per totam.* Pirh. *hic n.* 223. *et* 224.

203

Dixi autem, *ab episcopo solemnitates has adhibendas*; nam quando a pontifice fit dismembratio, sufficit, si adsit justa causa, neque solemnitates juris positivi ad eam requiruntur, cum istas authoritas papalis suppleat; Lotter. *l. cit. n.* 160. card. de Luca *disc.* 45. *cit. n.* 9. Leur. *q.* 950. *n.* 2. Et idem est in dismembratione facta nomine papae per delegatum apostolicum, si tamen iste ad illum actum specialem delegationem habeat, quod papa demandando actum cum juris dispositione incompatibilem, implicite juri derogare, aut in eo dispesare censendus sit; card. de Luca *n.* 11. Addidi *adhibendas* sollemnitates fere easdem, quae ad alienationem rerum ecclesiasticarum requiruntur; non enim requiruntur omnes, et in specie

non requiritur beneplacitum apostolicum, quod per *extrav. ambitiosae* alias requiritur ad alienationem praedictam; card. de Luca *de reg. disc.* 64. *n.* 9.

204

Quaeritur 11. quid sit *divisio* beneficiorum, et quo pacto beneficia ecclesiastica dividi, et secari in duo possint? *Resp. Divisio, seu sectio beneficii* tunc fieri dicitur, quando ex uno beneficio fiunt duo, vel plura beneficia, ex una parochia duae parochiae, ex uno canonicatu duo canonicatus, ex una capellania duae capellaniae, ita, ut divisis fructibus, duo imposterum parochi, duo canonici, duo capellani instituantur; Garc. *p.* 12. *de benef. c.* 4. *n.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 9. §. 10. *n.* 3. Leur. *p.* 3. *for. benef. q.* 957. Pirh. *hic n.* 222. Sch. *n.* 43. Permittitur haec episcopo quoad beneficia sibi subjecta, si adsint justa causa, et legitimae conditiones; *c. vacante* 26. *h. t.* Garc. *n.* 3. Pal. Leur. *l. cit.* cum aliis passim; nam alias prohibita est in conc. turonens. relato; *c. majorib.* 8. *h. t.* et notat Pirh. *n.* 225. et ratio prohibitionis est, quia per divisionem alteratur, et mutatur status ecclesiae, quod sine justa causa fieri non potest.

205

Porro causa justa, et legitima divisionis est unica, nim. quod seclusa illa, obligationibus beneficio incumbentibus satisfieri non possit; Pal. *n.* 4. Leur. *q.* 958. *n.* 1. Hinc sequitur, non esse divisionem faciendam 1. praecise ideo, quod multiplicatione beneficiatorum augendus sit cultus divinus, si numerus illorum, qui defacto sunt, obligationibus suis implendis sufficiat; Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 62. Lamber. *de jur. patr. l.* 2. *p.* 1. *q.* 12. *art.* 7. Pal. *n.* 4. *cit.* Leur. *n.* 2. *Neque* 2. ut extinguatur lis, et inter litigantes concilietur concordia; haec enim alia via obtineri possunt, absque eo, quod beneficia dividantur, per reservationem videlicet pensionis, ut cum *cit.* advertit Garc. *p.* 12. *de benef. c.* 4. *n.* 4. et hoc teste resolutum est *in Calagurritana beneficii de ondategni. Neque* 4. quod parochia multitudine parochianorum abundet, si seclusa divisione, omnibus illis administrari possunt sacramenta ab ipso rectore, aliisque in adjutorium assumptis; Barbos. *ad trid. sess.* 21. *c.* 4. *de ref.* Pal. *l. cit.* Leur. *n.* 4. et sumitur ex ejusdem synodi textu allegato, ubi disponit, ut, antequam ad divisionem procedatur, *episcopi, - - - in ecclesiis parochialibus - - - in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum*: adeoque hoc remedium prius tentandum.

206

Praeter justam causam duae requiruntur conditiones, ut divisio haec legitime fiat ab ordinario. *Una est*, ut quaelibet portio, quae per divisionem beneficiariis assignata est, iisdem ad congruam sustentationem sufficiat; alias tenebitur episcopus redintegrare praebendam divisam, ut habetur *c. vacante* 26. *cit.* et notat *ib.* Barb. *n.* 1. possuntque provisi in praebendis ita divisis ad redintegrandum praebendas actionem instituere contra episcopum; glos. *in c. cit. V. integrare*, Abb. *ib. n.* 2. *not. ult. et n.* 4. Pirh. *hic n.* 228. Integratio autem ista fieri poterit ex reditibus abundantibus aliorum beneficiorum vacantium, ut statuitur *c. cit.* Si vero nec ex beneficio aliquo vacante, nec alio simili modo, videlicet ex bonis ecclesiae, vel capituli communibus, praebendas integrare possit episcopus, tenebitur interim novis beneficiatis providere ipse ex mensae suae reditibus, siquidem in culpa fuit, illegitime dividendo beneficium; Jo. And. *in c. cit. V. quae vocare*, Abb. *ib. n.* 3. Pirh. *n. cit.*

207

Altera est, ut episcopus, vel alius habens potestatem dividendi, intendat eligere, sive promovere duos ad duo jura, et beneficia de novo erecta, *c. dilecto* 25. *vers. praeterea, et ibi* glos. *V. augmentare* Ab. *in c. vacante cit. n.* 2. *not.* 1. Pirh. *hic n.* 233. nam unus beneficium simul duobus conferre non potest: si secus fieret, collatio, seu receptio foret irrita, ita, ut neutri jus acquiratur, ut patet ex *c. dilecto cit. c. tuae* 20. *eod*, et notat *ibid.* Vivian. *in rat.* Gonz. *num.* 2. Vvag. *in exeg.* Pirh. *hic n.* 230. 231.

208

Solemnitates requisitae pro divisione fere eaedem sunt, quae requiruntur in dismembratione. Unde ad faciendam vocandi sunt etiam rector beneficii dividendi, et parochiani, de quorum parochia dividenda agitur: qui, si justa causa divisionem exigente, restiterint episcopo dividere volenti, poterit nihilominus iste, etiam invitis ipsis ad divisionem procedere, prout constat ex trid. *sess.* 21. *c.* 4. *de ref. ibi, etiam invitis rectoribus*: his tamen, si divisione hac gravatos se putant, superest remedium appellationis, ad sedem apostolicam quidem, si eam episcopus fecit ut sedis apostolicae delegatus, ad metropolitanum autem, si tanquam ordinarius: appellatio tamen ista effectum non suspensivum, sed devolutivum habebit; Palao *n.* 6. Leur. *q.* 969.

§. IV.

De beneficiorum reservatione.

SUMMARIUM

209 *Definitio reservationis, et beneficii reservati.*
210 *Discrimen a beneficio affecto.*
211 *Modi, quibus fieri affectum potest.*
212 *Casus, quibus affectio locum non habet.*
213 *Potest pontifex reservare beneficium sibi.*
214 *Causæ reservandi.*
215 216 *Effectus reservationis.*
217 218 *Varietas.*
219 220 221 222 223 *Reservationes corpore juris communis clausæ.*
224 225 *Reservationes contentæ in extravagantibus.*
226 *ad* 231 *In regulis cancellariæ.*
232 233 234 *In concordatis Germaniæ.*
235 236 *In his aliqua reservantur ex persona possessoris.*
237 238 239 240 *Aliqua ex modo, quo vacant.*
241 242 243 *Aliae ex qualitate ipsius beneficii.*
244 *Aliæ reservationes*
245 *Quæ tamen probabiliter in Germania locum non habent.*
246 *Definitio annatarum.*
247 *Prima earum species.*
248 *Secunda.*
249 *Tertia, et quarta.*
250 251 252 *Justissime exiguntur.*
253 354 255 *Casus, quibus per adeptionem episcopatus beneficia prius obtenta non sunt reservata summo pont.*
256 *Inter quos non est casus, quo prius habitum ex dispensatione pontificis retinetur.*
257 258 *An reservatæ sint dignitates, et beneficia vacantia per privationem ob crimen ipso jure inductam?*
259 260 261 *An cathedralis ecclesiæ decanus, aut canonicus electus in episcopum, antequam confirmetur, decanatum, vel canonicatum suum resignare valeat in manibus capituli?*
262 263 264 *An id facere possit post obtentam confirmationem?*
265 266 267 268 269 *Quinam obligentur concordatis Germaniæ?*
270 271 272 273 *An concordatis derogari, vel contraveniri ab alterutra concordantium parte possit?*
274 275 276 *An derogari iisdem possit per consuetudinem?*

209

Quaeritur 1. quid sit *reservatio* beneficiorum? Resp. *Reservatio proprie dicta est alicujus beneficii ecclesiastici vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio.* Ita AEneas de Falconib. *de reservat. q.* 1. *pr. n.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 34. *q.* 1. Lott. *l.* 1. *q.* 26. *n.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 15. *n.* 1. Vall. *l.* 1. *de ben. t.* 7. *n.* 6. Coch. *ad reg.* 1. *canc. n.* 12. Leur. *p.* 2. *for. ben. q.* 522. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 317. Sch. *n.* 47. Vvies. *n.* 55. Ac proinde ea beneficia

reservata dicentur, quorum collationem superior, praecipue summus pontifex, ita sibi vendicat, ut inferioris collatoris manus liget, quo minus ab ipso ea valide conferri possint; *c. si eo tempore* 45. *de el. in* 6. *c. licet* 2. *h. t. in* 6. *et extrav. ad romani* 14. *inter com. eod.*

210

Dub. 1. quid sint *beneficia affecta*, et quomodo *reservatio* differat ab *affectione*? Resp. In superficie rem intuentibus videtur quidem affectio concordare cum reservatione; nam et ipsa potestatem conferendi beneficia sic affecta collatori inferiori aufert: differt tamen quamplurimum; nam 1. reservatio fit per pactum verbis expressum, quo papa declarat se beneficium suae dispositioni reservare; affecto vero fit ipso facto, ex quo tacita reservatio oritur, ut cum papa apponit manum beneficio ad effectum id conferendi; Gonz. *ad reg.* 8. *canc. glos.* 32. *n.* 2. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 13. *n.* 43. Claudio la croix *l.* 4. *theol. mor. numer.* 521. *cum citt.* 2. beneficium reservatum nunquam amplius conferre inferior collator potest; affectum vero, licet pro illa vice ab alio, quam papa conferri nequeat, postquam tamen provisio papae effectum est consecuta, si rursus vacaverit, conferri iterum a collatore ordinario potest; Azor *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 34. *q.* 5. Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 32. *n.* 4. Pal. *p.* 15. *cit. n.* 3. Leur. *p.* 2. *q.* 523. 3. Affectio habet locum etiam in aliis, quam beneficiis, ut in ordinibus; nam ordinatus a papa ordines superiores recipere nequit ab alio episcopo; *c. cum in distribuendis* 12. *de temp. ordin.* in cognitione causae, quam si papa cognoscere coeperit, aut commiserit alteri, a judice inferiore avocata censetur. Vide la Croix *l. cit. n.* 522.

211

Porro beneficium pluribus modis fieri affectum potest. 1. Si papa alicui det beneficium in commendam; nam tunc per obitum commendatarii affectum manet, ita, ut tunc solus papa illud conferre possit. 2. Si mandet alicui provideri de beneficio proxime vacaturo. 3. Si quis resignet beneficium, aut etiam jus ad rem in manus papae, etiam mense ordinarii, et papa resignationem accipiat. 4. Si papa electoribus praecipiat, ne ad electionem procedant. 5. Si in provisione apponat decretum, ut in manibus suis resignetur; nam si resignetur, ut supra dixi, est affectum. 6. Si ipse beneficium aliquod alicui conferat. Proceditque hoc, etsi collatio ob latens impedimentum clerici, vel ob subreptionem impetrationis sit invalida, ut communiter DD. notant contra Abb. *in cap. inter* 11. *n.* 10. *de excess. praelat.* qui putat casu, quo papa ejusmodi beneficium non reservavit, postquam semel collatum est invalide a pont. vel hujus delegato, potestatem conferendi redire ad ordinarium collatorem ex

ratione, quia papa tantum intendit providere certae personae, quae cum non fuerit capax beneficii, adeoque causa cesset, etiam cessabit affectio. Vide Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 1. *a n.* 138. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 34. *q.* 5. Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 52. *a n.* 11. Vall. *l.* 1. *de benef. tit.* 7. *n.* 11. P. la Croix *l.* 4. *cit. n.* 524.

212

Contra affectio locum non habet 1. si papa manum apposuit ad alium effectum, quam conferendi, e. g. ad imponendam pensionem. 2. Si conferre voluit, quia falso narratum fuit, quod reservatum sit, cum tale non esset. 3. Si conferre illud voluit ex causa permutationis, resignationis in favorem tertii, ob delictum beneficiati, et antequam actu conferat, vacet illud per obitum. 4. Si beneficium sit juris patronatus laicalis, aut mixti. 5. Si ex tali manus appositione resultaret praejudicium concordatorum. 6. Si ordinarius prior contulit Cajo, et papa posterior Titio, Cajus autem sibi collatum acceptare nolit. 7. Si appositio manus semel sit sortita effectum per provisionem secutam. Vide Gonzal. *a n.* 38. la Croix *n.* 525. Leur. *q.* 525.

213

Dub. 2. an pontifex possit reservare beneficium aliquod sibi, aut illud per manus appositionem affectum reddere? Resp. affirmative. Estque hoc omnino indubitatum, cum ipse amplissimam habeat potestatem disponendi de beneficiis ecclesiasticis, ut constat ex *c. licet* 2. *h. tit. in* 6. *et clem.* 1. *in fin. ut lit. pend.* quam nullum concilium tollere, vel restringere potest. Et quamvis ex arbitrio, et voluntate ejusdem pendeat, an beneficium aliquod reservare velit, aut affectum reddere, tamen ita moderate hac sua potestate utitur, ut numquam id faciat sine justa causa.

214

Porro causa reservationes beneficiorum inducendi potuit esse multiplex. 1. Et praecipue, ut constaret, quod omnium dignitatum, et beneficiorum ecclesiasticorum plenissima dispositio pertineat ad rom. pontificem, qui dum potestatem conferendi illa concessit episcopis, aliisque praelatis inferioribus, penes se majorem retinuit; *c. dudum* 14. *vers. nos igitur h. tit.* 2. ut papa haberet ampliorem facultatem subveniendi clericis egentibus recurrentibus ad sedem apostolicam, remunerandi eos, qui de ecclesia bene meriti sunt, et vel ipsi, vel antecessoribus suis servierunt, gratificandi magnatum precibus, quas pro aliis, ut beneficia iisdem conferantur interponunt; gloss. *in extrav. un. Joan. XXII. V. reservamus h. tit.* 3. ut ecclesiarum, et ecclesiasticarum personarum toto orbe existentium major esset communicatio cum ecclesia romana omnium matre, dum

non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus beneficiorum proventibus ab ea dependent, et influxum accipiunt; *can. per principalem* 21. *caus.* 9. *q.* 3. 4. Denique fortassis etiam, ut tolleretur confusio, aliaque haud sane levia incommoda, quae oriebantur saepe ex eo, quod idem beneficium a papa simul, et ordinario inferiore jure concursus conferretur duobus, sicque orirentur lites inter provisos, nonnumquam etiam ad incommoda istarum praevenienda ordinarii collationes praecipitarent, sine delectu personarum. Vide Chokier, *ad regul.* 8. *n.* 9. Leur. *q.* 525. Engl *hic n.* 8. Pirh. *n.* 319. Vviest. *n.* 58.

215

Dub. 3. quis sit *effectus* reservationis beneficiorum? Resp. Reservatio ligat manus inferioris collatoris, ita, ut hic conferre illud non possit amplius, et casu, quo iste de facto beneficium reservatum confert, siquidem reservationi adjectum sit decretum irritans, collatio sit nulla, ut statuitur *c. si beneficia h. tit. in* 6. et notant *ibi* DD. proceditque hoc, etsi talis collatio facta sit ex ignorantia sive juris, sive facti, ut habetur *c. cit.* et advertit *ibid.* gloss. *V. ab iis,* Lotter. *l.* 2. *q.* 26. *a n.* 3. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 13. *n.* 41. Leur. *p.* 2. *q.* 527. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 320. Engl. *ibid. n.* 8. Konig *tit. de concess. praeb n.* 17. Estque hoc ita verum, ut ejusmodi collatione quidem titulum coloratum proviso praebeat, ut cum *cit.* advertit Chokier *ad reg.* 1. *cancell. n.* 15. *et* 18. Nicolaris *ad concordat. tit. dub.* 2. §. 5. et patet ex *decreto Clem. VII. incipit. Admonet, ibi, declaramus praetensas collationes . . . . nullum titulum, vel colorem tribuisse, aut in futurum tribuere, etc.* Rationem dat Chokier *l. cit. n.* 19. *et* 20. quia tali casu non solum possessio beneficii reservati est nulla, sed etiam detentio illius omni adminiculo juris caret, utpote quae vitiatur a decreto irritante.

216

Ex quo sequitur 1. sic promotum ab ordinario collatore ad beneficium reservatum superiori, si eodem spolietur, de spolio non posse agere, ut bene notant DD. *cit.* et ratio patet, quia agens de spolio debet habuisse rei spoliatae possessionem. *Sequitur* 2. etsi ordinarius resignationem beneficii reservati acceptare possit, ab eodem tamen beneficium illud non posse conferri alteri, sed pro ejus collatione recurrendum ad papam; Chokier *l. cit. n.* 16. citans Simonett. *q.* 49. additque ex Granucio *in addit. ad Simonett. n.* 3. idem esse de permutatione. *Sequitur* 3. siquis ignorans ad beneficium reservatum ab ordinario collatore promotus est, et prius possessum dimisit, comperta nullitate collationis, modo beneficium de novo sibi ita collatum absque difficultate dimiserit, ad prius suum beneficium

libere reverti eundem posse, etsi hoc alteri interea collatum fuerit, ut expresse dicitur *cap. si beneficia cit.* et additur *ibid.* ratio, *ne talis ignorantia eis (cum sint sine culpa) praejudicialis existat.* secus dicendum, si sciverit reservationem a papa factam, vel postquam ignoravit, ostenso postea vitio, difficilem se exhibuit in novo beneficio dimittendo; tunc enim, ut iterum *c. cit.* statuitur, non recuperat prius dimissum, quia ipse in culpa est, quae merito poena hac plectitur.

Addidi autem in responsione, *si reservationi decretum irritans adjectum sit*: sola enim reservatio, sine decreto irritante, non impediret, quo minus ordinarius inferior beneficium valide conferre possit, cum utrumque requiratur copulative; Ancharan. *in c. si beneficia cit. not. 2. vers. sed hic quaero*, Franc. *ibid. n. 1. not. 2.* Pirh. *hic n.* 320.

217

Quaeritur 2. quotuplex sit reservatio beneficiorum? Resp. Duae constituuntur species reservationis generalis scilicet, et specialis. *Generalis* vocatur per quam non reservantur certa beneficia, nec pro certis personis, sed beneficia in communi, veluti omnia beneficia, quae sunt unius rationis, et generis, e. g. omnes ecclesiae parochiales, metropolitanae, cathedrales, omnia beneficia alicujus regni, vel dioecesis, omnes dignitates majores etc. *Specialis* dicitur, qua reservantur certa beneficia: quod multipliciter fieri potest. Et 1. quidem *ratione loci*, ut cum reservantur beneficia certae ecclesiae. 2. *Ratione certae qualitatis*, cum certa dignitas v. g. praepositura reservatur. 3. *Ratione personae*, si papa jubeat beneficium certae ecclesiae conferri Titio, cum vacaverit.

218

Utraque subdividi potest 1. in *temporariam*, dum nimirum papa reservat sibi collationem beneficii ad beneplacitum, et *perpetuam* dum eam reservat sedi apostolicae, suisque in pontificatu successoribus. *In fixam, et continuam*, ut est primarum dignitatum, et beneficiorum possessorum a collectoribus, subcollectoribus, officialibus sacrae sedis etc. et in *discontinuam*, *incertam, et eventualem*, qualis est illa ratione mensis, vel ratione loci, in quo contingit vacatio. 3. In *clausam corpore juris communis*, *et eam, quae est extra corpus juris communis. Prior* juxta verisimiliorem dicitur illa, quae in decretalibus, vel clementinis continetur. *Posterior*, quae in extravagantibus, regulis cancellariae, decretis aliis apostolicis et specialibus concordatis cum sancta sede continetur. Qualia concordata inter Nicolaum V. pont. et Fridericum III. imper. ac principes Germaniae ecclesiasticos, et saeculares inita sunt anno 1447.

per constit. incipit *ad sacram*; inter Leonem X. et Franciscum I. totius Galliae regni nomine 1516. *per constit.* incipit *primitiva*; inter eundem Leonem, et Sigismundum Bathorium Poloniae regem pro Polonia, quae concordata speciali *constit.* incipit *cum singularem* edita 5. *calend. decembr.* 1526. cum ampliatione confirmavit Clemens VII. His praemissis

219

Dub. 1. quae sint reservationes corpore juris communis clausae? Resp. Haec verisimilius unica est, et continetur *c. licet* 2. *statutum* 3. *c. praesenti* 34. *h. tit. in* 6. *et Clem. si duobus* 1. *ut lit. pend.* His juribus pontificis collationi reservantur beneficia vacantia *apud sedem apostolicam*, vel *in curia romana. Vacare* autem *apud sedem*, seu *in curia*, quod probabilius idem est, illud beneficium dicitur, quod vacat in loco, in quo causarum, atque litterarum apostolicarum audientia, et expeditio est, ut notant Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 1. *n.* 388. Lotter. *l.* 2. *q.* 27. P. Vvess. *ad concord. n.* 26. Vvex *Ariadn. p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. *n.* 1. Vviest. *hic n* 80. Durat reservatio haec tempore unius mensis numerandi a die vacationis; nam si intra hunc de beneficiis ita vacantibus sedes apostolica non provideat, eo elapso ab ordinariis collatoribus illa conferri valent, perinde acsi nulla unquam reservatio obstitisset, ut habetur *c. statutum cit.* et notat Faber *lib.* 1. *de fin. for. tit.* 2. *de fin.* 32. Chokier *ad reg.* 1. *cancell. n.* 23.

220

Excipiuntur, et reservationi huic non subjacent 1. *beneficia manualia*, seu ad nutum revocabilia, sive regularia illa sint, sive saecularia; quia in odiosis nomine beneficii non comprehenduntur; Garc. *p.* 5. *cap.* 1. *n.* 510. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 11. *n.* 1. *vers. porro*, Vall. *l.* 1. *tit.* 7. *n.* 13. Engl. *hic n.* 8. *vers. beneficia quoque*, Pirh. *ibid. n.* 325. Konig *de concess. praeb. n.* 24. *vers. ceterum*, Illsung *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 185. Jacob Emerix *decis.* 73. *n.* 1. *et decis.* 92. *n.* 1. Leur. *p.* 4. *q.* 534. *n.* 3.

2. *Beneficia*, quae sunt *juris patronatus laicalis*, si qualitatem istam non tantum ex privilegio, praescriptione, aut praesumptione in privilegio fundata, sed ex fundatione, constructione, dotatione habeant; quia papa juri patronatus sic quaesito non censetur derogare, nisi id specialiter exprimat; Garc. *n.* 57. Laym. *n.* 2. *princ.* Barbos. *in c.* 1. *h. tit. in* 6. *n.* 12. Passerin. *in c.* 2. *eod. n.* 2. *et* 11. Engl. *n.* 8. *cit. vers. est vero*, *et n.* 12. *vers. item prout*, Pirh. *n.* 324. Leur. *num.* 4.

221

3. *Beneficia regularia* ; quia in odiosis non censentur comprehensa , nisi exprimantur : quod tamen non sit in textibus *cit.* Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 8. *n.* 11. Barb. *allegat.* 57. *n.* 29. Leur. *n.* 5. Idem *dicendum* de iis , quae mensae praelatorum , vel monasteriorum pleno jure in perpetuum sunt incorporata ; quia nunquam vacare censentur , ut dictum est *n.* 154.

222

4. *Beneficia ecclesiae non numeratae* , seu *receptivae* , h. e. in qua non est certus numerus beneficiorum , et praebendarum ; quia defuncto beneficiato nec ipsa vacant , sed cum eo exspirant , et extinguuntur ; Garcia , Laym. Illsung. *cit.*

5. *Beneficia* resignata ex *causa permutationis* ; et juxta probabilem ex quacumque alia causa ; quia nec ipsa proprie censentur vacare ; Laym. Vall. Pirh. Illsung *cit.*

223

6. *Beneficia* , quae *vacant in urbe* , et ad eos pertinent , qui in urbe degunt, sed curiam non sequuntur ; quia haec papa confert jure non reservationis , sed ordinario , tanquam proprius episcopus urbis , Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 16. *n.* 9. Barb. *in c.* 1. *cit. n.* 14. Passer. *l. cit. n.* 13. Leur. *n.* 9.

7. Beneficia , quae ex consuetudine conferenda sunt *magistris theologiae* , aut *doctoribus juris canonici* ; et secundum quosdam *beneficia patrimonialia* ; Vall. Pirh.

8. Beneficia *parochialia* , vacantia , sede apostolica vacante ; nam eo tempore istorum reservatio cessat , et libera de illis dispositio spectat ad collatores ordinarios; *c. si apostolica* 35. *h. tit. in* 6. ubi ratio additur , *ne ipsarum vacatio diutina periculum animabus afferat* : quae ratio cum procedat etiam in casu , quo beneficium parochiale vacat , vivente adhuc pont. hinc etiam ad istum casum dispositionem *c. cit.* extendit Emerix *decis.* 1030. *n.* 5. ubi ait , ita saepius decisum a rota : cui tamen contradicit communior.

224

Dub. 2. quaenam beneficia sint reservata per constitutiones extravagantes ? Resp. His tum antiquae reservationes confirmatae , tum novae introductae sunt; nam 1. Bonifacius VIII. *extrav. piae* 1. *h. tit.* reservat provisioni sedis apostolicae dignitates , personatus , ecclesias , aliaque beneficia ecclesiastica , apud eandem sedem vacantia , decernitque irritum , quod secus per quemcumque quacumque authoritate scienter , vel ignoranter attentatum fuerit : quae tamen reservatio intelligi debet juxta determinationem *c. statutum* 3.

c. praesenti 34. *h. tit. in* 6. *et extravag. ad regimen* 13. *eod.* ut cum Vivian. *in extrav piae cit. in fin.* notat Pirh. *hic n.* 339.

2. *Extrav. execrabilis* 4. *h. tit.* statuitur, ut qui deinceps receperint dignitatem, vel personatum, vel officium, aut aliud beneficium earam animarum habens, si antea simile beneficium obtinebant, illo non solum ipso jure privati sint post obtentam pacificam possessionem secundi, sed etiam ex tunc statim dimittere primum coram ordinario debeant; alias etiam secundo ipso jure priventur: ipsa vero beneficia vacatura, vel dimissa ibidem sibi reservat pontifex, ita, ut siquis alius de iis disponere praesumat, illa dispositio sit irrita.

225

3. Benedictus XII. *extrav. ad regimen cit.* provisioni sedis apostolicae reservat. 1. patriarchales, archiepiscopales, et episcopales ecclesias; item monasteria, prioratus, dignitates, officia, et beneficia quaecumque, etiam consueta conferri per electionem, aut quemvis alium modum, si apud sedem apostolicam vacaverint. 2. Vacantia per depositionem, privationem, translationem, consecrationis susceptionem; electionis, aut postulationis cassationem, muneris renuntiationem, authoritate apostolica inductam. 3. Vacantia per obitum cardinalium, legatorum, et aliorum sedis apostolicae officialium. 4. Vacantia per promotionem ad dignitates majores, patriarchalem, archiepiscopalem, abbatialem, authoritate pontificia factam, postquam sic promoti pacificam possessionem dignitatis collatae acceperint.

4. Paulus II. *extrav. ult. h. tit.* decernit omnia, et singula beneficia, per romanos pont. hactenus reservata, vel imposterum reservanda, ac etiam quovis modo vacantia, vel vacatura, per ejusmodi reservationem remansisse, vel remanere semper affecta, nullumque de illis, praeter romanum pont. illa vice quovis modo disponere posse, et quidquid contra attentatum fuerit, decernit irritum.

Dub. 3. quae reservationes sint factae in regulis cancellariae? Resp. In his plures sunt factae.

226

In I. regula renovantur reservationes *extrav. ad regimen*, *et extrav. execrabilis*, et reservantur papae omnia beneficia vacantia et vacatura in utraque hac *extrav.* reservata. Et extenditur haec reservatio 1. ad beneficia; quae officiales sedis apostolicae ibi expressi tempore, quo officiales essent, obtinebant, licet ante obitum officiales esse desierint. 2. Ad beneficia, quae notarii ejusdem sedis, etiam dimissis ipsis officiis, et quandocumque fuerint assecuti. 3. Ad beneficia omnia tam obtenta, quam obtinenda, de quibus

ordinarii, aliique collatores contra decreta, et formam concilii trid. disposuerunt, vel in posterum disponent, v. g. si contulerint beneficium carenti legitima aetate, aut non habenti qualitates ab eodem concilio requisitas etc. Intellige, si scienter hoc fecerint; secus, si per justum errorem facti, ut quia adhibita debita diligentia, ordinarius existimavit provisum habere debitam aetatem, et alia requisita. Et ratio disparitatis est, quia reservatio facta est in odium ordinariorum, disponentium de beneficiis contra decreta concilii, quod odium cessat, cum cessat culpa; Chokier *ad reg.* 1. *cit. n.* 11.

227

In regula II. reservantur pontifici 1. omnes ecclesiae patriarchales, primatiales, archiepiscopales, episcopales, et monasteria virorum, si monachis sint destituta, vel commendari solita, et valorem 200. flor. auri communi aestimatione non excedant. 2. Beneficia omnia, quae ad collationem episcoporum, vel abbatum, aut aliorum collatorum spectant, et post obitum, resignationem, translationem, privationem illorum, vel alias quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem successorum, apostolica authoritate faciendam, et adeptam ab eisdem successoribus pacificam possessionem. Haec regula locum non habet in Germania, ubi episcopatus sunt electivi, et beneficia, quae sede vacante vacant, conferuntur a successore. Cessat etiam reservatio ista in Gallia per concordata, et jus regaliae, quo sede episcopali, vel archiepiscopali vacante, rex ecclesiae vacantis proventus administrat, beneficiaque ipso facto, vel jure vacantia, quamdiu ecclesia suo pastore viduata est, confert; Chokier *ad reg.* 2. *n.* 13.

228

In regula III. quae in recentioribus adjecta est, extenditur, et ampliatur *extrav. execrabilis cit.* ac prohibetur ne qui secundum beneficium incompatibile cum priori accepit, illud in fraudem apostolicae reservationis, nulla de eo facta mentione, resignare praesumat.

In regula IV. antiquitus *III.* reservantur 1. omnes dignitates majores post pontificales in cathedralibus ecclesiis, nec non principales in collegiatis, si valorem decem florenorum auri communi aestimatione excedant. Quod intellige de una tantum in singulis ecclesiis, nempe quae prima, seu principalis est, quocunque nomine donetur. *Excipitur*, si in una ecclesia duae, vel plures sint dignitates aeque praecipuae; nam tunc affirmandum omnes reservatas esse, quia cum reservatio supra dicta effectum habere debeat, et nulla appareat specialis ratio, ob quam potius unam dignitatem, quam aliam reservatio illa afficiat, omnes comprehendere debet, praeci-

pue cum verba legis omnibus aptari possint; Mandos. *ad reg.* 3. *cit.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 34. *q.* 10. *vers. quaeres deinde*, Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 1. *n.* 265. Leur. *p.* 2. *q.* 546. *n.* 2. 2. Reservantur prioratus, praeposituraе, et aliae dignitates regulares conventuales, et praeceptoriae generales ordinum quorumcunque, sed non militarium, etc. quae reservatio ut locum habeat, duo observari debent. *Unum* est, ut dignitates istae sint perpetuae; nam temporales, quae ad nutum superiorum auferri possunt, ut ordinum mendicantium, non reservantur; Garc. *l. cit. n.* 272. Chokier *ad reg. cit. n.* 25. Barbos. *alleg.* 57. *n.* 104. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 19. *n.* 6. *alterum*, ut non regantur per Abbates (de his enim agit regula secunda) sed per praepositos, et priores, quorum electio non sit a religiosis simul congregatis, quales sunt, quae dari in commendam solent. 3. Reservantur beneficia quaecumque, quae papae, vel cardinalium familiares, et commensales, familiaritate durante, obtinebant, aut obtinent, aut obtinebuntur: ad quod tamen requiritur, ut familiaritas haec duraverit aliquo tempore, quo regulae hac locum habent; nam si duraverit sede papali vacante, reservationem non inducit, quia papa mortuo, regulae cancellariae exspirant.

229

In regula V. alias *IV.* reservantur generaliter beneficia omnia ecclesiastica, quae quicumque collectores, vel subcollectores fructuum camerae apostolicae debitorum in quacumque civitate, vel dioecesi, durante hoc eorum officio, obtinebant, et in quibus, seu ad quae jus tunc eis competebat. Et sufficit sola deputatio ad hoc officium, etsi ad illud deputatus non exercuerit potestatem officii; imo licet istud nondum acceptaverit, vel sibi datum resciverit; Mandos. *ad hanc reg. q.* 4. Chockier *n.* 19. *et* 20. Leuren. *q.* 548. *n.* 3. Aliud dicendum de familiaritate; quia haec consensu utriusque partis tantum contrahitur, sicut societas.

In regula VI. olim *V.* reservantur beneficia curialium quorumcunque, quos, dum curia romana de loco in locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit, in quocumque loco, quantumcunque etiam remoto a dicta curia: quibus ultimis particulis extenditur constitutio *c. praesenti* 34. *h. tit. in* 6. ubi beneficia curialium reservantur solum, si decesserint in loco remoto ad duas dietas.

230

In regula VII. reservantur beneficia cubiculariorum, et cursorum summi pont. Intelliguntur autem hic etiam cubicularii extra muros, seu honoris causa nuncupati, prout teste Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 21. *n.* 2. declaravit Urbanus VIII. Et patet ex regulis cancella-

riae innovatis per posteriores pont. ubi hoc loco adjecta leguntur haec verba : *cubiculariorum etiam honoris nuncupatorum.*

In regula VIII. reservantur canonicatus, praebendae, dignitates, personatus, et officia in basilica principis Apostolorum, s. Joannis lateranensis, ac B. Mariae majoris in urbis ecclesiis : nec non beneficia quaecumque, ad collationem, provisionem, praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem sanctae rom. eccl. cardinalium, ratione episcopatus cardinalatui annexi, aut tituli, vel diaconiae ad ipsos spectantia, si abfuerint Roma sine causa legitima : secus, si ex causa legitima, et cum licentia papae ; nam horum beneficia non reservantur, ut notat Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 36. *q.* 10. *reg.* 7. §. *quaeres*, Barbos. *alleg.* 57. *n.* 136. Pal. *p.* 21. *cit. n.* 5. Vvagn. *ad hanc reg.* Engl *n.* 25. *hic*, Pirhing. *n.* 352.

231

In regula IX. dispositioni papae reservantur beneficia omnia, qualitercumque qualificata, mense januario, februario, aprili, majo, julio, augusto, octobri, et novembri aliter, quam per resignationem in manus ordinarii, quomodocumque vacantia, ad quorumcunque dispositionem (non tamen cardinalium, aut aliorum, sub certis concordatis comprehensorum) pertinentia etc. Episcopis tamen, qui resederint in sua ecclesia, alternativa mensium in collatione indulgetur. Verum de hac reservatione dicetur §. *seq.*

Porro reservationes istae non extenduntur ultra vitam summi pont. qui regulas has curavit promulgari ; nam illo mortuo, etiam istarum exspirat vis, et authoritas, donec a recens electo summo pont. denuo promulgentur. Unde beneficia vi earum alias reservata, si sede apostolica vacante vacent, libere conferunt episcopi ordinaria sua potestate, quae per mortem pontificis vinculo reservationis soluta est; Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 12. *n.* 1. Chokier *ad reg.* 1. *n.* 23. Leuren. *p.* 2. *q.* 539. *n.* 3.

232

Dub. 4. quaenam beneficia reserventur papae in concordatis Germaniae ? Resp. In his renovantur, et confirmantur reservationes factae *in extrav. execrabili*, *et extrav. ad regimen citt.* Et quidem prior, cum nulla ei adjecta sit modificatio ; vi concordatorum servari in Germania debet ex integro ; posterior non nisi sub modificatione, quae multiplex in memoratis concordatis additur, ut videre est apud Chokier, *reg.* 1. *n.* 23. Vvagn. *ad concord.* §. 1. *n.* 1. *et seqq.* Leuren. *p.* 2. *q.* 598. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 357.

Nam 1. per *extrav. ad regimen cit.* reservantur beneficia etiam vacantia per suspensionem muneris consecrationis ; non item in concordatis Germaniae.

233

2. *Extrav. cit.* reservantur a Benedicto XII. beneficia, quibus Joannes XXII. ejus antecessor manum apposuit: eadem non reservantur in concordatis, imo non potuerunt reservari, quippe cum laudatus Benedictus plus, quam 100. annis ante Nicolaum V. bullae concordatorum authorem, fuerit mortuus, et sic nemo amplius superstes fuerit ex iis, de quorum beneficiis Joannes XXII. aliquid disposuerat.

3. In *dicta extrav.* indistincte reservantur beneficia officialium sedis apostolicae vacantia per illorum obitum; at vero in concordatis Germaniae id restringitur ad tempus, quamdiu ipsi dicta officia actualiter tenent, ut adeo, si prius illa deponant, quam moriantur, reservatio ipsorum beneficiorum cesset juxta constitutiones *pastoralis* editam ab Eugenio IV. *prudie calend. novemb.* 1441. et Pii IV. incipit *laudanda* editam *cal. Febr.* 1458.

234

4. *In eadem extrav.* inter officiales, quorum dignitates, beneficia, et officia, si vacent, reservata sunt, absolute ponuntur commensales, et quilibet alii capellani pontificis; at vero in concordatis ponuntur officiales quidam certo numero, et qualitate, videlicet vicecancellarius, camerarii, septem notarii, auditor litterarum contradictarum, auditores causarum palatii apostolici, correctores, centum, et unus scriptores litterarum apostolicarum, et viginti quatuor poenitentiariae ejusdem sedis, 25. abbreviatores, nec non veri commensales papae, et alii 25. capellani praefatae sedis in epitaphio, h. e. syllabo, seu albo curialium descripti.

5. In concordatis reservantur papae ecclesiae, ac beneficia authoritate litterarum apostolicarum collata, vel imposterum conferenda cum limitatione duplici, si *immediate* collata sint, et nisi virtute gratiae exspectativae assecutio fiat: quarum neutra ponitur in *extrav. cit.* et forte ideo in concordatis additur, ne ordinarii collatores nimium gravarentur, si non possent beneficia vacantia per assecutionem pacificam alterius beneficii incompatibilis, virtute gratiae exspectativae alicui collati, aliis libere conferre; Pirh. *hic n.* 357. Leur. *q.* 598. *n.* 2.

235

Quaeritur 3. quaenam dignitates, et beneficia in specie per concordata Germaniae sint reservata summo pontifici? Resp. Haec ad tres species reduci possunt; nam aliqua reservantur ratione personae, quae ipsa possederat, alia ratione modi, quo vacant, alia ex qualitate ipsius dignitatis, vel beneficii, quod reservatur.

Ex persona possessoris reservantur 1. dignitates, et beneficia ecclesiastica vacantia per obitum alicujus S. R. E. cardinalis, ubicumque decedat; *concord.* §. *placet. nobis.* Hinc si etiam in Germania nostra episcopus cardinalis obeat, capitulum cathedrale successorem eligere non potest, nisi de indulto speciali sibi providerit; Branden *ad concord. q.* 6. *n.* 11. Estque indultum hoc ita necessarium, ut sine illo celebrata electio viribus careat, et cassanda sit, prout cassata olim fuit in consistorio apostolico apud Branden *l. cit. n.* 12. Electio, quae vacante per obitum serenissimi Philippi sac. rom. eccl. cardinalis ex domo bavarica assumpti sede ratisbonensi, a canonicis ibidem celebrata fuerat in favorem Sigismundi Friderici Fuggeri, cui tamen propter merita personae, quantumvis nulliter electae, sanctissimo de dicta ecclesia placuit providere. Hinc laudatissimus mos est, quem vigere intelligo in cathedrali ecclesia passaviensi, in qua se quilibet canonicus, pro casu, quo episcopus factus, cum tempore assumetur ad purpuram, se obstringit, quod antequam istam admittat, procurare Roma indultum papale velit, ne dignitas cardinalitia impedimento sit liberae electioni post ejus mortem: quem morem etiam tenuit *glor. mem.* reverendissimus, et eminentissimus princeps, ac dominus Joannes Philippus cardinalis Lambergius, cui proinde jure per indultum ab hoc impetratum sibi quaesito reverendissimum capitulum cathedrale ad eam cathedram nuperrime elegit successorem reverendissimum, et illustrissimum dominum Raymundum Ferdinandum comitem de Rabatto, infula ista dignissimum, quem Deus opt. max. diu sospitet.

236

2. Dignitates, beneficia, et officia, quae vacant per obitum officialium sedis apostolicae cum limitatione expressa *conc.* §. *placet cit.* et relata *supra n.* 234. Atque hanc ob causam, mortuo in Urbe Francisco Orano s. palatii auditore, tres praepositurae, quas in dioecesi Leodiensi obtinuit, quantumvis alias electivae essent, ab ipso summo pont. collatae sunt; Brand. *q.* 6. *cit. n.* 6.

3. Beneficia commensalium non fictorum, et titularium, quod statuitur *extrav. ad regimen, et reg. canc.* 4. sed prout per *concord.* §. *placet cit.* limitata est verorum dumtaxat, et quidem non cardinalium, ut habetur *cit. reg.* 3. sed papae tantum: quales ultra officiales *n.* 234. relatos sunt sedis apostolicae referendarii, protonotarii, auditores rotae, cubicularii, secretarii, subdiaconi, acolythi, et alii officiales, qui ex palatio apostolico panem, seu victum habent, et in eo summo pontifici deserviunt, ac custodiam habent, sive in eodem palatio habitent, et comedant, sive non.

§. Dignitates, ac beneficia quorumcumque sedis apostolicae legatorum, collectorum fructuum, et proventuum camerae apostolicae debitorum, et in terris romanae ecclesiae rectorum, ac thesaurariorum deputatorum, seu missorum, ubicumque eos, antequam ad curiam romanam redierint, seu venerint, ab humanis rebus eximi illos contigerit; §. *placet cit.*

237

Ex modo, quo vacant, reservantur beneficia, et dignitates, quae vacant apud sedem, seu in curia; §. *placet cit.* Ex hoc capite reservantur

1. Dignitates, etiam episcopales, et beneficia quaecumque eorum, qui cujuscumque negotii causa ad curiam apostolicam accedunt, aut ab ea recedunt, si vel extra illam in loco aliquo, ultra duas dietas, seu octo, aut decem millaria Germanica non remoto moriantur; §. *placet cit.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 11. *n.* 1. *vers. quarto.*

2. Beneficia curialium, qui dum curiam ab uno loco in alterum translatam sequuntur, in itinere, et loco ultra duas dietas non remoto moriuntur. Estque perinde, sive infirmitatis, sive peregrinationis, sive etiam recreationis, aut alia quavis ex causa ibi fuerint, modo domicilium proprium ibidem non habeant; quia isti ex animi destinatione, aut negotiorum, seu causarum qualitate continuant curialitatem; Vagn. *in c.* 34. *vers. si eos h. t. in* 6. Engl. *n.* 10. *hic not.* 3. Konig *t. de conc. praeb. n.* 18.

138

Vacantia per resignationem factam in manibus papae. Procedit-que hoc, etiamsi facta sit mediante procuratore extra curiam papae constituto; Vall. *l.* 1. *de ben. t.* 7. *n.* 9. Barb. *in c.* 34. *n.* 2. *h. t. in* 6. Passer. *in c.* 2. *eod. n.* 7. *ut* 9. Engl. *hic n.* 9. *vers. attamen in fin.* Konig *l. cit. n.* 19. *Ratio est*, quia beneficium, cui papa resignationem ejus admittendo manus apposuit in curia vacasse intelligitur; Gonz. *in reg.* 8. *glvs.* 52. *n.* 7. Barb. *all.* 57, *n.* 22. Vvies. *hic n.* 83. qui cum aliis reservationem hanc etiam extendit ad casum, quo beneficium aliquod resignatum est in manibus episcopi proprii in curia existentis.

239

4. Vacantia per depositionem, privationem, translationem episcopi, vel beneficiati ab una ecclesia ad aliam, siquidem depositio, privatio, et translatio facta sit authoritate sedis apostolicae; §. *placet cit.* quia beneficium ibi vacare intelligitur, ubi fit actus, quo inducitur privatio; Franc. *in c. praesenti* 34. §. *sane n.* 4. *h. t. in* 6. Garc. *p.* 3. *de ben. c.* 1. *n.* 73. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 11. *n.* 1. *vers. quinto* Barb. *alleg.* 57. *n.* 24. Ex hac causa superioribus annis capitula cathedralia Ratisbonense, et Frisingense, dum ecclesiae ipsorum

per serenissimi electoris coloniensis principis, et episcopi sui ad leodiensem ecclesiam translationem pontificia authoritate factam vacabant, ad episcopi electionem procedere non potuissent, nisi eligendi facultas ex speciali sedis apostolicae gratia eisdem fuisset indulta; Vviest. *hic n.* 87.

240

5. Dignitates, et beneficia eorum, qui authoritate apostolica promoti sunt ad patriarchales, archiepiscopales, vel episcopales ecclesias, aut monasteriorum regimina; §. *placet cit.* Neque refert, etsi ecclesiae istae electivae sint, sicut in Germania capitulum cathedrale habet jus eligendi episcopum; siquidem per electionem talem non censetur vacare beneficium prius habitum ab electo, sed primum accedente confirmatione papali, et adepta possessione; Laym. *n.* 1. *cit. vers. secundo.* Extenditur §. *placet cit.* reservatio haec etiam ad prioratus, dignitates, personatus, et alia quaecunque beneficia, a papa, sive litterarum apostolicarum authoritate immediate obtenta; nam per assecutionem pacificam istorum prius obtenta, si incompatibilia sint, et dispensatio non impetretur, vacant in curia, et sedis apostolicae dispositioni sunt reservata.

241

Denique *ex qualitate dignitatis*, *vel beneficii specialis* reservantur 1. ecclesiae archiepiscopales, et praefecturae monasteriorum exemptorum, et immediate subjectorum summo pontifici; nam etsi in his per concordata Germaniae, §. *item placet* libera permittatur electio, triplex tamen quoad illa *in* §. *cit.* reservatio ponitur. Nam 1. *ibi* pontifex indistincte sibi reservat in his ecclesiis confirmationem electionis a capitularibus factae, cum plenitudine potestatis, aliquando loco personae electae aliam digniorem, et utiliorem substituendi, ex causa tamen rationabili, et evidenti, ac de cardinalium consilio. 2. reservat easdem provisioni apostolicae jure devolutionis, si illi, penes quos erat, sede vel ecclesia vacante, successorem eligere, intra praescriptum tempus, quod regulariter est trimestre; *c. ne pro dejectu* 42. *de elect.* electionem non celebraverint, vel celebratam intra tempus jure praefixum non praesentaverint, vel praesentaverint quidem, talem tamen, quae minus canonica fuerit. 3. eidem apostolicae provisioni reservat dictas ecclesias, nec non dignitates, beneficia, et officia ecclesiastica quaecumque, sive saecularia, sive regularia, ad quae aliqui in concordia, vel discordia electi sunt, vel postulati, si eorum electio cassata, vel postulatio repulsa, aut etiam ab ipsis facta renuntiatio a sede apostolica acceptata fuerit, ut habetur *extrav. ad regim. cit.* quae quoad hoc per concordata Germaniae non fuit modificata, vel restricta, ut ostendit Pirh. *hic n.* 360.

242

2. In quavis ecclesia cathedrali reservatur summo pontifici dignitas proxima episcopali, et in quavis collegiata illa, quae ibi est principalis, nisi per speciale privilegium exemptae sint; *concord. §. de ceteris.* Porro quaenam in ecclesiis cathedralibus sit proxima episcopali, et in collegiatis principalis, desumendum est ex cujusque patriae consuetudine, ut bene notat gloss. *antiqua in reg.* 3. *cancell.* Azor. *p.* 2. *c.* 34. *q.* 19. *vers item dignitates,* Cock. *ad reg.* 3. *cit.* Vviest. *ad concor. n.* 25. Vvies. *hic n.* 103. In Gallia teste Azor. *l. cit.* major dignitas est decanatus; in Germania praepositura; Illsung *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 186. *n.* 19. *et* 20. Et hinc per concordata Germaniae pontifici reservatae sunt omnes praeposituraе tum cathedralium, tum collegiatarum ecclesiarum; ubi vero in collegiatis nulla existeret praepositura vicem principalioris dignitatis obtinebit decanatus, ac proinde ipse erit reservatus pontifici; Nicolarts *ad conc. t.* 1. *dub.* 1. §. 10.

243

Dixi, *nisi per speciale privilegium exemptae sint.* Nam ita exempta est, 1. praepositura cathedralis ecclesiae augustanae, quae ex indulto Alexandri VI. ex ejus capitularium electione obtinetur; Branden. *ad concord. q.* 12. *n.* 2. 2. Monasteriensis Vvestphaliae ex privilegio concesso per Paulum V. 1618. P. Vvex *Ariadn. p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. *n.* 6. P. la Croix *l.* 4. *n.* 507. 3. Elvacensis, quae cum adhuc regularis erat, electiva fuit, et nunc etiam postquam in saecularem transiit, sede apostolica indulgente, talis manet; Vviest. *hic n.* 104. 4. Praepositurae omnes cum cathedralis, tum collegiatarum ecclesiarum civitatis, et dioecesis leodiensis; nam hae electivae sunt vigore concordatorum, et indultorum Eugenii IV. et aliorum summor. pont. quae indulta confirmavit Urbanus VIII. *constitutione*, incipit, *clerum leodiensem edita cal. april.* 1626 modo intra 30. dies, a die vacationis numerandos, electio fiat, et confirmatio petatur a s. sede infra 6. menses a die electionis computandos; Chok. *ad reg.* 3. *num.* 16. Brauden, *n.* 2. *cit.* Nicolarts *dub.* 1. *cit.* §. 12. La croix *l.* 4. *num.* 507. 5. Praepositurae, seu primae dignitates ecclesiarum Bavariae extra civitates episcopales, quae vigore juris, seu privilegii specialis conferuntur ad nominationem serenissimorum ducum, et electorum illius provinciae. Verum haec privilegia ecclesiis istis concessa, ut bene advertit P. Vvex *n.* 6. *cit.* intelligi debent procedere, modo non aliunde, quam ex concordatis, talis dignitas sit reservata pontifici, uti foret in casibus supra tactis.

244

Quaeritur 4. an praeter reservationes hactenus relatas adhuc dentur aliae, et quantum istae germanos obligent. Resp. *Ad* 1. af-

firmative ; sic enim 1. per bullam S. Pii V. incipit *cum ex apostolatus officio* reservantur beneficia quaecumque propter haeresis crimen vacantia. 2. per bullam ejusdem Pii V. incipit *romanum pontificem* beneficia vacantia propter crimen simoniae, et simoniacas resignationes, sive, ut loquuntur, beneficia in confidentiam accepta. 3. Parochiae non collatae secundum formam trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de reform.* ab eodem pont. per bullam incipit *in conferendis*. 4. Beneficia resignata, quorum publicatio non, ut oportebat, est facta in ecclesia beneficii, et cathedrali, praesente populo juxta formam praescriptam a Gregorio XIII. in bulla incipit *humano vix judicio*. 3. beneficia offendentis litigantes in curia romana, eorumque advocatos, judices et testes, sive litigetur circa causam profanam, sive circa beneficialem, sive offensio fiat minis, sive verberibus, aut invasione juxta constitutionem Alex. VI. incipit *in eminentia*. De quibus vide Chokier *ad reg.* 1. *n.* 23. *vers.* 24. *casus*, *et seq.* Engl *hic n.* 17. *vers. tertio*, *et seq.* Konig *de concess. praeb. n.* 24.

245

Ad 2. de hoc late disputat Engl. *n.* 18. et tandem inclinat in negativam : cui assentiuntur P. Konig *l. cit.* la Croix *l.* 4. 152. *vers. nec* 2. *obstat*, P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 183. et videtur hoc sumi ex *concordatis* §. *de ceteris* 5. ubi pontifex Nicolaus V. diserte promisit, quod extra casus ibidem expressos in mensibus ordinariorum collationem impedire minime velit, *reservatione*, inquit, *aliaque quavis dispositione*, *authoritate nostra factis*, *vel faciendis*, *non obstantibus quibuscumque*. Additque *in fine cit.* §. hanc constitutionem *duraturam deinceps*, *usque dum in futuro concilio de consensu nationis germanicae aliter fuerit ordinatum*: quod sane circa praedictas bullas haud quaquam factum fuisse constat. *Neque obstat*, quod pontifex, ut cuivis legi a se sancitae, ita etiam concordatis derogare possit, ut *infra n.* 271. dicam ; nam etsi hoc simpliciter verum sit, non tamen solet, nec censetur iisdem derogare velle, nisi expresse mentionem illorum faciat.

246

Ex his, quae in concordatis continentur, una adhuc referenda superest non quidem beneficii, sed fructuum reservatio, per modum pensionis solvendae sedi apostolicae. Pensiones istae *annatae* vocantur. Definiri possunt, quod sint pensiones, sive certae quantitates pecuniae, quae de episcopatuum, aliarumque dignitatum, et beneficiorum ecclesiasticorum vacantium fructibus primi anni, et ratione eorum camerae apostolicae solvuntur ; Fagn. *in c. praeterea* 1. *ne praelat. vices et etc. n.* 8. Leuren. *p.* 2. *for. benef. q.* 601. *n.* 1. Vvex *Adrian. p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 2. *princ.* la Croix *l.* 4.

n. 674. Pirh. *n.* 365. Vviest. *ibid. n.* 145. a Fagn. *l. cit. n.* 9. quatuor distinguuntur.

247

Prima, quae etiam proprie, et specifice *annata* dicitur, est dimidia pars fructuum primi anni camerae apostolicae solvenda de beneficiis inferioribus, et regularibus, quae a papa non consistorialiter conferuntur, si eorum valor, sive reditus annuus 24. florenos auri de camera, sive ducatos excedat secundum ejusdem taxam: quae tamen ita moderata est, ut Germaniae, et Hispaniae canonicatus omnes, etsi verus redituum valor ad 1000. ducatos ascendat, in camera tamen, non nisi 24. ducatis aestimentur. Hinc ex illis annatae non solvuntur; Chokier *ad reg.* 61. *n.* 21. Zypaeus *l.* 1. *consult.* 6. Nicolarts *tit.* 2. *dub. un.* §. 2. et hoc teste multoties est decisum a rota: imo eo casu nihil omnino penditur, nisi quod pertinet ad bullae expeditionem; Vvagn. *ad concord.* §. *placet similiter vers. de fructibus not.* 2. *et vers. quae valorem not.* 1. Leuren. *p.* 2. *q.* 601. *n.* 2. *et* 4. Pirh. *hic n.* 365. *not.* 2. Vviest. *n.* 148.

248

Secunda species *in concord.* §. *placet similiter* ab Italis *communia servitia* appellantur, quod non, ut prior, integra, relinquatur summo pontifici, sed dimidium tantum ipsi, alterum dimidium cardinalibus praesentibus obveniat, ut observat Fagn. *l. cit. n.* 11. *in fin.* Solvitur de praelaturis *consistorialibus*, sic dictis, quod a pontifice in consistorio cardinalium, rogatis eorum sententiis, conferantur. Tales in Germania nostra sunt archiepiscopatus, episcopatus, et aliae praelaturae principales tam regulares, quam saeculares, sedi apostolicae immediate subjectae, ut Campidunensis, Fuldensis, Elvacensis etc. Annatarum istarum nomine de jure pendi deberent fructus integri, qui primo anno ex episcopatu, vel praelatura hujusmodi percipiuntur, ex benignitate tamen apostolica taxa in libris camerae ita moderata est, ut quintam partem annuorum fructuum aere non excedat. Et quidem solvi haec debet non tota in uno anno, sed dimidia primo, altera dimidia secundo. Et quando praelatura bis eodem anno, aut saepius vacat, non plures, sed una tantum annata solvenda est: nec onus solvendi ad successorem transit. Estque paratus pontifex vi concordatorum, §. *placet similiter cit.* ad taxam hanc mitigandam, si appareat, quod beneficia aliqua excessive taxata sint.

249

Tertia annatarum species vocantur *servitia minuta*. Eo nomine veniunt portiones illae, quae secundum proportionem taxae fructuum episcopalium, vel abbatialium inter certos papae ministros, et offi-

ciales distribuuntur. *Minuta* dicuntur, tum quia sunt minutae partes annatae tum quia dividuntur inter minores ministros; Fagn. *l. cit.n.* 12.

Quarta denique *quindennia* appellatur. Sunt dimidia pars fructuum unius anni camerae apostolicae singulis 15. annis solvenda de beneficiis quibusdam unitis, aut ex speciali privilegio liberatis a reservatione. Ejusmodi quindennia hodie solvuntur de praepositura augustana, quod cum aliarum instar esset reservata, speciali indulto papae, ut dictum est *n.* 343. facta sit electiva; Fagn. *l. cit. n.* 13. Vvgn. *vers. de fructibus cit. not.* 3. Pirh. *hic n.* 365. *not.* 3. Vviest. *n.* 149.

250

Adversus annatarum istarum exactionem non solum haeretici (quod mirum esse non debet) debacchati sunt semper, sed etiam ex catholicis fuerunt quidam, qui earum tum antiquitatem, tum honestatem et justitiam cum acephali concilii basileensis patribus impugnarunt; 1. enim originem earum aliqui ipsorum tribuunt Joanni XXII. vel Bonifacio IX. 2. arguunt exactionem illarum criminis simoniae, quod videatur spirituale, aut spirituali annexum dari pro pretio temporali; 3. addunt eandem repugnare juri divino, quo jubemur, quae *gratis accepimus*, *gratis dare*, Matth. 10. *v.* 8. et ecclesiae ministris, ac praecipue ejusdem praelatis praecipitur ab omni mali specie abstinere, 1. *thess. c.* 5. *v.* 21.

251

Sed his non obstantibus, indubitatum est, annatarum solutionem, et exactionem non tantum non inhonestam, sed etiam rationabilem, et omnino necessariam esse, ut fuse ostendit Fagn. *in c. praeterea cit. n.* 14. card. Pallav. *hist. conc. trid. l.* 2. *c.* 8. *n.* 4. Vagn. *ad concord.* §. *placet* 4. *vers. de fructibus not.* 1. *et vers. quae valorem not.* 2. Nam 1. per annatas in inferioribus praelatis conservatur memoria originis suarum ecclesiarum, ac dignitatum, eorumque erga ecclesiam romanam subjectio, et observantia debita. 2. pontifex ad gubernationem universalis ecclesiae indiget assistentia cardinalium, auxilio officialium curiae apostolicae, et aliorum ecclesiae ministrorum, ad quorum sustentationem annatae cedunt; 3. papae tanquam universalis omnium patris est remunerari, et praemiare bene meritos de rep. christiana, et levare miserorum inopiam: in quorum finem cum proprii reditus non sufficiant, merito auxilium petit a subditis sibi ecclesiis; 4. ad ipsum pertinet fidei propagatio inter infideles, conservatio inter haereticos, quod fieri sine maximis expensis nequit: quas utique pontifex exigere a subditis sibi ecclesiis eodem jure, ut a dioecesanis suis episcopus subsidium charitativum potest; 5. denique ad sedem pontificiam in publicis ecclesiae

necessitatibus, praesertim quando bellum cum fidei christianae hostibus geritur, commune solet esse refugium, ad quas sublevandas annatae, et aliae proventiones pontificiae serviunt, et applicantur, prout passim in historiis occurrunt exempla, et nostra memoria fecit beat. record. Innoc. XI. qui ad prosequendum ultimum bellum turcicum romanae ecclesiae aerarium pene exhausit.

252

Ea, quibus annatae impugnantur, levis momenti sunt. *Ad* 1. longe antiquior annatarum origo est, quam ut a Joanne XXIII. et Bonifacio IX. ortum duxerint; quod inde constat, quia, ut Fagn. *in c. cit. n.* 43. et Nicolaris *ad concord. tit.* 2. *dub. un.* §. 1. cum aliis attestantur, approbatae sunt in concilio viennensi, quod illis pont. fuit longe antiquius. *Prima* annatarum species *n.* 247. relata bonifaciana quidem a dicto pont. appellatur, non tamen, quasi ipse eam induxisset, sed quia cum antea fructus primi anni peterentur integri, ipse instituit, ut dimidii solum peterentur. *Ad* 2. in annatis periculum simoniae est nullum; petuntur enim a papa, et solvuntur ab inferioribus praelatis non pro collatione, aut confirmatione in beneficio vel praelatura, sed in recognitionem supremae, et universalis potestatis, quam pontifex habet in beneficia, quae cum originem suam ipsi debeant, et cura sedis apostolicae gubernentur, aequum est etiam, ut sustentationem tum ipsi, tum ministris ejus necessariis praebeant: ad eum fere modum, quo in veteri testamento summo sacerdoti a minoribus sacerdotibus solvebantur decimae decimarum. *Ad* 3. ex modo dictis patet gratis adhuc concedi dignitates, et beneficia ecclesiastica; a mali specie annatarum exactionem absolvit usus, et finis, in quem petuntur.

253

Quaeritur 5. quaenam sit observantia concordatorum quoad reservationes in iis comprehensas? Ac 1. quidem *dubitatur*, an universim reservata sint pontifici beneficia, quae per adeptionem episcopatus, aut alterius dignitatis, vel beneficii, papae authoritate factam, vacant? Resp. negative; patitur enim reservatio haec suas exceptiones.

Et 1. quidem excipiuntur beneficia, quae vacant per assecutionem pacificam dignitatis, vel alterius beneficii ecclesiastici virtute gratiae expectativae a sede apostolica obtentae, et sortitae effectum; talia enim, licet *extrav. ad regim cit.* reserventur, in concordatis tamen ordinariorum liberae collationi relinquuntur; §. *placet cit.*

254

2. Beneficia promotorum ad episcopatus titulares in partibus infidelium, quales in Germania nostra sunt eorum, qui episcopo-

rum vices in pontificalibus agunt, et vulgo suffraganei nominantur; quia horum beneficia per promotionem ad hujusmodi episcopatus non vacant, nec reservantur, cum istorum possessionem, et administrationem non habeant; Chokier *ad reg.* 1. *n.* 23. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 17. *n.* 3. *vers. quinto.* Nicolaris *ad concord. tit.* 1. *dub.* 1. §. 24. Leuren. *p.* 2. *q.* 543. *n.* 11. Engl. *hic n.* 16. *vers. unde episcoporum*, Vviest. *hic n.* 94. la Croix *l.* 4. *n.* 510.

3. Promotorum ad unum ex quatuor episcopatibus, Gurcensi, Chiemensi, Seccoviensi, et Lavantino, quos ex speciali sedis apostolicae indulto confert archiepiscopus Valisburgensis; cum enim hi episcopatus non conferantur immediate a pontifice, non comprehenduntur sub dignitatibus a summa sede collatis, cons. nec cum istis pontifici reservantur; Engl. *n.* 16. *cit. vers. non possum*, Vviest. *hic n.* 95. et novissime clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. cit.* 3. *n.* 168.

255

4. Promotorum vi precum primariarum imperatoris; nam horum beneficia, si quae per talem promotionem vacarent, cum promotio ista non dicatur facta immediate authoritate litterarum apostolicarum, pontifici reservata non essent, sed reciderent in manus ordinarii collatoris, potest alterius vi precum dictarum obtenti adeptam pacificam et fructiferam possessionem, ut jure jam veteri statutum erat; *c. de multa* 28. *h. tit. et cap. si tibi* 26. *in* 6. Vvex. *p.* 1. *Ariadn. tab.* 17. *memb.* 1. *n.* 4.

5. Denique, prout volunt Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 17. *n.* 3. Engl. *hic n.* 16. *vers. notat vero*, Leur. *p.* 2. *q.* 543. *n.* 12. *n.* 96. Vvex *n.* 4. *cit.* Beneficia, quae promoti ad episcopatus authoritate apostolicae, ex papae dispensatione retinent, saltem si dispensatum sit ad perpetuo retinendum. Rationem dant. 1. quia dispensatio ejusmodi vim novae collationis habet: et sic reservatio, tamquam jam sortita effectum suum, exhauritur. 2. quia talia beneficia possunt a promoto resignari: quod fieri non posset, si forent reservata. 3. quia concordata tantum loquuntur de beneficiis vacantibus per promotionem: atqui talia beneficia non vacant per promotionem: ergo etc.

256

Sed oppositum defendunt Simonett. Barbos. quos citat, et sequitur la Croix *l.* 4. *n.* 508. ex ratione, quia verba *extrav. ad regimen cit.* sunt generalia; ita enim habent: *Beneficia, quae obtinebant tempore promotionis, nunc vacantia, et in ante vacatura*: igitur reservata censeri debent, quandocumque sunt vacatura. *Conf.* sententia haec ex praxi curiae romanae; nam ex isto fundamento anno 1702. papa contulit canonicatum episcopi Hildesiensis in Augusto mortui.

Contraria non difficilem solutionem inveniunt. *Ad* 1. dico, papam non plene disposuisse de illo beneficio relicto; alioquin provisus deberet iterum solvere annatas etc. cons. illud manebit reservatum, vel saltem affectum, donec plene de eo disposuerit pontifex. *Ad* 2. possunt quidem haec beneficia resignari, ut omnia alias reservata, sed non possunt, nisi apud papam; hinc cum Maximilianus Henricus archiepiscopus coloniensis ejusmodi canonicatum resignasset in mense ordinarii, non permisit papa, ut turnarius illum conferret, sed ipse de eo providit, ut refert la Croix *l. cit.*

257

Dub. 2. an reservatae sint dignitates. et beneficia vacantia per privationem ob crimen ipso jure inductam? Affirmant Flamin. *l.* 11. *de resign. q.* 8. *n.* 3. Branden. *ad concord. q.* 10. *n.* 8. Chokier *ad reg.* 8. *gloss.* 7. *n.* 19. *cas.* 18. ex. ratione, quia hoc ipso, quod in curia conditum, et publicatum sit jus, seu constitutio, privationem delicti ipso facto annectens, privatio censeri debet inducta per sententiam latam in curia; atqui beneficia, quibus privatus est beneficiarius per privationem latam in curia, vacant in curia, et sunt reservata dispositioni pontificis: ergo etc. Sed argumentum hoc nimium probat; probaret enim, quod in curia vacarent, et cons. reservata essent omnia beneficia, quae alterius incompatibilis assecutione, contractu matrimoniali, religionis professione, vita militari etc. amittuntur; nam etiam horum privatio decreta est jure ecclesiastico, ut incurratur ipso jure: sequela a Germaniae nostrae DD. sensu, et ecclesiarum usu, ac praxi aliena est: ergo etc.

258

Hinc melius Rebuff. *ad regul. cancell.* 24. *alias* 26. Simonett. *de reservat. q.* 99. Laym. *in c. licet* 2. *h. tit. in* 6. *n.* 8. Vviest. *in concord. n.* 23. Engl *hic n.* 23. Vviest. *n.* 89. considerat, a quo lata sit sententia declaratoria criminis inducentis privationem beneficii; nam si lata sit a papa, vel ejus curia vel ab aliquo per rescriptum apostolicum delegato, concedunt beneficium ita vacans reservatum esse summo pontifici, ut expresse patet ex concordatis, ubi diserte reservantur beneficia vacatura per depositionem, privationem etc. per papam, vel authoritate papae factam, vel faciendam. At si lata sit ab ordinario, volunt collationem beneficii sic vacantis pertinere ad ordinarium; quia etsi lex vacationem inducat, sententia declaratoria tamen illam consumat, ita, ut ibi vacare dicatur beneficium, ubi profertur sententia. Proceditque hoc, prout *cit.* DD. explicant, etsi sententia declaratoria criminis, v. g. haereseos, ob quam juxta *bullam Pii V.* incipit *cum ex apostolatus editam* 1. *febr.* 1566. ipso jure vacante beneficia, ab ordinario prolata sit in mense pontificio.

259

Dub. 3. an cathedralis ecclesiae decanus, aut canonicus electus in episcopum, antequam a sede apostolica confirmetur, decanatum suum, vel canonicatum resignare valeat in manibus capituli, et hoc illum conferre? Negant Branden *ad concord. q.* 2. *n.* 2. *et q. n.* 4. Nicolarts *ibid. tit.* 1. *dub.* 1. §. 32. Chockier *ad reg.* 24. *cancell. n.* 24. Vvagn. *ibid.* §. *ad hujus.* Fundantur 1. *extrav. ad regimen, et concord.* §. *placet citt.* ubi expresse reservantur summae sedi beneficia eorum, qui promoventur ad ecclesias cathedrales: atqui promotio jam inchoatur quodammodo per electionem: ergo etc. 2. *reg. canc.* 24. declarantur irritae hujusmodi beneficiorum resignationes, ac provisiones ab ordinariis factae: quam regulam secuta rota in causa praeposituraе paderbornensis pronuntiavit irritam esse provisionem, ex ratione, quod *reg. cit.* cum ad excludendas fraudes tendat, favorabilis sit, et declarativa *extrav. ad regimen* concordatis comprehensae. 3. *ratione*; quia per ejusmodi resignationes, et has secutas collationes aperte praejudicatur sedi apostolicae; nam electi tanquam de sua promotione moraliter certi ad beneficiorum suorum resignationem facile inducerentur ab iis, qui illa sibi desiderant, sicque jus conferendi beneficia promotorum per concordata sedi apostolicae reservatum, fere omnino tolleretur.

260

Sed his non obstantibus, admodum probabile est, resignationes hasce valere. Ita Flamin. *l.* 3. *de resign. q.* 6. *n.* 90. Laym. *in c. licet* 2. *h. tit. in* 6. *n.* 9. Vveiss. *ad concord. n.* 30. Engl *hic n.* 37. Vviest. *n.* 97. *et duob. seq. Ratio est*, quia semper standum est pro valore actus, nisi probetur invalidus, non autem probatur resignatio ista invalida per argumenta allata; nam

261

Ad 1. hoc ipso, quod promotio per electionem solum inchoetur, electo adhuc manet jus beneficia ante obtenta in manibus superioris resignandi, et ordinario resignata conferendi, cum prohibitiones sint odiosae, et vim non habeant nisi post actum in genere suo completum. *Ad* 2. regulae illi locus non est in provinciis, in quibus vigent concordata, cum in his eae dumtaxat dignitates, et beneficia reserventur, quae comprehenduntur in concordatis. In rota decisum fuit, provisionem de praepositura paderbonensi esse irritam, ex ea potissimum ratione, quod praepositura ecclesiae cathedralis, tanquam dignitas prima post pontificalem, saltem in Germania, in ipsis concordatis sedi apostolicae specialiter sit reservata. *Ad* 3. electus ante confirmationem electionis pro se factae resignans decanatum prius obtentum suo jure utitur: igitur in fraudem legis

alicujus agere non videtur ; *arg. l. nullus* 55. *ff. de R. J.* praesertim cum ea resignatio fieri queat in bonum ecclesiae , ut sc. postquam ad palatium episcopale transiit , et administrationem accepit , alius sit , in ecclesia decani fungantur munere.

262

Dub. 4. an si electus confirmationem electionis accepit adhuc beneficia sua resignare in manus capituli possit, quando nondum est consecratus, nec adeptus pacificam, ac fructuosam possessionem episcopatus? Non desunt DD. qui affirmativam tenent ex ratione, quia ante adeptionem possessionis pacificam, et fructuosam beneficia prius obtenta non vacant; *c. cum in cunctis* 7. §. *cum vero de elect. Et confirmatur* a paritate cum episcopis titularibus , quorum beneficia per apostolicam confirmationem non vacant , ex ea solum ratione , quia episcopatuum suorum, utpote in terris infidelium sitorum, possessionem, et administrationem non obtinent.

263

Sed melius negativam defendunt Abb. *in* §. *cum vero cit. n.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 12. Flam. *l.* 2. *de resig. q.* 1. *n.* 77. Granut. *ad Simonet. q.* 27. *n.* 6. Barb. *alleg.* 57. *n.* 68. Vviest. *hic n.* 100. et alii ab his *cit.* Colligitur ex *concordatis* §. *placet* 3. *vers. rursus*, *et extrav. cit.* ubi sedis apostolicae provisioni reservantur beneficia, quae promoti ad superiores dignitates tempore promotionis obtinent, et per eam sunt vacatura: atqui electus per confirmationem promovetur ad episcopatum : ergo etc.

264

Neque obstat argumentum contrarium; nam etsi ad effectum, ut promotus beneficia prius obtenta teneatur dimittere, exigatur, ut adierit pacificam possessionem episcopatus, cum commodo saltem majoris partis fructuum, ipsa tamen beneficia statim declarantur vacantia, et sola confirmato relinquitur possessio. *Ad conf.* negatur paritas; quia episcopi titulares sperare possessionem episcopatuum suorum nequeunt ut proinde aliunde per retentionem beneficiorum prius possessorum juvari debeant.

265

Quaeritur 6. quae sit vis concordatorum? Et 1. quidem dubitatur, quinam memoratis Germaniae concordatis adstringantur ? *Ratio dubitandi est*, quia concordata haec inter pontificem, et imperatorem, et nonnullos principes ecclesiasticos, et saeculares tantum, non vero inter nationem Germanicam generaliter totam sunt inita, ut indicat clausula addita §. *de ceteris cit.* ubi pontifex. *Ad finem* , *inquit* , *ut haec ordinario -- possit per dictam nationem publicari*, *et omnes*, *qui ea gaudere voluerint*, *tempus congruum habeant eam acceptan-*

di, tunc quoad dictam (apostolicam) *sedem a calendis junii proxime futuris ipsa currere incipiet etc.* ex quibus verbis videtur colligi, quod concordata haec illos dumtaxat obligent, inter quos fuerint inita, et qui gaudere iisdem voluerint, non vero omnes imperii subditos, vel omnes germanos.

266

Sed distinguendum est inter subditos imperii, qui germanicae, seu alemannicae nationis nomine veniunt, et inter ceteros. *Hi posteriores*, ut Itali, et alii, qui non veniunt nomine germanorum, etsi ditiones eorum, tanquam feuda ab imperio Germanico dependeant, concordatorum tamen ordinatione non comprehenduntur, ut bene advertunt Vviest. *hic n.* 62. Leur. *p.* 2. *for. ben. q.* 591. *n.* 2. P. Vvex *ariadn. p.* 1. *tab.* 17. *memb.* 2. *n.* 8. *Excipiuntur* ecclesia virdunensis, ut firmavit *rota in virdunensi episcopatus* 11. *nov.* 1593. metensis *rota in metensi eleemosynariae* 17. *dec.* 1612. et secundum aliquos genuensis apud Gemin. *con.* 56. Leur. *q. cit. n.* 1. La croix *l.* 4. *n.* 505.

267

Inter posteriores iterum distinguendum est, nam illi, qui licet Germanorum nomine veniant, tempore concordatorum tamen, cum imperio initorum, nihil eo cum commune habuerunt, pariter non adstringuntur concordatis. Proceditque hoc, sive concordata haec pactionis, sive legis rationem obtineant; nam pacta obstringunt solos paciscentes, legibus soli subditi intra territorium conditoris existentes. *Ex quo sequitur*, his concordatis non obligari provincias Belgii, utpote quae de imperio non sunt, neque unquam concordata haec acceptarunt, si exceperis ecclesias Nivellensem, Cameracensem, Levvensem, et Thenensem, quae nunc etiam, postquam ab imperio avulsae sunt, pristina privilegia retinent; Nicol. *t.* 3. *dub.* 1. §. 3. Leuren. *l. cit. n.* 2. laCroix *n.* 505. *cit.*

268

Ceterae autem nationis Germanicae, et imperio subjectae ecclesiae omnes per se, et praeciso speciali privilegio, concordatis obliguntur, ut proinde in his provisiones beneficiorum ecclesiasticorum secundum eadem concordata sint faciendae; Brand. *ad concor. q.* 3. *a n.* 5. Zypaeus *analys. de inst. n.* 11. Nicolaus §. 3. *cit.* Vvex *tab.* 17. *cit. n.* 4. *proem.* Leur. *n.* 1. Vvies. *n.* 63. *Ratio est*, quia concordata haec non tantum pactionis qualiscumque, sed etiam ordinationis, et legis tum imperialis, tum apostolicae rationem habent, sicque hactenus teste Branden *n.* 5. *cit.* observata, et custodita sunt ab omnibus ecclesiis, antequam aliquae illarum ab haeresi inficerentur. Ex quo sequitur, quod ab omnibus, pro quibus sancita sunt,

observari debeant, neque opus sit horum acceptatione, vel consensu, cum etiam leges ceterae hoc non indigeant, ut dictum est *lib.* 1. *t.* 2. *n.* 29. Addidi *per se, et secluso speciali privilegio*; quale privilegium competere leodiensi ecclesiae ob specialia concordata ait Nicolarts §. 11. Herbilensi, et Bambergensi Zypaeus *cons.* 3. la Croix *n.* 505. *cit.* Vvies. *hic n.* 64.

269

Ex quo soluta manet ratio dubitandi. *Neque obstat* ibidem citata clausula de acceptatione; nam haec solum intelligenda sunt de iis qui, etsi Germanicae nationis venirent nomine imperii, tamen superioritatem, quod jura regia possiderent, illorum initorum tempora non recognoscebant, ut Bohemiae rex, archidux Austriae, et similes. Leoninus *cons.* 50. Zyp. *cons.* 3. Nicolarts §. 11. Vvies. *n.* 63. *in fin.* Neque vis haec concordatorum exspirat, vacante sede apostolica, cum diserte exprimatur in iisdem, dum asserunt suae ordinationis observantiam duraturam deinceps, nisi eam in futuro concilio de ipsius nationis Germanicae consensu contingat immutari. Ex quo sequitur, Germaniae ordinarios, etiam sede apostolica vacante, beneficia huic reservata non posse conferre, nisi Romae intra trimestre provisio facta non fuerit.

270

Dub. 2. an concordatis derogari, vel contraveniri ab alterutra concordantium parte possit? *Ratio dubitandi est* 1. quia concordata haec, ut ipsum nomen indicat, habent rationem pactionis publicae utrinque acceptatae, et contractus ab utraque parte inviolabiter observandi, atqui ad pactionum, praesertim publicarum, observantiam principes non minus, quam subditi, et quidem lege naturali adstringuntur, ex causa, quia, ut pronuntiatum est Bald. *in cap.* 1. *de natur. feud. DEUS principi quidem leges, non etiam pactiones, et contractus subiecit* 2. in ipsis concordatis §. *de ceteris* pontifex diserte promisit, *se per quamvis dispositionem, sub quacumque verborum forma - - - factam, vel faciendam non impediturum ordinariorum, aliorumque collatorum provisiones,* atqui etiam papa tenetur promissis suis stare: ergo nec papa derogare concordatis potest. 3. *eodem* §. *de ceteris, et* §. *placet similiter* de alternativa collatione et observantia concordatorum subdit pontifex, *eam duraturam deinceps, nisi in futuro concilio de ipsius nationis Germanicae consensu aliter fuerit ordinatum*: ergo sine consensu dictae nationis immutare aliquid nec papa potest.

271

Sed dicendum, summum pont. etsi non facile id facturus sit, de plenitudine tamen potestatis suae, justa causa hoc exigente, contra-

venire concordatis posse. Ita Mand. *ad reg.* 2. *q.* 2. Gonz. *ad reg.* 8. *glos.* 24. *n.* 26. Chok. *ib. glos.* 11. *n.* 21. Simon. *de reserv. q.* 1. *n.* 5. *et q.* 99. *n.* 23. Vvam. *cons.* 225. *n.* 3. *et seq.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 3. Brand. *ad conc. q.* 8. *n.* 1. Nicolarts *ibid. t.* 3. *dub.* 3. §. 5. Vag. *ad ead. concor.* §. *in aliis not.* 1. *et* 2. Leur. *p.* 2. *q.* 595. Vvex *p.* 1. *tab.* 17. *memb.* 2. *n.* 8. *et* 9. Konig *de conc. praeb. n.* 24. *in fin.* Pirh. *hic n.* 366. Vvies. *n.* 67. et noviss. claris. P. Schm. *p.* 1. *de reb. eccl. n.* 188. *et* 189. et colligitur ex ipsis concordatis §. *item plac.* ubi pontifex promisit, se confirmaturum electiones archiepiscoporum et episcoporum, si canonicae fuerint, addita clausula, *nisi ex rationabili, et evidenti causa - - de digniori, et utiliori persona duxerimus providendum. Ratio est* 1. quia pontifex potestatem disponendi de beneficiis, ceterisque juribus ecclesiasticis a Christo Domino immediate accepit, quam proin, nisi papatui renuntiando, abdicare, aut alii communicare non potest, quin semper penes se majorem retineat. 2. quia quomodocumque paciscatur papa, maxime cum sibi subdito, semper includitur, haec conditio, *nisi occurrat causa gravis extraordinaria, ob quam aliud postulet commune bonum ecclesiae*, in ordine ad quod concordata sunt facta, medium enim desinit esse medium, et negligi debet, quando obstat fini intento. 3. quia haec concordata, licet habeant aliquam vim pacti, ut fatetur Julius III. apud Nicolarts, tamen magis sunt privilegium papale, ut teste Nicolarts §. 6. comprobavit rota *leod. canonicatus* 15. *mart.* 1610. et ratio est: tum quia spiritualia sub contractum proprie dictum, et commercium non veniunt; tum quia per haec concordata papa de jure suo potius aliquid remisit, vel potius communicavit, quam acquisivit.

272

Addidi in responsione, *etsi non facile id facturus sit*: quod perspicue declaravit Paulus V. *const.* incipit *ex pastorali edita* 5. *cal. april.* 1613. ubi ait, nec suae unquam mentis, nec praedecessoris sui fuisse concordatis derogare: ac propterea decernit, litteras a praedecessore suo, in ipsorum praejudicium obtentas, pro ob - vel subreptitiis habendas. Idem constat ex *constit. Gregorii XIII. edita* 6. *jun.* 1572. ubi laudatus pontifex ait, se, sub quacumque verborum formula scripserit, concordata laedere nolle. *Ex quo* sequitur, non censendum, quod pontifex derogare concordatis velit per quantumcumque, etiam generales, et amplas clausulas, nisi expressam, et specificam eorum mentionem fecerit; Lotter. *l.* 2. *q.* 28. *n.* 69. Zypaeus *respons. can.* 1. *n.* 9. Leur. *p.* 2. *q.* 595. *n.* 4. Engl. *hic n.* 54. et alii *supra.*

273

Argumenta in contrarium non sunt efficacia. *Ad* 1. etiam princeps supremus derogare potest pactionibus, saltem, quas cum subditis suis iniit, si id exigat gravissima causa boni publici, ut cum aliis supra allegatis advertit Nicolarts *l. cit.* §. 7. *et* 8. *Ad* 2. patet ex *prob.* 3. Et hinc recte notat Leuren. *q. cit. num.* 1. discrimen faciendum inter casum, quo princeps laicus concedit privilegium aliquod ecclesiae, et inter casum, quo pontifex principi laico: princeps laicus, si quod privilegium concedit ecclesiae, concedit superiori, et non subdito: et ideo manet irrevocabile per ejus potestatem. At pontifex, dum principi laico privilegium dat, dat subdito sibi in spiritualibus; proin datum revocabile semper manet, si ita postulet bonum commune ecclesiae. *Ad* 3. verba illa concordatorum implicant conditionem, quam in pactis pontificiis includi dictum est *prob.* 2.

274

Dub. 3. an concordatis per contrariam consuetudinem, vel praescriptionem derogari possit? Negativam defendunt Branden *ad concordat. q.* 2. *n.* 4. Nicolarts *ibid. tit.* 3. *dub.* 2. §. 3. Gonz. *gloss.* 35. *n.* 21. *et seqq.* Leur. *p.* 2. *q.* 593. *per totam*, Pirh. *hic n.* 363. *Nituntur* 1. quia usus, et observantia universalis apud omnes fere ecclesias Germaniae impedit particularem praescriptionem ex vi inseparabilis connexitatis, quam habent inter se partes, et totum; 2. quia jus publicae utilitatis, unionis, et tranquillitatis, quaesitum ex concordatis toti imperio, non potest ullis subditorum factis, vel usibus immutari, vel tolli, tam parum, quam parum clerici possunt se abdicare privilegio clericali; 3. quia generatim praescriptio, et consuetudo reservationibus apostolicis derogare non possunt; 4. quia constanter ita judicatur in curia romana, secundum decretum Gregorii XIII. apud Nicolarts §. 25. 5. quia concordatis appositum est decretum, seu clausula irritans, *siquid secus a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari*: sed decretum, irritans inficit titulum, et possessionem, sine qua praescriptio non potest currere: ergo etc. 6. quia consuetudo exigit consensum legislatoris. Papa autem non consentit in consuetudinem concordatis contrariam, prout patet tum ex ipsis concordatis, ubi pontifex diserte asserit ea perpetuo duratura, nisi in futuro concilio aliter fuerit ordinatum; tum quia concordatorum observantiam constanter urgent summi pont. et imp. nec admittunt exceptiones non usus eorundem, vel usus contrarii: 7. ex *bulla Clem. VII.* incipit *admonet edita cal. jul.* 1534. et habetur apud Nico-

larts *tit.* 3. *dub.* 2. ubi laudatus pontifex motu proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine declarat, *quascumque collationes, et alias dispositiones -- citra, vel contra tenorem, et formam concordatorum quomodolibet factas, et imposterum faciendas -- nullum titulum, aut colorem ipsa beneficia possidendi tribuisse, aut in futurum tribuere; sed* sic promotos *pro malae fidei possessoribus, et mere intrusis ab omnibus habendos* -- ita, ut ipsis neque *regulae de annali, vel triennali possessione*, nec exceptio de concordatis non receptis prosint. 8. Similia habentur *in const. Innocentii X.* incipit, *zelo domus Dei edita* 26. *nov.* 1648. ubi statuitur *omnia, quae contra concordata statuta fuerint, irrita, viribusque, et effectu vacua fuisse, et perpetuo fore, eisque praescribendi causam, longissimo, et immemoriali tempore non acquiri.*

275

Haec sententia admodum probabilis est; sed non minus probabilis est affirmativa, quam tenet Zypaeus *l.* 3. *consult.* 3. *n.* 38. *h. t't.* et inclinat Engl. *hic n.* 54. Vvies. *n.* 71. la Croix *l.* 4. *n.* 20. si consuetudo illa, vel praescriptio sit temporis, cujus initii non extat memoria. *Fundantur* 1. quia ejusmodi praescriptio, vel consuetudo concordatis derogans nullo jure expresse reprobatur. 2. Quia concordatis derogari potest indulto, seu privilegio apostolico, et hoc defacto iisdem derogatum est per primas preces imperatoris, et per indultum a Sixto IV. universitati lovaniensi concessum, quo multis annis nominare poterat ad beneficia tam mense papali, quam ordinarii. Atqui illa, quae privilegio obtineri possunt, acquiri possunt etiam consuetudine, vel praescriptione immemoriali, si huic jus non resistat, et praescribens possessionis capax sit; *arg. c. super* 26. *vers. praeterea de V. S. l. hoc jure* 3. §. *ductus aquae* 4. *ff. de aqu. quotid. et aestiv.* 3. Quia tali praescriptione defacto domus bavarica acquisivit jus nominandi, seu potius praesentandi clericos ad dignitates, et beneficia in utraque sua provincia, si vacaverint mense apostolico, extra cathedrales ecclesias, et civitates episcopales, ut patet ex recessu concordatorum, initorum anno 1583. inter dictam serenissimam domum, et ordinarios, quibus Bavaria subjecta est; *cap.* 4. *vers. das jus mit dabstliicher deiligfeit monath, so jht durchleucht praescriberet.* 4. Quia per concordata Germaniae, reservantur papae etiam curata in mensibus pontificiis vacantia, ut docent Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 362. et indubitatum esse asserit Nicolarts *tit.* 1. *dub.* 6. §. 1. *et* 5. de quo *infra n.* 302. et tamen passim providentur ab aliis in hisce partibus, etiam sine concursu. 5. Quia durum videtur damna-

re tanquam invalidas omnes provisiones in Germania factas contra concordata.

Dixi autem, *si consuetudo, vel praescriptio ista immemorialis sit*; nam ordinariae consuetudini, et praescriptioni probabilius vis alia quoad concordata non competit, quam ea interpretandi: quod locum habet, quando concordatorum tenor est dubius; nam eo casu permissum censebitur, quod ita usu receptum est, cum juris dubii optima interpres sit consuetudo; *c. cum dilectus* 8. *de consuet.*

276

Neque argumenta in contrarium opposita talia sunt, ut iis responderi nequeat. *Ad* 1. saepe aliqua universalem ecclesiam obligant, contra quae particularium ecclesiarum consuetudo praescripsit; sic enim hispani die sabbathi comedunt intestina, belgae sabbathis inter nativitatem Domini, et purificationem vescuntur carnibus etc. *Ad* 2. non minus leges ad utilitatem publicam inductae sunt, et tamen iis per consuetudinem derogari potest. Ad id, quod additur de privilegio clericali, negatur paritas; nam consuetudo huic derogans praejudicat dignitati clericali, non autem papae dignitati praejudicat consuetudo derogans concordatis. *Ad* 3. ut aliis legibus ecclesiasticis derogari potest, ita etiam reservationibus apostolicis. *Ad* 4. curia romana sic judicans praesumit non adesse omnia ad consuetudinem requisita. *Ad* 5. clausula irritans tantum addita est lege humana, adversus quam omnem praevalere consuetudo contraria potest. *Ad* 6. sufficit consensus legalis, quo universim pontifex probat consuetudines, et praescriptiones instructas omnibus requisitis; nullum autem requisitum consuetudini huic, vel praescriptioni deest. *Ad* 7. Clementina illa constitutio solum resistit consuetudini, vel praescriptioni, quae fundata est in non usu contrario minoris temporis, quam sit longissimum, et immemoriale, ut notat P. Vviest. *hic n.* 71. *Ad* 8. innocentiana haec constitutio solum impetit statuta, quae facta sunt adversus concordata. Atqui patet statuta longe minorem habere vim derogandi juri ecclesiastico, quam consuetudo, imo nullam.

§. VII.

De alternativa collatione beneficiorum.

SUMMARIUM

277 278 279 *Quae sit gratia alternativa, et quae requisita, ut ea gaudeant ordinarii.*
280 281 *Modi, quibus ea cessat.*
282 *Subjacent illi regulariter beneficia omnia, aliunde non reservata.*
283 *Quocumque modo vacent, excepta vacatione in curia, et per resignationem.*
284 285 *Etsi aliter voluisset fundator.*
286 287 288 289 *Exceptiones.*
290 291 *An beneficia patronata subjaceant alternativae?*
292 293 294 295 296 *An vacantia per resignationem, et qualem?*
297 298 299 *An fundata post inita concordata?*
300 *Quae dignitates alternativae sint?*
301 *An vicariae beneficiorum parochialium?*
302 *An ipsa beneficia parochialia?*
303 *An monocularia?*
304 *Patrimonialia etc.*
305 306 307 *Quando incipiat, et desinat mensis papalis, vel ordinarii?*
308 309 310 311 212 *Ad quem provisio spectet, quando dubium est, quo mense obierit beneficiarius?*
313 314 315 *Quousque ordinarius collationem pontificis exspectare debeat?*
316 317 *Intra quod tempus a pont. provisus debeat litteras apostolicas exhibere?*
318 *An si ordinarius beneficium, suo mense vacans, intra illum non contulerit, illud fiat collationis papalis?*
319 *Quando incipiat trimestre pontificis competens ad conferendum beneficium vacans mense papali?*
320 *Quomodo menses hi numerandi?*
321 *An trimestre hoc ordinariis currat etiam vacante sede?*
322 *An post illud lapsum locus sit collationi ordinarii, quando collatio a papa facta invalida est?*
323 *An Germaniae ordinarii exspectare debeant trimestre ad conferenda beneficia, quae vacant in curia?*

277

Quaeritur 1. quae, seu qualis sit haec gratia alternativae? Resp. Cum antea quatuor solum menses relicti fuissent ordinariis collatoribus, videlicet martius, junius, september, december, per hanc alternativam conceduntur sex, iique alternatim, ita, ut primus semper mensis a januario inchoando sit papalis, alter ordinarii. Conceditur gratia haec Germaniae ordinariis absolute per *concordat.* §. *ceteris*, reliquis extra Germaniam per *reg. IX. cancell.* olim *VIII.* sub conditione residentiae.

Ut regulae hujus favore beneficii collator ordinarius extra Germaniam gaudeat, requiritur 1. Ut sit episcopus, archiepiscopus, vel patriarcha; nam hi tantum exprimuntur in regula cum particula exclusiva *duntaxat*, utpote quae, ut cum Palao notat Leuren. *part.* 2. *quaest.* 570. *n.* 1. non solum ad residentiam, sed potius ad personas, quibus gratia haec sub onere residendi conceditur, referri debet. *Ex quo sequitur* gratiam istam non competere aliis collatoribus episcopo inferioribus, qui ex privilegio, vel consuetudine jus aliqua beneficia conferendi habent Leuren. *n.* 2.

278

2. Ut episcopus per litteras patentes, subscriptas propria sua manu, et proprio acceptantis sigillo munitas (quod utrumque in civitate episcopali, vel dioecesi propria episcopi acceptantis fieri debet) gratiam alternativae acceptarit, et litteras has Romam transmiserit ad datarium, qui, ubi illas recognoverit, annotat, et de hac recognitione sua autographo, vel subscriptione fidem facit. Haec omnia ad formam substantialem pertinent, non expeditio litterarum super concessione gratiae alternativae ad episcopum acceptantem, cum hodie per ipsam regulam allegatam, tanquam legem generalem, haec gratia concedatur; Leur. *quaest.* 574. *per totam.*

279

3. Ut in dioecesi sua resideat personaliter: neque hic juvat ulla causa etiam justissima absentiae, ne quidem si extra dioecesim deserviat sedi apostolicae, ut notant Garc. *p.* 5. *de benef. cap.* 1. *n.* 466. *et seq.* Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 43. *a n.* 1. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *part.* 23. §. 2. *n.* 3. Leuren. *quaest.* 572. *n.* 1. et patet ex tenore regulae; nam gratiam alternativae solum concedit, *quamdiu residentiam fecerint vere, et personaliter*: quibus verbis excluditur omnis residentia ficta. *Procedituque hoc* 1. etsi ex justa causa tantum abfuisset ad duos dies; nam si interea vacet beneficium in mense suo, non potest illud vi alternativae conferre, quamvis toto illo reliquo mense adfuisset; quia requiritur residentia actualis pro tunc, quando beneficium vacare incipit, prout cum aliis notat la Croix *l.* 4. *n.* 477. et hoc teste rota. *Procedit.* 2. etsi resideat extra dioecesin in loco etiam vicinissimo, et cito sit reversurus; quia particula *apud*, qua utitur regula, non significat hic *prope*, sed *in* vel *intra dioecesim*; Barbos. *alleg.* 53. *n.* 54. Pal. §. 2. *cit. n.* 2. Leuren. *n.* 8. la Croix *n.* 478. Imo ut contra *Gonz. et Corrad.* existimat Garc. *n.* 704. et Pal. *n.* 10. non sufficit, si sit in loco exempto intra dioecesin, nisi ibi esset ad exercendam jurisdictionem extraordinariam. *Procedit* 3. etsi impossibilis ei esset residentia; quia absentia talis jam sufficeret, quo minus fruatur alternativa, episcopis concessa tan-

tum sub conditione residentiae personalis, et actualis, ut contra *Gonz.* advertunt Garc. *n.* 469. Pal. *n.* 3. Leuren. *n.* 2.

280

Cessat alternativa per *regul. alleg.* concessa 1. Per translationem episcopi ad alium episcopatum; nam si ita translatus etiam pro isto episcopatu uti alternativa velit, debet illam pro eo episcopatu acceptare de novo, cum proprior acceptatio tantum fuerit pro episcopatu dimisso; Gonzal. *gloss.* 58. *n.* 21. Pal. *p.* 22. *cit.* §. 5. *n.* 1. card. de Luca *de benef. disc.* 93. *a n.* 22. Leuren. *quaest.* 583. *n.* 1.

2. Per mortem Papae; quia hujus morte cessant regulae cancellariae, et jus ordinariorum revertitur ad terminos juris communis. Garc. *part.* 5. *cap.* 1. *n.* 643. Pal. §. 5. *cit. n.* 2. card. de luca *de benef. disc.* 16. *n.* 8. *et disc.* 31. *n.* 4. *et* Leuren. *quaest.* 583. *n.* 2. Et idem est, si papa renuntiaret papatui; quia sic renuntians quoad hoc habetur pro mortuo, et mors civilis aequiparatur morti naturali; Leuren. *n.* 2. *cit.* et apud ipsum AEneas de Falcon. Flamin. Mandos.

281

3. Per mortem episcopi alternativam acceptantis; quia acceptatio ipsius est quidam personalis contractus, et obligatio inter papam et episcopum mutua; cons. alterutro exspirante, extinguitur, neque transit ad successorem; Gonzal. *gloss.* 48. *n.* 17. Chokier *gloss.* 21. *n.* 1. Pal. *n.* 2. *cit.* card. de Luca *dis.* 93. *n.* 21. Leuren. *n.* 2. *cit.* Idem est, si renuntiet episcopatui, et renuntiatio sit acceptata a papa: la Croix *l.* 4. *n.* 48. cum *cit.*

4. Si episcopus se intromiserit in provisionem beneficiorum, quae per hanc regulam, vel alias sedi apostolicae reservata, vel affecta sunt, aut eorum provisioni, ne debitum effectum consequatur, impedimentum quoquo modo praestiterit. Ita habet *reg. cit.* Notant tamen *Gonz. Garc.* et alii, alternativam non amitti, si episcopus ex ignorantia probabili provideat beneficia reservata; quia poena amissionis supponit gravem culpam.

282

Quaeritur 2. quaenam beneficia per *reg. IX. et concord.* §. *de ceteris cit.* alternativae subjecta sint? Resp. huic subjecta esse generatim beneficia omnia, non aliunde sedi apostolicae reservata, vel excepta. Patet ex textu; nam *in reg. IX. cit.* pontifex utitur terminis generalibus, *omnia beneficia ecclesiastica, cum cura, et sine cura -- qualitercunque qualificata, et ubicunque existentia -- extra rom. curiam, alias, quam per resignationem, quocunque modo vacatura.* In concordatis vero de eadem alternativa loquens §. *de ceteris cit.* sic orditur: *De ceteris vero dignitatibus, et beneficiis*

quibuscunque saecularibus, et regularibus vacaturis, -- placet etiam nobis etc.

283

Proceditque hoc 1. quocunque modo beneficium vacet, excepta vacatione in curia, et per resignationem, dummodo ipsum beneficium vere vacet tali mense, quod fit, si is, ad quem idem pertinebat, habuit jus in re quoad illud beneficium, etiamsi ejus possessionem nondum accepisset; Barbos. *alleg.* 57. *n.* 198. Aliud foret, si tantum habuit jus ad rem per electionem, vel praesentationem; nam si iste moriatur mense papali, antecessor vero mortuus fuit mense ordinarii, collatio pertinebit ab ordinarium, ut bene Barbos. *n.* 197. et clara est ratio, quia cum per electionem, et praesentationem etc. non acquiratur jus perfectum, nondum extincta dicitur prior vacatio, sed adhuc vacat, ut prius.

284

Procedit 2. etsi fundatio beneficii tali pacto fieret, ut collatio ejus in quovis mense ordinario reservetur, excluso summo pontifice; quia efficacia legis impediri non potest; Gonzal. *gloss.* 21. *n.* 39. Garc. *part.* 5. *cap.* 1. *n.* 620. Barbos. *alleg.* 57. *cit. in fin.* Pal. *part.* 22. §. 3. *n.* 8. Hinc hujusmodi conditiones in fundationibus jadjectae minime attendi debent, sed tanquam substantiae beneficii repugnantes reprobari: et ratio est, quia cum papa ex vi primae urisdictionis, et potestatis disponendi de beneficiis a Christo acceptae sit supremus, et universalis omnium beneficiorum in urbe, et orbe collator, ab hac ejus potestate, utpote quae nullis legibus, aut regulis coarctatur, nullum beneficium potest eximi; Nicolarts *ad concord. tit.* 1. *dub.* §. 5. *et ibi cit.*

285

Neque obstat, quod quivis sit rerum suarum moderator, et arbiter; *l. in re mandata* 21. *cod. mandati*: quia hoc verum est, nisi desuper aliud quid jus statuerit; nemo enim facere potest, quin jura desuper statuta locum habeant; *l. nemo* 55. *ff. de legat.* 1. *et cap. requisivisti* 25. *de testam.* ibi, *privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare.*

Dixi autem in responsione, *non aliunde sedi apostolicae reservata, vel excepta*; nam beneficia sedi apostolicae reservata, quocunque mense vacent, ad papae collationem spectant; excepta vero ad ordinarios, vel alios collatores. Hinc

286

Dubium 1. est, quaenam beneficia excepta sint, ita, ut in aliis alternativa non habeat locum, sed quovis mense ab ordinario loci, vel aliis collatoribus conferri possint? Resp. Talia sunt.

1. *Beneficia manualia, et vicariae temporales;* quia pontifex sibi reservat tantum, quae proprie, et stricte dicta sunt beneficia; Garc. *part.* 5. *cap.* 1. *n.* 510. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 11. *n.* 1. *vers. porro,* Chokier *ad reg.* 8. *gloss.* 8. *n.* 7. *et* 15. Barbos. *alleg.* 57. *n.* 146. *et* 122. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *part.* 22. §. 1. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 354. Vviest. *n.* 129. secus de vicariis perpetuis, quae dantur in titulum; nam hae cum vera beneficia sint, sub alternativam intrant; Barbosa *n.* 147.

2. *Beneficia ecclesiae non numeratae,* seu certum numerum canonicorum non habentis, si talia sint, quae non debeant suppleri necessario; quia reservationi et alternationi solum obnoxia sunt beneficia vacantia, aut vacatura. Ista autem mortuo beneficiato non vacant proprie, sed cum eo exspirant; Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 9. §. 3. *n.* 9. *et seq.* Chockier *ibid. gloss.* 4. *n.* 8. Barb. *l. cit. n.* 179. Pal. *n.* 7. Pirh. *n.* 354. Vviest. *n.* 130.

287

3. *Beneficia incorporata.* Mensae episcopali, capitulari, abbatiali, vel alteri cuipiam dignitati, aut beneficio accessorie unita; quia etiam ipsa non vacant proprie, sed per hujusmodi unionem extinguuntur. Secus, si unita essent alteri aeque principaliter; nam tunc, cum nec nomen, nec titulum, nec effectum beneficii perdant, non est ratio, quare non comprehendantur sub alternativa; Gonz. *gloss.* 5. §. 7. *n.* 39. *et* 112. Chockier *gloss.* 1. *a n.* 16. Barb. *n.* 155. *et* 158. Pirh. *n.* 354. Vviest. *n.* 131.

4. *Praelaturae, et prioratus regulares* ordinum mendicantium, beneficia regularia ordinum militarium, et canonicatus magistrales, vel doctorales; quia primi non sunt perpetui; secunda specialiter excipiuntur in *reg.* 3. *cancell.* ultimi conferendi sunt per concursum; Chokier *gloss.* 3. *n. et gloss.* 4. *n.* 7. Barb. *n.* 175. Leur. *p.* 2. *q.* 556. *n.* 5. *et* 8.

288

5. *Coadjutoriae*, etiam cum jure successionis; quia non sunt beneficia, nec morte talem coadjutoriam obtinentis vacant, sed cessant; Chokier *gloss.* 1. *n.* 21. Barb. *n.* 156. Vviest. *n.* 132.

6. *Commendae* etiam perpetuae, seu ad vitam commendatarii; Gonz. *gloss.* 5. §. 8. *a n.* 34. Chokier *gloss.* 1. *cit. n.* 20. Barbosa *n.* 154.

7. *Pensiones* ex alieni beneficii fructibus alicui assignatae; quia sunt quid temporale, et a beneficio separatum; Chokier *l. cit. n.* 10. *et seq.* Barb. *n.* 150. *Excipitur*, nisi pensio, seu jus percipiendi partem fructuum alicui ecclesiae, vel beneficio detractam sit perpetuum; nam tunc haberet rationem beneficii.

289

8. *Altaria, oratoria, et capellaniae*, si absque superioris ecclesiastici authoritate fundatae sint; quia non sunt beneficia ecclesiastica, sed sunt sub pia dispositione fundatoris, haeredumque illius, vel successorum, qui possunt tales capellanias donare sine episcopo, quibus voluerint, modo juxta intentionem fundatoris idonei sint; Chokier *l. cit. n.* 2. Barb. *n.* 142.

9. *Beneficia patronata*: sed cum jus patronatus, ut suo loco dicam, triplex sit, ecclesiasticum, laicale, et mixtum, hinc ulterius

290

Dub. 2. quaenam beneficia patronata non cadant sub alternativam? *Certum est* 1. sub alternativam cadere beneficia patronatus ecclesiastici; quia ex communi DD. haec nulla gaudent praerogativa, et termini regulae, ac concordatorum sunt generales. *Certum est* 2. eidem non subjacere beneficia juris patronatus laicorum, si hoc jus ipsi quaesitum sit fundatione, constructione, vel dotatione; nam juri isti ob specialem favorem laicis indultum, ut studium illorum ad pias fundationes faciendas excitetur, non censetur derogari sine speciali mentione ejusdem, quam tamen nec regula *cit.* nec germaniae concordata faciunt; Garc. *part.* 5. *cap.* 1. *n.* 571. Chokier *gloss.* 1. *cit. n.* 3. *et gloss. per totum*, Nicolarts *ad concord. tit.* 1. *dub.* 5. §. 8. Barb. *alleg.* 57. *n.* 25. *et seq.* Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *n.* 22. Vvex *Ariadn. p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. §. 2. *not.* 3.

291

Difficultas moveri potest de beneficiis patronatus mixti, seu partim laicalis, partim ecclesiastici; nam graves quidam DD. putant ea esse alternativae subjecta *arg. cap. quod in dubiis* 3. *de consecr. eccl.* quia sc. magis dignum ad se trahit id, quod est minus dignum, quam jus patronatus laicale; ergo etc.

Sed rectius etiam istud ab hac reservatione eximitur. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 36. *q.* 7. *vers. quaeres*, Garc. *p.* 5. *cap.* 1. *n.* 582. Vvames *tom* 1. *cons.* 255. *n.* 15. Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 18. *n.* 12. Chokier *ibid. gloss.* 1. *n.* 3. Piasec. *prax. episc. p.* 2. *cap.* 5. *art.* 1. *n.* 40. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 34. *n.* 40 Barb. *alleg.* 57. *n.* 27. 144. *et* 257. Van-Espen *p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *n.* 24. Vvex *ariadn. p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. §. 2. *not.* 3. la Croix *l.* 4. *n.* 516. Pirh. *hic n.* 324. Vviest. *n.* 134. *Ratio est*, quia aequum non est, ut laicus privilegium suum perdat propter societatem clerici, cum in re individua quis praejudicium pati, et privilegium suum amittere non debeat propter societatem alterius non privilegiati.

Excipitur, si laico illud competeret non ex fundatione, dotatione, aut constructione, sed ex privilegio apostolico, vel praescriptione; nam hoc titulo competens, etsi laico soli competat, a reservatione alternativa non eximitur, ut cum *cit.* notat Leur. 2. *p. q.* 556. *n.* 1. item si in illo laici minorem votorum numerum habent, quam ecclesiastici; tali enim casu major pars praedominans attendi debet; Nicolaris *ad conc. tit.* 1. *dub.* 5. §. 15. *et* 16.

Ad rationem in contrarium allatam dico regulam illam procedere, quando pars minus digna non fruitur speciali privilegio.

292

Dub. 3. an alternativae subjecta sint beneficia vacantia per resignationem? Resp. distinguendo inter resignationem tacitam, et expressam, et hujus modos diversos; vacare enim beneficia possunt per resignationem expressam factam in favorem alterius, vel per resignationem factam simpliciter, pure, et absolute.

Certum est 1. alternativae subjectum esse beneficium vacans per resignationem tacitam, quia non est proprie resignatio, sed amissio beneficii ipso jure inducta. 2. Non minus clarum est eidem alternativae locum non esse, quando beneficium aliquod vacat per resignationem expressam, factam in favorem alterius; cum enim in solius papae manibus fieri illa de jure possit, quocunque mense ex tali causa vacaverit, ad provisionem apostolicam pertinebit. 3. Convenit inter DD. quocunque mense resignatio fiat causa permutationis apud ordinarium, ab eodem conferri beneficia sic resignata posse; quia solum vacant ad effectum, ut commutantibus conferri possint, non vero ad alios effectus vacatura.

293

Controversia est de beneficiis, quae vacant per resignationem simplicem, non quidem vi *regulae VIII.* seu *IX.* allegatae; nam vi istius beneficia, simpliciter, et pure resignata, alternativae non subjici, facile concedunt DD. ob terminos generales dictae regulae, *alias, quam per resignationem quocunque modo vacatura etc.* sed vi concordatorum Germaniae. In affirmativam inclinat P. Vviest. *hic* 143. ex ratione, quia concordata absolute dicunt beneficia, cum vacabunt, alternis mensibus conferri debere a papa, et ordinario, nec distinguunt inter vacandi modos, prout distinguit *cit. regula. Et confirmari* potest etiam ex eo, quia juxta communem opinionem resignans habetur pro mortuo, et mors civilis aequiparatur morti naturali. Igitur sicut ordinarius in Germania in mensibus papalibus non potest conferre beneficia vacantia per obitum, ita nec conferre poterit vacantia per resignationem.

294

Sed dicendum, probabilius etiam a Germaniae ordinariis conferri posse beneficia, quae mense papali per resignationem simplicem, in manibus ordinarii factam, vacant, dummodo talia sint, quae alias, si in mensibus non reservatis per obitum vacent, ad ipsorum ordinariorum dispositionem pertinent, et resignatio in illo casu alio speciali jure non sit prohibita, ut prohibetur resignatio promovendorum ad dignitatem episcopalem. Ita Chokier *ad reg.* 8. *gloss.* 11. *n.* 29. Branden. *ad concord. q.* 12. *n.* 13. Nicolarts *ibid. tit.* 1. *dub.* 9. §. 9. Leur. *p.* 2. *q.* 598. *n.* 5. Vvex *p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. §. 2. *not.* 3. et alii communiter. *Ratio est*, quia non est credibile, quod per concordatorum reservationes papa voluerit duriorem facere conditionem ordinariorum Germaniae, quam sit ordinariorum in aliis nationibus per reservationes factas in regulis cancellariae: atqui vi istarum ordinarii aliarum nationum conferre possunt beneficia vacantia per resignationem simplicem, ut dictum est *n. praeced.* ergo etc.

295

Putat quidem P. Vviest. *n.* 143. *cit.* hoc argumentum non multum probare, cum etiam stante, quod ordinarii Germaniae non possint conferre beneficia, per resignationem simplicem mense papali vacantia, adhuc melior dici possit illorum conditio, quam ordinariorum in aliis nationibus, quippe qui tertio quoque mense duntaxat beneficia vacantia conferre possunt, cum episcopi Germaniae possint alternis. Sed esto, hoc ita sit, saltem sequitur, quod episcoporum Germaniae residentium in sua dioecesi conditio per concordata sit facta deterior, quam aliorum episcoporum, qui si resideant, alternativa gaudent, et simul beneficia vacantia per resignationem simplicem quovis mense conferre possunt.

296

Ad argumentum in contrarium allatum, ut Chokier *gloss.* 11. *cit. n.* 11. card. de Luca *de benef. disc.* 27. *n.* 4. Leuren. *p.* 2. *quaest.* 597. notant, concordata Germaniae, cum prodierint in gratiam pacis, et unionis ecclesiae, favorabilia sunt, ac propterea plenissime interpretanda in favorem ordinariorum, praesertim cum reducant ad jus commune: sic autem censeri non debet ordinariis Germaniae negatus aliquis favor, qui conceditur aliarum nationum ordinariis residentibus. *Ad conf.* argumentum a simili non procedit; quando in casu proposito dissimilitudo colligitur; facit autem *regula cit.* inter resignantem, et mortuum aperte discrimen: igitur cum nihil obstet, quo minus ejusdem favor etiam ad casus concordato-

rum extendatur, hoc discrimine etiam ordinariis Germaniae juvabuntur.

297

Dub. 4. an alternativa porrigatur ad beneficia fundata, et erecta post inita concordata? *Ratio dubitandi* sumitur ex *clem. fin. de rescript.* ubi statuitur litteras pontificias, super beneficio alicui conferendo directas, non extendi ad beneficium post datam ipsarum creatum, ex quo a pari videtur inferri, quod nec concordata de reservatione, et alternativa beneficiorum intelligi debeant de beneficiis post illa creatis. *Conf.* quia aliquando manus ligare videtur mens fundatoris, dum hic in ipso statim fundationis limine beneficium, a se fundatum provisioni solius ordinarii, vel alterius collatoris inferioris expresse subjicit.

298

Sed dicendum, tam *regulam cancell. cit.* quam concordata, et fundatam super illis alternativam porrigi etiam ad beneficia postea erecta. Ita Aeneas de Falconib. *de reservat. quaest.* 3. *principal. n.* 8. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 34. *fin.* Vvames. *tom.* 1. *cons.* 242. Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 9. §. 5. *a n.* 44. Chokier. *ibid. gloss.* 4. *n.* 9. Garc. *p.* 5. *cap.* 1. *n.* 519. Barb. *alleg.* 57. *n.* 181. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 22. §. 1. *n.* 9. Nicolarts *ad concord. tit.* 1. *dub.* 4. §. 2. Vveiss. *ibid. assert.* 22. Zoes. *hic n.* 27. Vviest. *n.* 140. *Ratio est*, quia *concordata et regula cit.* alternationem inducunt generaliter includendo beneficia quaecunque, et qualitercunque qualificata: et hac generalitate includi etiam beneficia novae erectionis, qualitate praedita, expediens, imo ad finem per concordata intentum prope necessarium fuit, ne inferiores collatores nimium graventur, et studio amoliendi gravamen praeventionis, quod alias papae competeret, collationes cum ecclesiarum damno, et animarum periculo nimium praecipitent.

299

Intelligi autem hoc debet solum de secunda, et sequentibus collationibus talis beneficii; nam prima collatio, quae post erectionem, et creationem beneficii contingit, sub hanc reservationem non cadit, ut contra Gonz. *loc. cit. n.* 50. probabilius docent Garc. *n.* 520. Barb. *n.* 181. Pal. *num.* 10. Nicolarts §. 4. Leur. *p.* 2. *quaest.* 557. *n.* 1. *Ratio est*, tum quia tale beneficium post primam sui erectionem non vere vacat; tum quia durum videretur, et a mente papae longe alienum, quod si in mense apostolico crearetur, et erigeret beneficium per ordinarium, iste beneficium illud conferre non posset.

Ad rationem dubitandi negatur paritas ; nam *in clem. cit.* agitur de gratia exspectativa, et reservatione pro certa persona, quae odiosa, et restringenda est ; praesens autem dubitatio de generali, et legali, quae, quia, ob causam publicae utilitatis introducta est, favorabilis est, ac proinde extendenda. *Ad conf.* patet ex dictis *n.* 284. ubi ostendi, hanc fundatoris voluntatem non esse attendendam.

300

Dub. 5. quae dignitates sub alternativam cadant? Resp. De dignitatibus proximis pontificali in cathedralibus, et primis in collegiatis ecclesiis certum est eas non subjici alternativae, cum eae semper sint, et maneant reservatae sedi apostolicae, etiamsi vacent in mensibus ordinariorum, ut supra dictum est *n.* 242.

In ceteris est adhibenda distinctio : vel enim in titulum perpetuum, seu ad vitam provisi ceduntur, vel non. *Si primum*, quocunque nomine appellentur, alternativae subjacent, et si vacent mense apostolico, papae sunt reservata ; quia quae in titulum conferuntur, quomodocunque nominentur, reipsa sunt proprie dicta beneficia ecclesiastica, et his aperte accensentur; *cap. nulla* 2. *V. cum vero de concess. praeb. et cap. fin. pr. eod. in* 6. ac proinde ab alternativa *per concord.* §. *de ceteris*, *et reg.* 8. *cit.* non possunt eximi. *Si secundum*, quocunque mense vacent, cum manualium beneficiorum jure censeantur, ad inferiorum collationem semper pertinent ; Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 5. §. 11. *a n.* 5. Chokier *ibid. gloss.* 1. *n.* 24. Nicolarts *tit.* 1. *dub.* 1. §. 16. *et dub.* 3. *a* §. 2. Vveiss. *ad concord. assert.* 19. Vviest. *hic n.* 138.

Ex quo sequitur alternativae subjectos esse decanatum (nisi in aliqua ecclesia sit proxima post episcopatum dignitas : quia sic esset reservatus summo pontifici, ut dictum est) archidiaconatum, primiceriatum, scholasteriam, et alias similes dignitates, vel officia : contra ab eadem alternativa eximi, et quocunque mense vacent ad episcopi, et aliorum collatorum provisionem pertinere officium vicarii generalis tum episcopi, tum capitulo sede vacante, officium item custodis, cellarii, protonotariorum etc. Quae tamen omnia intelligi volo, nisi alicubi in contrarium detur privilegium, vel consuetudo : qualem Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *n.* 19. testatur dari passim, ut capitula eligant suos decanos, quocunque mense vacatio contigerit.

301

Dub. 6. utrum alternativae subjaceant vicariae beneficiorum parochialium? Procedere dubium hoc solum potest de vicariis perpetuis ; nam temporales alternativae non subjici patet ex dictis *n.* 286. Perpetuas non eximi videtur ex duplici ratione : 1. quia sunt

proprie dicta beneficia, et sic ratio cessat, quae pugnat in temporalibus: 2. quia alternativae subjacent beneficia, quae sunt juris patronatus ecclesiastici, ut dictum est *n.* 290.

Sed tenenda est sententia negativa; sic enim expresse statuit S. Pius V. *constit.* incipit *ad exequendum edita kal. nov.* 1567. ubi hujusmodi vicariae nominationi parochorum, et aliorum, quibus unitae sunt, relinquuntur, indistincte, et sine ulla mensium mentione.

Argumenta contraria non multum urgent. *Ad* 1. etiam beneficia patronatus laici sunt proprie dicta beneficia, et tamen non continentur sub alternativa, ut dictum est *n.* 290. *Ad* 2. negatur paritas; quia jus, quod respectu vicariae rectori principali competit, non est nudum jus patronatus, sed jus quoddam in ipso beneficio conjunctum cum dominio fructuum; et nominatio, quae fit ad vicarium, non est praecise praesentatio, sed vim institutionis collativae tituli continet, ita, ut institutio, quam de sic nominato facit episcopus, solum sit institutio, ut vocant authorizabilis, seu approbatio nominati ad curam.

302

Dub. 7. utrum alternativae subsint ipsa beneficia parochialia? *Ratio dubitandi* sumitur ex *cap. cum in illis* 16. *h. tit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. declarat, quod sub mandato apostolico, quo jubetur, ut alicui provideatur de ecclesia, dignitate, personatu, aut quocunque alio beneficio, non comprehendatur ecclesia parochialis, nisi de cura animarum specialis sit facta mentio: ergo nec in nostro casu nomine beneficii simpliciter prolato comprehendetur beneficium parochiale.

Sed respondendum est affirmative, etsi raro reservatio haec locum in iis habeat, cum plurima ex iis sint juris patronatus laicorum, cui, ut dictum est supra *n.* 290. pontifex per concordata noluit derogatum. Ita Gonz. *gloss.* 6. *n.* 17. *et seqq.* Chokier *gloss.* 2. *n.* 10. Barb. *alleg.* 57. *n.* 159. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 10. *n.* 3. Nicolaris *dub.* 6. §. 5. Vvagn. *ad concord.* §. 3. *not.* 1. Van-Espen *p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *n.* 16. Vex *p.* 1. *tab.* 17. *memb.* 1. §. 2. *not.* 3. la Croix *l.* 4. *n.* 480. Pirh. *hic n.* 362. Vviest. *n.* 137. *Ratio est*, quia tam *reg. cancell.* quam concordata loquuntur universaliter, et comprehendunt beneficia *cum*, *et sine cura.*

Neque obstat textus *cap. cum in illis cit.* quia tantum loquitur de impetratione beneficii, et pontifex statuit, ei, qui impetravit mandatum de conferendo beneficio, non propterea conferendum parochiale, vel curatum ex ratione, quia, ut textus habet, *in illis, quibus beneficia curam animarum habentia committuntur, major,*

quam in iis, qui ad alia promoventur, idoneitas requiritur: quae ratio cum in casu quaestionis praesentis cesset, ideo ad illum textus dispositio extendi non debet.

303

Dub. 8. quid dicendum de beneficiis monocularibus? Ita appellatur beneficium, quod unicum est in aliqua ecclesia, vel si plura sint, ex pluribus solum ad provisionem collatoris spectat.

De his gloss. *in clem* 1. *V. incerta h. tit.* Aeneas de Falcon. *de reserv. q.* 3. *pr. n.* 32. Selva *l.* 3. *de benef. q.* 11. *a n.* 71. Gomez *de exspectat. n.* 46. negant, ea comprehendi sub alternativa, ex ratione, quia verisimile non est, quod papa illud ad se avocare, et collatorem ordinarium unica, quam habet, conferendi potestate privare voluerit: qua de causa nec primis precibus imperatoriis subjecta sunt, prout dicetur *infra num.* 344.

Verum etiam haec alternativae subjecta esse tanquam pene certum statuunt Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 518. Gonzal. *gl.* 9. §. 4. *a n.* 15. Chokier *gl.* 4. *n.* 5. Barb. *all.* 57. *n.* 180. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 22. §. 1. *n.* 8. Nicolarts *dub.* 2. §. 3. Leur. *p.* 2. *q.* 557. *n.* 3. la Croix *l.* 4. *n.* 509. Vvies. *n.* 136. Ratio est generalitas, et vis verborum, quibus pontifex tam in concordatis, quam in *reg. cancel. cit.* utitur; nam *beneficia quaecunque, et qualitercunque qualificata* includit; ac proinde etiam monoculatoria. Accedit, quia, ut *n. praec.* dixi, alternativae subjecta sunt beneficia parochialia, et curata, quae tamen fere omnia sunt monocularia.

Ad argumentum contrarium dico, hac reservatione non privari absolute ordinarium collatorem potestate providendi, quam habet, sed tantum eam restringi pro aliquot mensibus.

304

Dub. 9. de beneficiis patrimonialibus et iis, quae ex fundatione, privilegio, vel consuetudine, certo personarum generi, puta, doctoribus, magistris etc. conferri debent. Negant illa alternativae obnoxia esse Covar. *prac. c.* 86. *a n.* 4. *ver. simpliciter*, Men. *l.* 3. *cons.* 394. *n.* 18. Zerol. *prax. episc. p.* 1. *V. beneficia* §. 3. *dic.* 8. Quar. *sum. bullar. V. beneficiorum reservatio in addit.* 1. quia beneficia haec indigent speciali mentione, ut inclusa censeantur in juris dispositione de beneficiis; alias ea frustra expressisset Trid. quando *ses.* 24. *c.* 18. *de ref.* statuit ea debere conferri per concursum, quippe cum id de curatis statuerit generatim. 2. quia beneficia reservata regulariter resignari, permutari, pensionis impositione onerari, et sine concursu provideri possunt: quod non cadit in patrimonialia. 3. ea non cadunt sub reservationem factam *cap. licet h. t. in* 6. ergo nec sub alternativa, quae major est.

Sed verius sub alternativa ea beneficia contineri defendunt Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 56.2 Gonz. *glos.* 9. §. 1. *n.* 59. Chock. *glos.* 1. *n.* 5. *et glos.* 4. *n.* 3. Barb. *alleg.* 57. *n.* 144. *et* 176. Pal. *p.* 22. *cit.* §. 1. *n.* 3. la Croix *l.* 4. *n.* 480. Vvies. *hic n.* 135. et sumitur ex generalitate §. *de ceteris*, *et reg. cit.* ubi alternativae subjiciuntur beneficia qualitercunque qualificata, ut proin non appareat, quomodo patrimonialia ei subtrahantur.

Ad 1. *argumentum contrarium* dico non inutiliter in *l. cit.* Trid. exprimi patrimonialia, quia ibi non ponuntur termini tam generales, ut in casu praesenti. *Ad* 2. ordinarie in patrimonialibus non fit permutatio, resignatio etc. sed concursus, non quasi permutari etc. nequeant, sed quia inter paucos, quibus conferri possunt, facile dignoscitur, quis sit dignior beneficio. *Ad* 3. ut Pal. *l. cit.* notat, etiam patrimonialia continentur sub reservatione *c. cit.*

305

Quaeritur 3. de praxi, et modo alternandi in collatione beneficiorum. Plura hic resolvenda sunt dubia.

Dub. 1. qua hora, et puncto diei terminetur mensis apostolicus, et incipiat mensis ordinarii, aut vicissim terminetur iste, incipiat ille? *Ratio dubitandi* sumitur ex *const. Eugenii IV.* quae anno 1441. in favorem Leodiensium edita est, et vim concordatorum obtinet, ubi decernitur menses tam ordinarii, quam apostolicos inchoari ab ortu solis: ex quo videtur consequi, cum non omnibus anni diebus sol oriatur eadem hora, etiam menses istos incipere, et terminari diversis horis. Verum, ut bene advertit Nicolarts *ad concord. t.* 1. *dub.* 12. §. 1. ortus solis *in const. cit.* non accipitur pro puncto temporis, quo sol supra horizontem emergit, sed pro eo, quo nobis incipit appropinquare, quod cum fiat lapsa hora 12. noctis, hinc

306

Dicendum, menses apostolicos finiri minuto horae istius ultimo, et cons. mensem ordinarii jam inchoari, cum hora illa audiri coepit; quia cum primus horae pulsus auditur, hora jam est exacta, ad quod indicandum editur sonus. Ita Garc. *p.* 5. *de ben. c.* 1. *n.* 523. *et* 524. Gonz. *ad reg.* 8. *glos.* 11. *a n.* 9. Sanch. *l.* 2. *de matr. D.* 41. *n* 40. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 22. §. 2. *n.* 1. Barbos. *de offic. episc. alleg.* 57. *n.* 184. Zypaeus *cons.* 5. *n.* 5. *h. t.* Nicolarts *ad concord. t.* 1. *dub.* 12. §. 3. Vvex *p.* 1. *ariad. tab.* 17. *memb.* 1. §. 2. *not.* 2. la Croix *l.* 4. *theol. mor. n.* 486. Engl. *hic n.* 26. Vvies. *n.* 121. et sumitur ex *c. consuluit* 24. *de offic. deleg. et l. more romano* 8. *ff. de feriis.* Ex quo sequitur, casu, quo beneficiarius obiit ultima nocte mensis decembris in puncto immediato ante mediam noctem, collationem competere ordinario, prout a rota decisum refert Jos. Ludov. *decis.*

Perus. 116. apud Zyp. *l. cit.* Quin et si in ipso puncto mediae noctis mors incidat, adhuc standum pro ordinario est, ut idem Zypaeus notat, ex ratione, quod a media nocte, seu puncto primo, quo sol appropinquare hemispherio nostro incipit, primum inchoetur alter dies et mensis.

307

Quodsi in aliquo loco plura sint horologia, sententiae sunt diversae; nam aliqui cum Garcia *n.* 525. Pal. *n.* 1. *cit.* Barb. *n.* 184. card. de Luca *de benf. disc.* 15. *n.* 13. Leuren. *qu.* 561. *n.* 2. volunt medium noctis desumendum ex horologio parochiae defuncti, vel illo, quo tanquam ordinatiore incolae regi, et uti solent. Alii cum Bobadill. *politic. l.* 5. *c.* 2. *n.* 25. existimant tunc posse attendi, quod magis propitium, et favorabile est episcopo: quod verum est, nisi id, quod favorabilius est, irregulare sit, et frequenter fallat, non item alterum, vel reliqua. Si vero beneficiarius decessit in loco, ubi nullum est horologium, vel si sit, deordinatum probatur, aut audiri non potuit, medium noctis, et novae diei naturalis exortus colligendus est ex arbitrio prudentum, attento siderum cursu, galli cantu, et iis, quae communius contingunt; Garc. *n.* 526. Pal. *n.* 1. *cit.* Barbos. *n.* 187. Nicolarts §. 5. Gavant. *V. beneficiorum reservatio n.* 35. la Croix *l.* 4. *n.* 487. Vvies. *hic n.* 122. et ita decisum a rota refert Gonz. *glos.* 1. *cit. n.* 16.

Ubi horologia incipiunt ab occasu solis usque ad 24. horas, numerando per quatuor senarios, vel duas duodecimas, ut in Italia, media nox accipienda erit juxta quantitatem, seu magnitudinem, et parvitatem dierum, et noctium, et tempore aequinoctii nox media erit hora 6. Garc. *n.* 525. Nicolarts §. 9. Leuren. *n.* 3.

308

Dub. 2. ad quem collatio spectet, si non constet verisimiliter, ante, an post noctis medium decesserit beneficiarius, v. g. si domi reperiatur mortuus in lecto, occisus in via, aut submersus aquis etc. Videtur eo casu amplectenda pars favens sedi pontificiae *arg. c. si a sede* 31. *h. t. in* 6. ubi in dubio, an ordinarii, vel papae provisio anterior sit, propter authoritatis praerogativam defertur provisioni factae a papa, et ea provisus praefertur illi, cui collatio est facta ab ordinario; item *clem.* 1. *ut lit. pend. ibi*, *Neutro autem ipsorum beneficium possidente, erit romanus pontifex propter authoritatis praerogativam in collatione hujusmodi praeferendus.*

309

Nihilominus DD. passim ad istam quaestionem censent, eo casu potius favendum esse ordinario. Et quidem, quod tali casu ordinarius conferendo beneficium pontificem praeferendus sit illi, cui dein-

de contulit pontifex, satis exploratum apud DD. est; quia ordinarius habet intentionem suam fundatam in jure communi, juxta quod provisio omnium beneficiorum suae dioecesis ad ipsum spectat, dummodo non sint reservatione non constat; Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 22. §. 2. *n.* 2. Engl. *hic n.* 26. *vers. ceterum*, Pirh. *ib. n.* 354. Leur. *q.* 562. *n.* 1. Debetque reservatio haec, et quod vacatio contigerit mense papali probari concludenter, ut provisus a papa obtinere possit; la Croix *l.* 4. *n.* 488.

310

Idem ob eandem rationem probabilius dicendum, quando beneficium ita vacans uterque contulit, et non constat, quis alterum praevenerit, saltem quando provisorum nullus est in possessione, et provisio papae non in jure praeventionis, sed in reservatione, et vacatione in mense papali fundatur; Gonz. *glos.* 11. *n.* 37. *et seq.* Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 528. Barbos. *alleg.* 57. *n.* 188. Pal. §. 2. *cit. n.* 3. Zyp. *cons. cit. n.* 6. Nicolarts *dub.* 12. §. 7. Leur. *qu.* 562. *cit. n.* 3. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *t.* 23. *c.* 5. *n.* 10. Vvies. *hic n.* 124. et alii apud istos.

311

Major controversia est de casu, quo constat, quod papa conferendo beneficium praevenerit ordinarium et sic provisus a papa est in possessione beneficii sibi collati. Nam tali casu hunc alteri, qui non est in pessessione, praeferendum existimant Gonz. *n.* 26. Barb. *n.* 188. et alii: hinc *cit.* Gonz. *n.* 33. monet possessorem, ne se facile constituat actorem, aut si non possidentem ipse conveniat, petitorium intentet ob difficultatem probandi quasi dominium, seu proprietatem. Sed probabilius etiam hoc casu praeferendum illum , qui provisus est ab ordinario, donec provisus a papa reservationem probet, existimant Garc. *n.* 530. Barb. *n.* 188. Pal. *n.* 5. Nicolarts §. 7. Pirh. *n.* 354. Vvies. *n.* 124. Leur. *n.* 4. *Ratio est*, quia quando constare non potest, in quo mense beneficium vacaverit, praesumptio juris stat pro ordinario, ideoque onus probandi transfertur in adversarium existentem in possessione. *Conf.* quia hoc casu pontifex solum intendit conferre beneficium jure reservationis : ergo si de illa non constet , nullum jus in beneficium acquisitum est proviso a papa , adeoque tanquam provisus sine vero titulo repellendus.

312

Neque contrarium probatur ex duobus textibus *n.* 80. allegatis. *Ad* 1. textibus *cap. si a sede cit.* solum procedit in provisione apostolica, quae facta est jure praeventionis; tunc enim in dubio, quis praevenerit , ob pontificiae authoritatis praerogativam praeferendus est provisus a papa. Aliud est, quando provisio a papa facta est ju-

re reservationis ; tunc enim non papa , sed ordinarius inferior intentionem in jure fundatam habet, quamdiu de reservatione non constat. *Ad* 2. in casu *Clem. cit.* constabat de lite super beneficio inter duos pendente , cons. etiam de impedimento , quo impediebatur episcopus alicui de illo providere , cum lite pendente nihil sit innovandum.

313

Dub. 3. an, et quousque ordinarius exspectare debeat provisionem apostolicam beneficii vacantis mense papali? *Res. Inconcord.* §. *de ceteris* pontifici datur trimestre , et post hoc ordinario libera conceditur potestas conferendi beneficia mense papali vacantia ; sic enim habent : *Quoties ... aliquo vacante beneficio in januarii, martii, etc. mensibus , specialiter dispositioni dictae sedis reservatis , non apparuerit intra tres menses a die notae vacationis in loco beneficii , quod alicui de illo apostolica authoritate provisum fuerit , ex tunc, et non antea ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit.* Qui tamen textus ipse occasionem dat quaestioni.

314

An casu , quo intra trimestre a pontifice de beneficio ita vacante sit facta provisio, provisus vero post trimestre a die notae vacationis in loco beneficii non appareat coram ordinario , iste conferre beneficium hoc possit alteri , et a papa provisum excludere ? Ita quidem nonnunquam factum est , sed male , ut patet ex *bulla Gregorii XIII.* incipit *quae in ecclesiarum* , edita *cal. nov.* 1576. ubi declaravit, verba *in loco beneficii*, quae praefato errori ansam dederant , non referenda ad *non apparuerit*, sed conjungenda immediate antecedentibus *notae vacationis*, ita, ut non sit necessarium provisum a sede apostolica , aut litteras provisionis intra trimestre apparere in loco beneficii, sed sufficiat, si provisio intra illud tempus fiat Romae, etsi ob locorum distantiam, itinerum difficultatem , aut aliam ligitimam causam in loco beneficii primum post trimestre innotescat; Engl *hic n.* 51. *vers. specialiter* , Vvagn. *ad concord.* §. 3. *vers. intra tres menses*, Vvex *part.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. §. 2. *num.* 2.

315

Hinc dicendum , posse quidem ordinarium collatorem lapso trimestri , et quidem primo stadium die post ejus lapsum beneficium mense papali vacans conferre alteri ; non tamen ita , ut eum, qui forte a papa eo trimestri provisus est, excludat, sed sub conditione, si interea non sit illud a papa collatum alteri. Patet ex *concord.* §. *de ceteris cit. ibi, ex tunc, et non antea ordinarius, vel alius, ad*

quem ejus dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit: ubi dictio *ex tunc*, quemadmodum recte notat Marta *de clausulis p.* 3. *clausul.* 88. Zypaeus *hic consult.* 5. *n.* 10. Vviest. *n.* 109. idem denotat, quod *statim a lapsu temporis praescripti.* Imo si ita contulerit ordinarius, vel alius collator, provide faciet, ut papam, qui, ut bene notat Nicolarts *tit.* 1. *dub.* 11. §. 3. lapso etiam trimestri jure praeventionis gaudet, praeveniat, et ejus collationem, tanquam posterius factam, excludat. Ut tamen turbatio vitetur, quae contingere posset, si duo hoc modo providerentur de beneficio eodem, unus a papa, alter ab ordinario, ita provisus ab ordinario non mittendus est in possessionem, sed per aliquod tempus exspectandum, intra quod etiam is, qui ultima die dati trimestris Romae a papa provisus est, gratiam apostolicam publicare possit; clariss. P. Schmier *p.* 2. *cap.* 3. *n.* 207.

316

Dub. 4. intra quod tempus is, qui de beneficio vacante mense papali, provisus Romae est, gratiam sibi factam publicare seu intimare debeat? Resp. Constitutione Gregoriana *cit.* dantur illi tres menses numerandi a die notae vacationis in loco beneficii: intra quod tempus si gratiam sibi factam a papa collatori ordinario significare, aut eam in loco beneficii publicare culpabiliter omiserit, jure suo quidem non cadit, poenae tamen arbitrariae pro culpae modo subjacet.

Dixi 1. *si culpabiliter omiserit*; nam is, cui gratia non ita mature facta est, ut intra trimestre aut ipse, aut litterae, apostolicae gratiae factae, testes, in Germaniam venire possint, ad eandem ita mature intimandam, seu publicandam non adstringitur; Vvagn. *ad concord.* §. 3. *vers. subjungit*, Engl. *de rescript. n.* 23. *ad* 3. Vviest. *hic n.* 112. et novissime clariss. P. Schmier *loc. cit. n.* 208. et docet ipsa aequitas naturalis.

317

Dixi 2. *jure suo non cadit. Ratio est*, quia privatio beneficii ipso jure non contrahitur, nisi in casibus jure expressis. Atqui nullo jure expressum est, quod is, qui publicationem gratiae, sibi a papa factae, ultra tres menses culpabiliter differt, jus sibi quaesitum amittat: ergo etc. Chokier *ad reg.* 8. *gloss.* 11. *n.* 5. Branden. *notat.* 2. *n.* 5. P. Pirh. *hic n.* 363. *not.* 4. P. Vviest. *ibid. n.* 113. P. Schmier *l. cit.*

Dixi 3. *poenae arbitrariae*: potest autem haec poena, si negligentia valde gravis sit, et publicatio, justo impedimento cessante, ultra novem menses differretur, augeri usque ad privationem beneficii per sententiam, ut notat P. Vviest. *l. cit.* et merito; nam poena

haec jure lata est in eos, qui intra novem menses non publicant beneficiorum resignationes, et resignatorum collationes apostolicas, ut habetur *constit. Gregorii XIII.* incipit *humana edita nonis jun.* 1583. igitur videtur satis proportionata, si simili tempore culpabiliter negligatur publicatio gratiae, a pont. mense papali facta, ut per sententiam inferatur.

318

Dub. 5. an sicut cum beneficium vacat mense papali, si papa illud intra trimestre non contulerit, conferri illud potest ab ordinario, ita vacans mense ordinarii, si ab hoc illo mense non conferatur, fiat deinde collationis. *Ratio dubitandi est*, quia hoc modo tale beneficium jam vacat mense apostolico, qui mensem ordinarii sequitur. Sed haec ratio levis est, quia reservatio haec intelligi debet de beneficiis, non quomodocunque vacantibus mense papali, sed de iis, quae mense aliquo papali vacare incipiunt.

Hinc dicendum hujusmodi beneficium adhuc conferri posse ab ordinario, etsi lapsus sit mensis, in quo vacare coepit. Ita Gonz. *gloss.* 11. *n.* 53. *et seq.* Barb. *alleg.* 57. *n.* 189. Nicolarts. *tit.* 1. *dub.* 11. §. 6. Van-Espen *p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *n.* 11. Engl. *hic n.* 26. *vers. illud quoque*, Vviest. *ibid. n.* 125. manetque potestas ista ordinariis usque ad semestre, ut Nicolarts *l. cit.* notat. *Ratio est*, quia in concordatis collatoribus summ. pontifice inferioribus nullum praescriptum tempus est: unde quoad istud jure communi standum est. Hoc autem jure pro beneficiis, quae sunt infra episcopatum, et praelaturam regularem, semestre statutum est; *cap. nulla* 2. *et cap. quia diversitatem* 5. *de conces. praeb. cap. licet* 3. *et Clem. un. de supp. negl. praelat.*

319

Dub. 6. quando incipiat trimestre, sedi apostolicae competens pro conferendo beneficio vacante in mense papali? an ipsa die, qua innotescit vacatio beneficii in loco ejusdem, an die proxime notitiam hanc consequenti? Resp. Verisimilius est sequenti primum die inchoari. Ita gloss. *in cap. statutum* 3. *V. numerandum not.* 3. *h. tit. in* 6. Rebuff. *reg. de infirmis gloss.* 10. *n.* 9. Chokier *ad eand. reg. n.* 39. Pirh. *hic n.* 328. *in fin.* Vviest. *n.* 119.

Ratio est, quia §. *de ceteris cit.* apostolicae sedi assignatur terminus trium mensium a die notae vocationis in loco beneficii; regulariter autem dies termini in termino temporis non computatur, quando illum in hoc non computari interest ejus, cui terminus est assignatus, *l. eum qui* 41. *princ. vers. plane ff. de V. O.* praesertim si terminus praefixus sit per praepositionem A. quae natura sua separat, et terminum *a quo* excludit.

320

Dub. 7. quomodo accipiendi, et numerandi sint menses vi alternativae concessi papae, et ordinariis? Resp. Etsi alias varie computentur juxta ea, quae tradit Menoch. *de arbitr. cas.* 5o. *a n.* 2. in praesenti tamen accipi eo modo describuntur, ac distinguuntur in calendario, ita, ut cuivis tot dies attribuantur, quot ipsi juxa calendarium, et usum communem habent.

Ex quo sequitur, casu, quo vacatio beneficii in loco ejusdem innotuit 31. martii, qui mensis papalis est, si illud ultima seu 3o. die junii Romae non fuit collatum, deinceps conferri id posse ab ordinario, et reservationem ejus cessare. E contrario, si vacatio in loco beneficii nota fuit 3o. sept. beneficium illud 31. decembr. adhuc reservatum esse, nec ab ordinario conferri posse ea die, utpote qua nondum sunt finiti tres menses. Videatur Gonz. *gloss.* 11. *a n.* 7. Van-Espen. *J. E. U. p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *n.* 7. Vvex *p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. §. 1. *not.* 2. Vviest. *hic n.* 117.

321

Dub. 8 an trimestre, sedi apostolicae reservatum pro beneficiis suo mense vacantibus, currat etiam sede illa vacante? Resp. Affirmative. Estque hoc verum, sive sedes jam vacet, quando beneficii vacatio innotescit, sive vacare primum incipiat currente trimestri. Ita praxis docet, de qua testatur P. Vvies. *hic n.* 118. *Ratio est*, quia concordata dispositionem de beneficio, intra mensem papalem vacante, post trimestre concedunt ordinariis simpliciter, et sine ulla exceptione sedis vacantis.

Imo Barb. *alleg.* 57. *n.* 62. Leur. *p.* 2. *qu.* 600. *n.* 2. Engl. *hic n.* 49. claris. P. Schm. *p.* 2. *de reb. c.* 2. *n.* 200. non obstantibus concordatis, a locorum ordinariis, et aliis collatoribus etiam ante trimestre lapsum conferri pro libitu posse beneficia, quae sede pontificia vacante vacare incipiunt: quod de curatis expressum jure est *c. si apostolica* 35. *h. t. in* 6. Et de simplicibus etiam probant ex eo; quia per concordata summus pontifex non voluit conditionem ordinariorum Germaniae deteriorem facere, illisque plus detrahere, quam pontifices per regulas cancellariae consueverunt detrahere aliarum provinciarum episcopis; alias enim *ipsi nationi Germaniae non essent utilia, et salubria*, prout in terminis dixit Nicolaus bullae concordatorum author. Atqui omnium aliarum nationum ordinarii conferre possunt beneficia, quae mense apostolico, sede eadem vacante, vacant. Ergo etiam Germaniae ordinarii istud poterunt, praesertim quod concordata, cum beneficiorum collationem reducant ad jus commune, et causa unionis, concordiaeque facta, favorabilia sint, ac propterea plenissime in favorem ordinariorum interpretanda, ut in

terminis docet Gonz. 25. *n.* 9. *et seq.* Chokier *glos.* 11. *n.* 11. card. de Luca *de ben. disc.* 27. *n.* 4.

Neque obstat, quod reservationes per concordata factae dicantur esse perpetuae; tales enim dicuntur, non quod ipsa beneficia perpetua reservatione affecta sint, sed quod concordata vim legis perpetuae habeant, ad distinctionem reservationum, quae factae sunt per regulas cancellariae, quarum vis pontificis morte exspirat.

322

Dub. 9. an casu, quo collatio beneficii mense papali vacantis intra trimestre facta est a papa, sed invalide ob impedimentum occultum, v. g. inhabilitatem personae provisae, vitium ob-vel subreptionis etc. lapso trimestri cesset reservatio, et collatio ejus fieri ab ordinario possit? Videtur tenenda negativa. 1. Quia tale beneficium per appositionem manus papae ad effectum collationis affectum est: ac proinde, donec provisio apostolica nacta effectum sit, ordinarii, et cujuscunque inferioris collatoris provisio excludetur. 2. Quando ordinarius ob impedimentum provisi occultum invalide contulit beneficium, ei ad provisionem a jure tempus integrum denuo indulgetur *arg. cap. si electio* 26. *de elec. in* 6. igitur integrum habebit etiam pontifex, cum hujus provisiones non minus favorabiles, magis autem nullitatis periculo subjectae sint.

Sed tenenda est affirmativa sententia, et hanc confirmat Germaniae nostrae praxis. *Ratio est*, quia omnino factam non esse provisionem, et esse factam invalidae paria sunt. Ergo sicut juxta concordata providere potest ordinarius, si provisio intra trimestre a pontifice omnino facta non est, ita pariter poterit, si est facta invalide.

Neque obstant argumenta opposita. *Ad* 1. per appositionem manus papae non impediuntur collationes ordinariorum, nec praejudicatur concordatis; fieret autem his praejudicium, si collatio, invalide facta a pontifice, impediret ordinarium, ne post trimestre a die notae vacationis in loco beneficii illud libere conferre posset: ergo etc. *Ad* 2. adhuc papa in beneficiorum collatione praerogativam habet, quia quocunque tempore, si jure praeventionis uti velit, conferre beneficium quodcunque potest. Igitur non obest, quod potestas alternativa cesset. Certe si casu hoc non voluisset papa collatoribus inferioribus jus beneficia conferendi competere, debuisset casum istum excipere, quod tamen factum non est.

323

Dub. 10. an Germaniae ordinarii trimestre etiam exspectare debeant, ut conferre possint beneficia, quae vacant in curia, et intra mensem a sede apostolica non sunt collata? *Ratio dubitandi est*, quia etsi *cap. statutum* 3. *h. t. in* 9. ordinariis collatoribus concedatur

licentia post spatium unius mensis beneficia sic vacantia conferendi, huic tamen constitutioni quoad ordinarios Germaniae per concordata illius videtur derogatum, quod in illis §. *de ceteris* trium mensium tempus statuatur indistincte.

Sed dicendum non esse exspectandum trimestre, neque per concordata Germaniae ordinariis ligari manus, quo minus uti possint favore per jus commune *cap. statutum cit.* concesso reliquis ordinariis, et hinc etiam ipso casu, quo pontifex beneficium in curia vacans intra mensem a die vacationis numerandum non per suos, contulerit, ipsis in remotis agentibus, per seipsos, aut vicarios generales, quibus id canonice commissum fuerit, illa conferre poterunt. Ita Nicolarts *ad concord. t.* 1. *dub.* 11. §. 4. Laym. *in c. statutum cit. n.* 5. Vagn. *ibid. vers. demum*, Van-Espen *J.E.U. p.* 2. *t.* 23. *c.* 3. *n.* 7. Pirh. *hic n.* 332. Engl. *n.* 52. Vvies. *n.* 115. et noviss. claris. P. Schm. *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 202. *et trib. seq.*

Ratio est, quia trimestre, per concordata datum, spectat solum beneficia alternativae obnoxia, et mense apostolico vacantia in Germania, non autem ea, quae in curia ipsa vacant. Nec immerito pro illis longius tempus sibi elegit pontifex, quam pro istis; id enim factum est, quod ex Germania ob distantiam non ita statim notitia vacationis Romam venire possit: quae ratio in iis, quae vacant apud sedem, locum non habet, quippe quorum, cum vacant, notitia facile statim venire ad papam potest.

§. VIII.

De primis precibus imperatoris, ac regis Romanorum

SUMMARIUM

324 *Quid sunt primæ preces, et unde dicantur preces.*
325 *Unde primæ, et primariæ appellentur?*
326 327 328 *Originem suam trahunt ex indulto papali.*
329 *Sunt usus antiquissimi.*
330 *Ligant manus collatoris ordinarii.*
331 *Per eas derogatur alternativæ mensium.*
332 *Statutis, et consuetudinibus particularibus ecclesiarum.*
333 *Regulis cancellariæ etc.*
334 *Numerandæ sunt inter dispositiones odiosas.*
335 336 337 *Sunt juri consentaneæ.*
338 339 340 *An uti illis imperator possit ante confirmationem electionis suæ in utramque partem disceptatur.*
341 342 *Terræ, in quibus locum illæ habent.*
343 *Beneficia, quæ illis subjacent.*
344 *Excipiuntur reservata in* extrav. ad regimen, *et monocularia.*
345 *Juris patronatus laici, et mixti.*
346 *Regularia, quæ ex natura sua sunt talia.*
347 *Litigiosa, resignata in favorem, vel causa permutationis.*
348 *Devoluta ad sedem apostolicam, manualia etc.*
349 *Locum habent in beneficiis tempore datarum suppressis.*
350 351 *etc, Requisita, ut rite interponantur, et locum inveniant.*
357 *Executores illarum a quo constituendi?*
358 *Quales?*
359 *Qua potestate?*
360 361 362 *An hi nominatos possint instituere?*
363 364 365 366 *An imperator quoad nominatum variare?*
367 *An si effectum nondum sortitæ sint, nominare alium, priore precista mortuo?*
368 *An unum, eundemque nominare ad beneficia in diversis ecclesiis?*
369 *Limitatio.*
370 371 *An precista, postquam neglexit primum, petere possit secundum vacans?*
372 *An obtinere beneficium, quod dixit vacare per mortem Petri, et reipsa vacat per mortem Pauli?*
373 *An precibus omissis, transire ad provisionem ordinariam?*
374 *An tempus præfixum acceptando beneficio currat etiam minori, et impedito?*
375 *An executioni dandæ sint preces, mortuo imp. qui illas dedit?*

324

Quaeritur 1. quid sint *preces* istae *primae*, seu *primariae*? Resp. *Preces primae*, prout hic accipiuntur, sunt *nominationes personae alicujus idoneae, ad beneficia ecclesiastica vacantia, vel vacatura, ex speciali privilegio, imperatori, ac regi Romanorum re-*

cens electo ab apostolica sede indulto. Ita quoad sensum DD. catholici facile omnes, qui aliquid de precibus his tradiderunt.

Dicuntur 1. *Preces*; neque enim imperator, aut rex romanorum illi, in cujus favorem preces dirigit, beneficium vacans, aut vacaturum confert, sed tantum petit conferri personae a se nominatae. Ex quo sequitur, jus illud, quod imperatori vi precum primariarum competit, non esse jus conferendi, vel instituendi, ut male contendunt acatholici, sed nominandi duntaxat, et quodammodo praesentandi, cum certa tamen obligatione, personam praesentatam, vel nominatam, si fuerit inventa habilis, instituendi, ut melius Boerius *decis.* 32. *n.* 8. Gail. *l.* 2. *obs.* 155. *n.* 7. Herm. *fascic. jur. publ. cap.* 11. *n.* 9. *resp.* 1. Chokier *schol. ad indult. prim. prec. proem. vers. interea*, Vagn. *ibid.* §. 2. *V. hujusmodi not.* 1. clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. cap.* 3. *n.* 228. Hinc etiam precistae, seu illi, in cujus favorem diriguntur, jus nullum conferunt, nisi secuta collatione; Rebuff. *in concord. rubr. de mandat. apost. vers. alia erat fol.* 680. Ferret. *cons.* 16. *n.* 15. Joan. Emerix *decis.* 5. *n.* 3. *et seqq.*

325

Dicuntur 2. *Primae*: quia cujusque imperatoris, ac regis romanorum prima petitio sunt, eaque unica in una, eademque ecclesia, seu non iteranda; Chokier *sect.* 2. *vers. confirmatam*, Herman. Herm. *cap.* 11. *cit. n.* 6. Vans-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 25. *cap.* 9. *n.* 21. Leuren. *p.* 2. *for. benef. quaest.* 603. *n.* 1. Vvex *Ariadn. p.* 1. *tab.* 15. *n.* 1. la Croix *l.* 4. *theol. moral. n.* 570. Pirh. *hic n.* 367. Vviest. *n.* 155. Appellantur etiam *primariae*; quia praeferuntur cujusvis alterius provisioni, quomodocunque illa sive per electionem, sive per praesentationem, aut nominationem, liberam collationem etc. facta sit, vel facienda. Imo per eas, ut *n. praeced.* dictum est, collatoribus ordinariis imponitur necessitas beneficium, quod precibus his affectum est, conferendi illi, in cujus favorem directae sunt. Hinc preces istae sunt veluti armatae; quia non possunt rejici, obsistente videlicet mandato pontificio, quo praecipitur praecistae conferri; Vvagn. *not.* 1. *cit.*

326

Quaeritur 2. unde hoc jus primariarum precum imperatori competat? Acris de hoc inter catholicos, et acatholicos scriptores disceptatio est. Volunt posteriores plerique, hoc jus imperatori competere ab insita suae personae per electionem majestate, seu, ut vernacula lingua proferunt, *grafft tragenden Gapserlichenzlmbts*, ita, ut nullo ad hoc indigeat aliunde accepto indulto, vel adminiculo: pro qua sententia, tanquam pro aris, et focis pugnant Fritsch. *de*

jur. prim. prec. cap. 5. *n.* 10. *et seq.* Vitriar. *de instit. jur. publ. rom. germ. l.* 3. *tit.* 2. *pag.* 55. *et* 56. *n.* 9. Klock. *tom.* 1. *cons.* 4. *n.* 15. 30. *et* 31. Reinking *de regim. eccl. l.* 3. *class.* 1. *cap.* 9. *n.* 57. et novissime author anonymus *vindic. prim. prec.* et alii ab his *cit. fundantur* 1. quia, ut ex Lundorpio *ad annum* 1645. refert *cit.* Anonymus *fol.* 26. *et* 27. ex hoc jure majestatis primarias preces profluere in dicta Osnabrugi anno allegato habita, status catholici responderunt acatholicis, cum isti preces istas pro inadmissibilibus, et inutilibus reputari vellent. 2. Quia non debet imperator esse deterioris conditionis, quam alii ecclesiarum, et beneficiorum ecclesiasticorum patroni. Atqui patronus quilibet, etiam vulgaris, et sortis multo inferioris jure praesentandi aliquem ad beneficium uti potest. Ergo eodem gaudebit etiam imperator sub initium saltem regiminis, tum ut benignitatem suam noviter illucescentem exhibeat, tum ut clero (quem non minus, ac laicos jurisdictioni principum subjectum volunt) majestatis suae aliquam agnitionem imprimat. 3. Quia beneficia, quatenus sunt merum jus percipiendi reditus temporales, nihil sunt spirituale, ut fatentur ipsimet catholici: unde sicut episcopis, et archiepiscopis electis imperator conferre potest terras, principatus, et regalia, ita etiam clericis conferre poterit beneficia. 4. Quia, ut ex diversis recessibus imperii, praesertim *de anno* 1512. §. 4. et 1524. §. 29. patet, imperator in imperio jus sacrorum habet: quo etiam usus est in pacificatione Vvestphalica, ubi de personis, et bonis ecclesiasticis, imo integris episcopatibus, et archiepiscopatibus pleno jure ex unice summa Caesarea potestate disposuit. 5. Quia si ad usum precum primarum imperator alio egeret adminiculo, earumque jus profluueret a sede pontificia, admittendae essent sequelae plurimae, ut Anonymus *cit.* quidem ex suo, et acatholicorum sensu existimat, absurdissimae, ac libertati Germanicae vel maxime praejudiciosae. 6. Quia in contrarium clamat usus imperatorum antiquiorum Rudolpho I. ipsiusque Rudolphi, Sigismundi, et aliorum, praesertim vero nuperrime defunctorum glor. mem. Leopoldi I. et Josephi I. qui in dirigendis precibus, non ad gratiam pontificiam, sed ad *antiqua romani imperii jura* provocarunt.

327

Sed contrarium uno ore docent scriptores catholici; Choppin. *de sacr. polit. l.* 1. *tit.* 10. *n.* 13. Restaur. Castald. *de imperat. quaest.* 100. *n.* 14. *et* 15. Boerius *decis.* 32. *n.* 8. Arnulph. Ruzeus *de jur. regul. privil.* 47. *n.* 2. apud Bursatt. *cons.* 126. *n.* 39. *et* 40. Gaill. *pract. l.* 2. *obs.* 155. *fin.* Chokier *de indul. prim. praec. proem. post princ.* Besold. *tract. de majest. eccl. fol.* 121. Herman. Herm. *fasc. jur. publ. cap.* 11. *n.* 8. *et seqq.* Quibus accedunt ex acatholicis

Vvilhelm. Bekers *synops. jur. publ. cap.* 5. §. 5. Rumellin. *ad aur. bull. p.* 1. *dissert.* 14. *thes.* 16. Syring. *de pac. relig. concl.* 31. *lit. B.* Lampad. *de rep. rom. germ. p.* 3. *cap.* 11. §. 46. *et* 47. quos citat, et sequitur novissime in lucem publicam datus Conradus Oligenius *de praecib. prim. fol.* 142. Fatentur hi omnes jus precum primariarum originem saltem ex indulto, gratia, et concessione apostolica ducere. Patet 1. *ex diplomatis precum primariarum*, quas recentiores imperatores, Rudolphus II. Ferdinandus II. et Ferdinandus III. interposuerunt, ubi quidem ad consuetudinem antiquam provocant, sed simul adduut eandem authoritate apostolica probatam, et roboratam, ut adeo fateri videantur, jus illud ex apostolicae sedis dono proficisci. 2. *Ex bullis pontificiis*, quibus precum istarum jus memoratis impp. indultum fuit, ubi adhibentur termini *favorabiliter, de nostra mera liberalitate*, item *de apostolicae potestatis plenitudine indulgemus*, quae verba cum non jus, sed gratiam denotent, utique imperatores praedicti non recepissent, si precum istarum jus nullo modo ex pontificis gratia proficisci putassent. 3. *Ex variis limitationibus*, quibus pontifices jus istud concluserunt, quoad locum, dum statuerunt id procedere tantum quoad terras imperii extra Italiam; quoad collatores, dum voluere, his precibus duntaxat tangi illos, qui saltem quatuor beneficia habent collationi suae obnoxia; quoad ipsa beneficia, dum excluserunt a precibus illa, quae sedi apostolicae reservata sunt per *extrav. ad regimen.* atqui non sustinuissent imperatores, nec potuisset pontifex limitationes has addere, si jus precum unice a jure majestatis, quod a pont. indipendens est, dependeret: ergo etc. 4. Ex praxi, qua constat lites, super precibus exortas in curia romana discuti, et definiri, quod signum est eas saltem originem ex beneficio apostolicae sedis trahere. 5. *Ex natura ipsius nominationis ad beneficia*, cujus jus, cum antecedenter connexum spirituali sit, juxta *regul. accessorium de reg. jur. in* 6. etiam ipsum sequi naturam ejus, cui annexum est, debet: cons. ejus imperator, qui laicus est, de se incapax est.

328

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. Precum jus non aliter ex jure majestatis profluit, nisi quatenus intuitu majestatis initio saltem a pontifice datum est. *Ad* 2. etiam patroni inferiores jus praesentandi ad beneficia a se fundata ex apostolica benignitate, absque qua incapaces ejusdem forent, nacti sunt. *Ad* 3. etsi reditus ecclesiastici sint temporale quid tantum, accessorie tamen jus ad illos spirituale est, cum sit annexum officio spirituali, propter quod datur beneficium. Quod principatus, et territoria sua episcopi Germaniae accipiant ab imperatore, mirum esse non debet, cum jure

feudi eidem subjecti sint, et sub hoc onere primitus concessi ecclesiasticis. *Ad* 4. Jus sacrorum, quale adversarii imperatori, et principibus asserunt, nemo unus catholicorum principum, qui utique potestatis suae ignari non sunt, sibi arrogat, cum omnes fateantur palam jurisdictionem suam mere merissime temporalem esse. Quod in pacificatione westphalica imperator fecit, necessitate temporum coactus fecit, nec ratum habuit sedes apostolica. *Ad* 5. sequelae illae, quarum anonymus *allegatus in fol.* 28. quadraginta duas accumulat, absurdum sonant in auribus acatholicorum tantum, non autem catholicorum, ex quorum principiis, quae hic probare locus non est, fere omnes oriuntur. *Ad* 6. etiam Rudolphus indulto papali muniri se fecit, ut notat Durandus ejusdem coaetaneus, dum, *tit. de praeb.* §. 2. *n.* 7. commemorat se privilegium hoc bullatum vidisse. Antiquiores Rudolpho imperatores multa egerunt libertati ecclesiasticae adversa, quorum proinde acta pro regula servire nequeunt. Leopoldus, et Josephus glor. mem. imp. novissime defuncti sine indulto direxerunt preces, catholicorum non paucorum doctrina fulti, quorum aliqui putant imperatoribus a pont. concessum esse privilegium perpetuum, alii primo concessum ajunt consuetudine continuatum ad successores.

329

Quaeritur 3. quam antiqui usus, et quantae efficaciae sint preces primariae? Resp. ad 1. sunt usus antiquissimi; nam ut *num. praeced.* dixi, Durandus, qui quinto abhinc saeculo vixit, circa annum 1271. testatur se hujus indulti bullam vidisse, non imperatoriam, ut vult anonymus *in suo tract. de prim. precib.* sed pontificis, ut intelligere potuisset, si speculum Durandi inspexisset; ait enim se vidisse bullatum privilegium, quod imperator habet, ut in qualibet ecclesia Alemanniae possit facere unum recipi: atqui privilegium nemo sibi dat, sed ab alio superiore accipit: unde cum imperator in ecclesiasticis superiorem recognoscat pontificem, clare id privilegium ab isto datum imperatoribus. *Conf.* ex formula primarum precum Rudolphi I. Habspurgici, qui in romanorum regem electus est anno 1273. nam hic usurus privilegio hoc ad antiquam, et approbatam consuetudinem hactenus observatam se refert, ut videre est apud Goldast. *constit. imper. tom.* 1. *pag.* 343. igitur signum est facultatem istam non primum memorato imperatori datam, sed a pontifice confirmatam fuisse.

330

Ad 2. dico, preces istas tantae efficaciae esse, ut manus ordinario collatori ligent, ne alii, quam per preces ab imperatore nominato beneficium conferre possit, si is idoneus sit, et si alteri

conferat, collatio sit invalida; Stephan. Gratian. *tom.* 3. *discept. for. c.* 478. *n.* 1. *et* 8. Besold. *thesaur. pract. vers. primariae preces*, et patet ex indulto primarum precum Ferdinando II. a Paulo V. concessarum, quod refert, et scholiis suis illustrat Joannes Chokier *tract.* speciali, quem subnexuit commentariis *ad reg. cancell.* Neque impeditur istarum effectus per quamcunque reservationem etiam pontificiam, exceptis iis, quae continentur in *extrav. ad regimen.*

331

In specie per indultum primarum precum derogatur. 1. Concordatis Germaniae, praesertim, quatenus per illa decernitur alternativa mensium; nam locum habent, quocunque mense sive apostolico, sive ordinarii beneficium vacare incaeperit; Gratian. *l. cit. n.* 10. Chokier *indult. sess.* 4. *vers. cum in quibusvis etiam ordinariis*, Vvagn. *ibid.* §. 3. *vers. eod.* Herm. *n.* 47. la Croix *l.* 4. *n.* 569. et patet ex indulto, quod Friderico III. concessit Nicolaus V. et confirmavit Calixtus III. Nicolai successor, ex decisione *romanae rotae* 1618. 4. *maji*, quam refert Chokier *l. cit. fol.* 63. *et* 64. et ex notoria Caesarum praxi, qui nemine interpellante, in quibusvis mensibus primarias preces concedunt, quae nimis angustae forent, si ad illos duntaxat menses coarctarentur, in quibus ordinarii collatores jure conferendi non gaudent.

332

2. Derogatur statutis, et consuetudinibus ecclesiarum particularibus, ut patet ex §. *non obstantibus*, et notat *ibidem* Chokier *vers. statutis, et consuetudinibus*, Vvagn. §. 4. *n.* 4. Pirh. *n.* 386. Vviest. *n.* 155. Hinc etsi imperator in eo, in cujus favorem preces intendit dirigere, observare debeat qualitates requisitas ex juris communis dispositione, aut fundatione (nam preces nullam vim, et potestatem aut juri communi, aut conditionibus in fundatione appositis derogandi habent) si tamen qualitas aliqua in beneficiato requireretur tantum per statutum, et consuetudinem ecclesiae specialem, illa imperator non tenetur attendere etsi a sede apostolica, vel juramento confirmata sint; quia per §. *non obstantibus cit.* relaxantur. Et hinc, ut Vvagn. *loc. cit.* refert, cum Ferdinandus II. ad ecclesiam, ubi nobiles tantum ex consuetudine, vel statuto recipiebantur canonici, ignobilem precistam proposuisset, capitulum vero recusaret illum admittere, ad eum admittendum coactus fuit.

333

3. Derogatur regulis cancellariae; litteris concessis *in forma pauperum*, sive mandatis de providendo pauperibus clericis non habentibus beneficium; litteris de providendo personis illustribus, aut

graduatis ; omnes enim hae litterae non obstant precibus imperatoriis , ut patet ex §. *non obstantibus cit.* Imo per easdem preces derogatur quibusvis aliis privilegiis , indultis , et litteris apostolicis , indulto huic quomodocunque adversantibus , etiam motu proprio papae , et ex certa scientia , ac de apostolicae potestatis plenitudine , etiam cum clausulis derogatoriarum derogatoriis , et aliis insolitis concessis , ut iterum ex §. *cit.* patet.

334

Ex quo patet , quod indultum hoc insignem Caesaris favorem contineat. Inferri ex isto posset , indultum istud dispositionibus favorabilibus accensendum. Sed melius adhuc inter odiosas numeratur , ac propterea , sicut alia privilegia , quae a jure communi exorbitant , strictam interpretationem recipient : *arg. reg. odia de R. J. in* 6. Chokier *sess.* 2. *quaest.* 16. Herman. *cap.* 11. *cit. n.* 14. Neque aliud probat favor per ea exhibitus imperatori ; nam omne privilegium , cui conceditur , favorabile est , et tamen inter dispositiones odiosas censetur : imo ipsae poenae , licet favorem publicum concernant , quia tamen simul odio delinquentium inductae sunt, tanquam odiosae restringuntur; *l. interpretatione* 42. *ff. de poen.*

335

Quaeritur 4. an preces hae imperatoriae sint juri consentaneae , iisque locus sit adhuc hodie ? *Rationem dubitandi* facit *cap. nulla* 2. *cap. constitutus* 11. *de concess. praeb. cap. detestanda* 2. *eod. in* 6. et alii similes textus , in quibus exspectativae ad beneficia vacatura , utpote per quas votum optandae , vel captandae mortis alienae inducitur , reprobantur , et prohibentur. Accedit Trid. *sess.* 24. *cap.* 19. *de reform.* ubi pariter tolluntur gratiae exspectativae ad beneficia vacatura , ita , ut *neque hactenus concessis cuiquam uti liceat.* Tales autem videntur esse preces imperatoriae , cum per eas imperator habeat jus nominandi etiam ad beneficia vacatura : ergo etc.

336

Verum his non obstantibus , indubitatum manet , quod preces hae imperatoriae licitae sint , eaeque locum hodiedum habeant. Ita Vvames. *cons.* 261. *h. tit.* Besold. *thesaur. pract. V. primariae preces* , *vers. ac uniones* , Chokier *proem. vers. interea* , Fagn. *in cap. nulla de concess. praeb. n.* 9. *et* 10. Herm. *fasc. jur. publ. cap.* 11. *n.* 9. Van-Espen *J. E. U. part.* 2. *tit* 25. *cap.* 9. *n.* 22. Vvex *Ariadn. part.* 1. *tab.* 15. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 385. Vviest. *n.* 156. *Ratio est* , quia *cit.* juris canonici sanctiones non obstant , quo minus papa de beneficiis vacaturis providere hodiedum possit : igitur etiam manus eidem non ligabunt , quin facultatem de iis in casum vacaturae ,

etiamsi actu non vacent, per primas preces disponendi communicare imperatori, regique romano possit.

337

Ad rationem dubitandi inter gratias exspectativas, et preces imperatorias latissimum discrimen est; nam gratiae exspectativae concipiuntur per verbum *conferimus*, et ob id exspectativa statim sola acceptatione perficitur, et tribuit jus in beneficio, ita, ut collatio ab executore vi talis gratiae deinde facta non sit juris, sed facti tantum; at preces solum rogant collatores, ut conferant, et dant executores, ut compellant conferri: et sic non afficiunt beneficium, neque acquiritur jus precistae, nisi secuta collatione; Joan. Emerix *decis.* 5. *n.* 3. *et seqq.* Accedit, quia etiam non urget ratio in precibus, quae in exspectativis, cum enim concessio, et gratia imperatoris generalis sit, adeoque incerta, ut bene advertunt Gaill. *l.* 2. *obs.* 155. *n.* 7. Leuren. *for. benef. p.* 2. *quaest.* 605. cum *cit.* non ita inducit periculum captandae mortis alienae. Aeque parum obest textus Trid. cum ex sententia s. congreg. approbata per Gregorium XIII. Preces primariae decreto illo non comprehendantur, ut notat Joann. Gallemart *ad locum trid. cit. num.* 1. et probat ratio, quia cum imperator ob personae majestatem sit nota speciali dignus, concilium, si voluisset ipsum decreto hoc suo comprehendi, specialem de illo fecisset mentionem, sicut fecit de cardinalibus.

338

Quaeritur 5. an privilegio primariarum precum uti imperator electus possit etiam ante coronationem, vel confirmationem suam, et ad vacantia, vel vacatura beneficia, indulto pontificio nondum impetrato, personas idoneas nominare? Magna hodie circa quaestionem istam controversia est, et dissident inter se DD. etiam catholici, dum aliqui cum Conrado Oligenio *tract. de prim. precib.* volunt necessarium esse speciale indultum pontificium; alii negant, asseruntque posse imperatorem, antequam confirmationem obtinuerit a summo pont. preces dirigere: in causa tamen AA. hi non conveniunt; nam aliqui volunt imperatores jure isto gaudere ex indulto generali, alii ex consuetudine per approbationem pontificiam olim jam roborata. Difficultatem in resolutione istius quaestionis jam pridem sensere Chokier, et Hermes, qui dum eam attingunt, malunt nihil decidere. Horum exemplum sequar, momenta tamen utriusque partis proponam, ex quibus prudens lector partem illam eligere poterit quae consideratis omnibus apparuerit verior.

339

Sententiae negantis necessitatem specialis indulti fundamenta sunt 1. quia reges romanorum electi, quamvis non de jure (nam electi potestas primum per coronationem, aut confirmationem completur; *arg. c. nosti* 9. *c. qualiter* 17. *de elect. et c. avaritiae* 5. *eod. in* 6.) de consuetudine tamen statim administrant imperium: ergo ratio non est, cur non etiam electo, quamvis non coronato, vel confirmato, concedatur usus primarum precum, et facultas ad beneficia nominandi; 2. quia juxta *reg.* 10. *in* 6. ratihabitio retrotrahitur, et mandato aequiparatur, si nomine ratum habentis negotium gestum est: atque electus in imperatorem nomine, et authoritate apostolica potestatem nominandi, vigore hujus indulti concedi solitam, exercet erga personas bene meritas: igitur si postea per litteras apostolicas indultum hoc concedatur, retrotrahetur istud ad electionis diem, et sic nominationes ab electo factae haberi debebunt pro ratis; 3. quia, ut ex inconcussa duorum, et ultra saeculorum observantia constat, pontifices imperatoribus electis, si petierunt, semper concesserunt indultum primarum precum, ut adeo ex tanti temporis usu quivis imperator non dubiam capere praesumptionem possit de mente, et voluntate pontificis, quod non invitus favorem adeo antiquum continuare in recens electum velit; 4. non constat quod imperatores saltem Rudolpho I. antiquiores speciale aliquod indultum a pontifice obtinuerint: ex recentioribus romanorum regibus, et imp Ferdinandus IV. indultum hoc non exspectavit, sed statim, ac sine mora, postquam in romanorum regem electus est, ante confirmationem obtentam, et petitam, ejusmodi preces, vel earum saltem exspectativas cumulatim concessit: hujus vero frater Leopoldus I. et istius filius Josephus I. glor. mem. non obstante, quod indultum illud nunquam habuerint, precum jure tamen usos fuisse palam est; 5. imperatores, qui indultum hoc obtinuerunt, in formula precum non ad indultum, sed ad antiquam consuetudinem authoritate apostolica roboratam se referunt, ut adeo concessio indulti non tam largitio novae gratiae, quam antehac concessae confirmatio duntaxat esse videatur, petique indultum potius ad abundantiorem cautelam, quam necessitatis intuitu.

340

Contra *sententiae affirmantis* necessitatem specialis indulti haec maxime momenta prodit Oligenius saepius allegatus; 1. indultum speciale obtinuerunt Rudolphus I. ut dictum est *supra n.* 328. *ad* 6. Fridericus III. primum ab eugenio IV. et cum pontifex iste gratiam apostolicam arctasset solum ad 100. beneficia, pro ampliori post concordata subscripta supplicavit Nicolao V. et obtinuit, ut patet ex

formula indulti apud Oligen. *cit. n.* 37. *et* 39. exemplum istorum secuti, et indultum speciale consecuti sunt Maximilianus I. ab Innocentio VIII. Carolus V. a Leone X. Ferdinandus I. a Clemente VII. Maximilianus II. a Pio IV. Rudolphus II. a Gregorio XIII. Matthias, et Ferdinandus II. a Paulo V. Ferdinandus III. ab Urbano VIII. ut adeo omnino videatur concludi, ipsos imperatores, germanosque omnes spatio tanti temporis agnovisse necessitatem indulti pontificii, et consuetudinem hanc esse, ut sine illo nec ordinarii, et capitula Germaniae parerent primis precibus, neque imperatores eas dirigerent, aut dirigere se posse existimarent; 2. iidem imperatores, cum exciperent Germaniae ordinarii, quod primis precibus obstent concordata Germaniae, et regulae cancellariae, supplicarunt summis pont. ut iis non obstantibus preces darentur executioni: atqui ita supplicare necessarium non fuisset, si, quod maxime acatholici volunt, indultum a pont. petiissent ad cautelam dumtaxat, et ex civilitate; 3. pontifices in indultis ab imperialibus precibus exceperunt beneficia reservata per *extrav. ad regimen*, primas dignitates etc. quas reservationes non potuissent sine gravi causa superinducere, si imperatores ex consuetudine preces indistincte potuissent dirigere; 4. provisiones beneficiorum in vim precum faciendae publicari debent eodem modo, quo publicari edixerant pontifices gratias exspectativas, addita poena nullitatis in casu contrario: quam sane conditionem irritantem non acceptassent imperatores, si privilegio generali jam fuissent muniti, cum jure sibi quaesito neque pontifex aliquem sine gravissima causa possit exuere; 5. a sic promotis per preces exiguntur annatae, et cetera jura camerae apostolicae non minus, ac ab iis, qui immediate provisi a papa sunt: igitur signum est, quod earum vis non sit quaesita in perpetuum, sed semper a pontificia liberalitate pendeat; 6. denique *cit.* Oligenius *fol.* 172. affert bullam sanctissimi domini nostri Clementis XI. hodie gloriose regnantis, quam ad hildesiense capitulum dedit, praecepitque, ut ad canonicatum mense papali vacantem reciperent eum, qui a se provisus fuit, illum vero, qui per primas preces a glor. mem. imp. Josepho I. nominatus fuerat, tanquam intrusum manu laicali, a canonicatu illo repellerent, ex eo solum capite, quod idem augustissimus indultum speciale primarum precum non petierit, nec habuerit: ut adeo cum constet de voluntate contraria papae, cadat *argumentum* 2. sententiae adversae, cui precipue innituntur cetera. Videatur Oligenius *tr. cit.* Vvex *ariadn. p.* 1. *tab.* 15. *num.* 4. Leur. *p.* 2. *q.* 604. Vvagn. *ad indult.* §. 1. *vers. quaeres*, Pirh. *hic n.* 371. Schamb. *n.* 52. Vviest. *n.* 157.

341

Quaeritur 6. ad quas terras, seu provincias sese extendant preces? Resp. Extendunt se per imperium romanum, prout nunc est, non autem prout fuit, cum plures provincias, et regna contineret; quia per illud secundum praesentem statum tantum imperator superioritatem habet, non autem in aliis regnis, et dominiis, etsi alioquin spectarint ad imperium; Chokier *proem. vers. interea fol.* 1. Vvagn. §. 2. *vers. per romanum imperium*, la Croix *l.* 4. *n.* 569. Pirh. *hic n.* 368. Vviest. *n.* 157. nisi ea conditione translata sint, ut retineant conditiones, quas habebant, dum juncta erant imperio, prout de episcopatu metensi, tullensi, verdunensi docent Chokier *l. cit.* Herman. Herm. *fasc. jur. publ. c.* 11. *n.* 31. quia licet in pacificatione westphalica coronae gallicae incorporati sint, incorporati tamen sunt cum clausula, *eo modo, quo hactenus ad romanum spectabant imperium*: at quando ad imperium spectabant, imperator habuit in dictis locis preces: ergo etiam nunc eas habebit. *Excipiuntur* beneficia Italiae, etiam in illis statibus, qui feudum ab imperatore recognoscunt, ut ducatus mediolanensis; nam in his preces primariae locum non habent, prout decidit rota *in una novariensi canonicatus, et praebendae S. Gaudentii* apud Chokier *l. cit.*

342

Dubitari potest, an primis precibus locus sit, quando beneficium quidem situm in Germania est, collator vero, aut collatrix non est Germaniae incola? Resp. affirmative; quia pontifex concedens preces non tam respexit domicilium collatoris, quam locum, ubi beneficia constituta sunt; Rebuff. *prax. de nominat. q.* 15. *num.* 56. Chokier *s.* 2. *vers. per sacrum romanum imperium* Herm. *c.* 11. *cit. n.* 28. *Excipitur*, si sit accessorie unitum beneficio alteri existenti in Germania; tunc enim sequitur naturam principalis, imo primis precibus omnino non est obnoxium, ut *infra n.* 348. dicam.

Ex quo e converso sequitur, si collator sit in imperio, beneficia vero collationi ejus obnoxia extra illud, in istis precibus non esse locum ob rationis identitatem. *Et procedit hoc* 1. etsi accessoria illorum sint in imperio sita; nam postquam principale est extra imperium, etiam accessorium ejus non debetur precistis in vim caesareae nominationis; Chokier *l. cit. Procedit* 2. etsi collatio talis beneficii extra germaniam siti jure devoluto perveniret ad aliquem episcopum, vel archiepiscopum germaniae; quia prima causa inspicienda est; *l.* 1. §. 13. *fin. ff. deposit.* et privilegium suos non egreditur terminos; Bartol. *in l. post dotem ff. solut. matr.* Chokier *l. cit.*

343

Quaeritur 7. ad quae beneficia se preces istae extendant? Resp. Hac in re regulae generalis instar est, locum his precibus esse in quibuscunque beneficiis, sive saecularia illa sint, sive regularia, sive cum cura, sive sine cura, sive simplicia, sive duplicia, videlicet dignitates, personatus, administrationes, officia; *indult. §. hinc est, et ibi* Chokier *V. super singulis beneficiis*, Vvagn. *ibid.* §. 2. *n.* 6. Leur. *q.* 602. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 367.

In specie precibus subjacent; 1. *reservata* summo pontifici, modo non sint reservata *in extrav. ad regimen.* 2. *electiva*, excipit Chokier dignitates, et beneficia electiva in civitate, et dioecesi leodiensi ob constitutiones variorum pont. quas citat *fol.* 41. 3. subjecta *juri patronatus ecclesiastici*; nam beneficia patronatus laici, et mixti excipientur *infra n.* 345. 4. spectantia ad collationem plurium tam communiter, quam divisim, sed authoritate, et vice communitatis, e. g. per turnum etc. secus, si nomine et jure proprio, nisi saltem quatuor ad ejus provisionem spectarent; 5. beneficia curata, modo perpetua sint: quo reducuntur etiam vicariae, nisi sint mere temporales; 6. vacantia per contractum matrimonii, professionem religiosam, promotionem, vel ob crimen haeresis, simoniae etc. 7. devoluta ad immediatum superiorem, v. gr. a praelato, seu abbate non exempto ad episcopum, non vero ad papam; haec enim in indulto precum excipiuntur. 8. resignata simpliciter in manus ordinarii. De quibus vide Chokier. *s.* 2. *super singulis, et seq.* Vvag. §. *fol.* 488. *et seq.* Leur. *p.* 2. *for. benef. q.* 607. Pirh. *hic n.* 383. *et seqq.*

344

Excipiuntur, et precibus primis non subjacent. 1. dignitates, et praelaturae omnes pontificiales, his proximae in cathedralibus, et principales, seu primae in collegiatis aliaque, quae pontifici reservantur in *extrav. ad regimen* Chokier *s.* 2. *vers. dummodo* Vagn. *V. eod.* Herm. *fasc. jur. publ. c.* 11. *n.* 36. *et* 43. Vvex *ariadn. p.* 1. *tab.* 15. *n.* 5. la Croix *l.* 4. *n.* 570. Pirh. *hic n.* 376. *et* 382. P. Schm. *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 220. et patet ex *indulto precum vers. hinc est.*

345

2. Beneficia monocularia; quia primarum precum indulto, ut constat ex textu, solum gravantur collatores, qui saltem quatuor beneficia habent sub sua provisione: Unde is, qui tantum unum, alterumve ad provisionem suam pertinens habet, primas preces imperiales admittere non tenetur, ne contingat, ut collatores ordinarii jus conferendi pro toto suae vitae tempore sibi inutile habeant, quod

evenire posset, si plures imperatores intra breve tempus rebus humanis eximerentur, novique substituerentur; Cochier *V. saltem quatuor*, Vagn. *V. eod.* Engl. *hic n.* 71. *vers.* 3. *ut preces*, Herm. *n.* 39. Pirh. *n.* 370. Vvies. *n.* 197. Vvex *n.* 5. la Croix *n.* 571. Schm. *l. cit.*

3. Beneficia juris patronatus laici ; nam etsi pontifex indulto precum permittat Caesari nominationem beneficiorum ad praesentationem quorumcunque pertinentium, non tamen per hoc censetur derogasse juri patronatus laico, ex fundatione, dotatione, erectione ecclesiae ipsis laicis quaesito, ne ab hujusmodi piis fundationibus absterreantur; Chochier *s.* 2. *V. praesentationem fol.* 42. *et* 43. Vagn. §. 2. *vers. collationem*, Engl. *n.* 71. *cit. ver.* 5. Herm. *n.* 32. Pirh. *n* 368. *not.* 3. *et not.* 8. Vvies. *n.* 164. Vvex la Croix *l. cit.* Idem dicendum de patronatu mixtu, qui laico simul, et ecclesiastico competit; quia in favorabilibus potius attendenda est qualitas laicalis, ne laicus propter clericum perdat privilegium suum, ut cum *cit.* notat Leur. *q.* 908. *n.* 3. *Excipitur*, si in ejusmodi patronatu mixto plures sint patroni ecclesiastici, quam laici; talis enim patronatus censeretur magis esse ecclesiasticus; *arg. l. quaeritur* 10. *ff. de stat. homin.*

346

4. Beneficia, quae ex natura sua sunt regularia, uti sunt abbatia, praepositurae, prioratus, decanatus, canonicatus regularis, monachatus simplex ; neque enim imperator nominat abbates, praepositos, decanos priores in monasteriis, et multo minus canonicos regulares, vel monachos; supponunt enim haec beneficia professionem religiosam; Vvag. §. 2. *vers. beneficiorum*, Pirh. *n.* 368. *not.* 4. Vviesto. *n.* 161. Vvex *n.* 5. Leur. *n.* 4. Aliud dicendum de iis beneficiis regularibus , quae per accidens mere talia sunt, v. g. ex fundatoris voluntate, aut alia ordinatione, ut sunt parochiae, et capellaniae ad monasterium pertinentes, et per regulares, canonice in iis institutos, administrari solitae; nam in his locus per se est primis precibus, quamvis nec ad illa imperatores personas nominare soleant; tum vero ne disciplinae regularis turbandae facile praeberetur occasio, prout DD. *cit.* monent.

347

5. Beneficia litigiosa, seu super quorum proprietate cum eorum possessoribus lis mota est, et adhuc indecisa pendet; Chohier *s.* 2. *V. lis pendeat indecisa fol.* 77. Vvagn. §. 3. *ver. restringitur*, Herm. *n.* 38. Pirh. *n.* 383. Leur. *n.* 6. Vvies. *n.* 166. la Croix *n.* 571. et patet ex *indulto precum* §. *quandoque. Ratio est*, quia generatim gratiae exspectativae non cadunt super beneficia litigiosa, ut rota decisum testatur Vvag. *l. cit. Excipitur*, nisi lis sit notorie frivola , et calumniosa; nam haec vitium litigiosi non inducit, et sic preces non

impedit, prout *AA. cit.* notant. Idem dicendum, quando lis solum est super possessione beneficii; Vvames *cons.* 101. *n.* 9. Mandos. *in reg. de subrogand. q.* 13. *n.* 4. *cum cit.*

6. Beneficia resignata ex causa permutationis coram ordinario, vel in favorem tertii; quia haec non censentur vacare, nisi ad effectum, ut conferantur illis, qui permutationem fecerunt, vel in quorum favorem dimissa sunt; Chohier *s.* 2. *V. super singulis f.* 74. Vvagn. §. 2. *V. quoad easdem vers. speciem*; Herm. *n.* 35. Pirh. *n.* 382. Vviest. *n.* 163. Leur. *n.* 8. *et* 9. la Croix *n.* 571. Idem dicendum de resignatis simpliciter in manibus papae; Leur. *n.* 8. *cit.*

348

7. Beneficia ad sedem apostolicam legitime devoluta; sic enim expresse habet *indultum* §. *quodque cit.* Chochier *s.* 4. *V. ad sedem fol.* 77. Herm. *n.* 37. Pirh. *n.* 383. Vvies. *n.* 166. Leuren. *n.* 7. la Croix *l. cit.*

8. Erecta post concessas preces, tum quia cum tempore concessionis nondum erat beneficium, imperator non erat mentis ad illud preces concedere; tum quod eaedem sint odiosae, et sic restringendae. Accedit, quod hoc modo fundatores a fundationibus beneficiorum absterreri possent, si viderent, ea simul, ac erecta sint, suae provisioni per preces subduci; Chohier *s.* 2. *V. super singulis fol.* 35. *n.* 11. Pirh. *n.* 368. la Croix *n.* 571. *cit.*

9. Manualia revocabilia ad nutum; incorporata perpetuo mensae episcopali, vel capitulari, aut alicui dignitati, ecclesiae, collegio etc. exempta, commendata, servitoria, sive ministerialia, quibus annexum est onus canendi, vel dirigendi canentes in choro, ut vicariatus chori; solita dari scholaribus ratione studii in aliqua universitate, nisi dentur in titulum; Chochier *serm.* 2. *V. super beneficiis n.* 4. 15. *et seq.* Vvagn. §. 2. *V. quoad easdem vers. speciem* Pirh *n.* 368. *not.* 3. Vvies. *n.* 165. Leur. *a n.* 11. la Croix *n.* 571. *cit.*

10. Vicariae temporales, pensiones non datae in titulum, hospitalia etiam religiosa, nisi dentur in titulum, officia, quae cadunt etiam in laicos praebendae canonissarum etc. Ita *cit.* qui videri possunt.

349

Solum noto, per hoc tantum, quod in aliqua ecclesia statutum factum sit, ut supprimatur unus, vel plures canonicatus pro communibus necessitatibus ecclesiae, vel collegii sublevandis, non tolli locum praecibus neque eo casu precistam teneri exspectare, donec ultra canonicatus, qui per statutum supprimendi sunt, vacet alius, prout bene advertit Besold. *thesaur. pract. V. primariae praeces vers. statutum*, Hermes, *fasc. jur. publ. c.* 11. *n.* 34. et ratio est,

quia hoc modo in fraudem precum ad multos annos ultra vitam precistae fieri dilatio posset, quod non est admittendum. *Excipit* Coch. *V. super beneficiis cit. n.* 10. si suppressio facta sit indulto papae tempore datarum precum; tum enim ait preces locum habituras in prima vacatura, non obstante suppressione, istam tamen habituram eum effectum, ut precista non assequatur praebendam, donec tempus indulti finitum sit.

350

Quaeritur 8. quid observandum, ut preces primariae rite interponantur, et locum, effectumque inveniant? Resp. 1. interponendae sunt in quavis ecclesia pro uno solum beneficio, ut patet ex *indulto precum §. hinc est, et §. ita quod*, ubi additur; *quoad easdem preces canonicatum, et praebendam, ac dignitatem, personatum, administrationem, officium pro unico duntaxat beneficio computari debere*: atque hinc non potest imperator unam personam nominare pro canonicatu, aliam pro praebenda, ut notat Cochier *ser.* 3. *V. canonicatum, et praebendam fol.* 49. Pirh. *n.* 370. *not.* 5. idque statutum est, tum ne ecclesiae nimium graventur; tum quia rescripta gratiae, seu privilegia, in quantum recedunt a jure communi, odiosa sunt, et restringenda.

351

2. Per preces primarias gravari non possunt, nisi illi collatores, qui habent jus conferendi saltem qua est *supra n.* 334. Addidi, *in imperio*. Ex quo solvitur casus, quo collator unum beneficium provisionis suae habet in imperio, tria autem, vel plura extra illud; in hoc enim casu, licet videri posset, cum quoad unum illud primis precibus gravari posse, quod sicut gravamen respicit totum patrimonium; *l. si fideicommissum* 50. §. *tractatum* 1. *ff. de jud.* ita hoc gravamen precum censeatur respicere omnia beneficia, ut sic illud unum non videatur esse monoculum. Verius tamen contrarium est, ut bene Chokier *ser.* 2. *V. saltem quatuor*; Herm. *cap.* 11. *cit. n.* 40. Leur. *q.* 608. *n.* 2. et sumitur ex indulto precum, quod expresse requirit, ut habeat quatuor saltem in imperio; §. *hinc est cit.* Aliud foret, si collator ordinarius haberet collationem unius beneficii in imperio, et praesentationem aliorum trium, vel plurium in eodem imperio: nullum enim ex his dicetur monoculum, prout *l. cit.* recte admonent Chokier, Herm. Leur. idem dicendum, si collator haberet collationem unius beneficii solus, aliorum trium, vel plurium cum aliis, ut iidem notant, et rationem dant, quia meum etiam dicitur, quod mihi cum aliis commune est; *l. siquis suos servos* 74. *ff. de legat.* 1. *l. pupillus* 239. §. *fin. ff. de* V. *S.* Menoch. *de arbitr. cas.* 201. *n.* 95. *et* 96. Chokier V. *saltem quatuor cit.* Herm. *n.* 42.

352

3. Privilegium, et indultum hoc suum imperator cedere potest alteri: quo casu nominatio facta a commissario perinde haberi debet, acsi facta esset ab imperatore ipso; *arg. reg. qui facit* 72. *in* 6. Chokier *ser.* 2. *V. quod si per te*, Vvagn. §. 2. *V. hujusmodi not.* 2. Herm. *n.* 15. Leur. *q.* 617. Vvies. *n.* 157. *fin.* la Croix *n.* 570. et constat ex pluribus exemplis; sic enim ab imp. Vvenceslao haec nominandi facultas per diocceses Vvormatiensem, et Spirensem concessa fuit Ruperto Seniori Palatino, a Ferdinando II. electori coloniensi, ab aliis imp. aliis, ut attestantur DD. *cit.* Quo casu tamen, si unus nominetur a Caesare, alius ab eo, cui Caesar partes suas in re ista commisit, et de prioritate non constet, potior erit nominatus a Caesare, sicut in collatione ab episcopo, et vicario facta eodem tempore praefertur collatio episcopi tanquam dignioris; *c. si a sede* 31. *h. tit. in* 6. Herm. *n.* 20.

353

4. Nominatus per imperatorem, vel hujus commissarium debet esse idoneus, et habere qualitates, quae ad beneficium, ad quod nominatur, non quidem ex statuto, vel consuetudine particulari ecclesiae (haec enim attendere non tenetur imperator juxta *n.* 332.) sed ex jure communi, et vi fundationis in beneficiario requiruntur. Et hinc 1. non debet esse illegitimus, irregularitate, vel censura aliqua irretitus, aut alio laborans juris communis obstaculo; *indult.* §. *quodque*, nisi cum eo a sede apostolica fuerit dispensatum; Chokier *sect.* 4. *aut de legitimo fol.* 76. Herm. *n.* 52. Vvies. *n.* 169. 2. Debet esse clericus, saltem prima tonsura initiatus; *c. cum adeo* 7. *de rescript. et c. ecclesia* 2. *de instit.* 3. Debet habere aetatem, ordinem, et qualitates alias ex juris communis dispositione, aut fundatione requisitas; Herm. *n.* 53. Vviest. *n.* 170. Sufficit autem, si precista qualitates istas habeat tempore vacaturae, acceptationis, et collationis; quia in beneficialibus attenditur status praesens; *c. cum de beneficio* 5. *h. tit. in* 6. et satis est, quod habilis sit tempore collationis; *c. si eo tempore* 9. *de rescript. in* 6. Hinc vim suam habebunt preces, etiamsi precista tempore impetratarum precum non habuerit primam tonsuram, legitimam aetatem etc. Chokier *l. cit. V. ad secundum statuta vers. sed quid fol.* 75. *et* 76. Herm. *num.* 55. Leur. *q.* 610. *n.* 3.

354

5. Qui hujusmodi preces in favorem suum obtinuit, debet beneficium, ad quod nominatus est, intra mensem, numerandum a tempore, quo ipsi vacatio beneficii per beneficiarii prioris obitum innotuit, acceptare, et declarare per se, vel per alium, ad hoc

speciale mandatum habentem, quod beneficium illud vigore precum imperatoriarum petat; *indult. §. quodque cit.* Chokier *ibid. V. per se, vel per alium*, Vvagn. §. 3. *V. infra mensem*, Herm. *n.* 7. Pirh. *n.* 377. Leur. *q.* 613. *n.* 1. *et* 2. la Croix *n.* 574. Idque statutum est quia diuturna ecclesiarum vacatio est ipsis dispendiosa; *cap. quam sit* 6. *de elect. in* 6. Si tamen etiam post mensem res adhuc integra sit, adhuc acceptationi per negligentiam omissae locus erit, ut contra Herm. *c.* 11. *cit. n.* 62. docent Chokier *V. intra mensem*, Vvagn. *V. eod. q.* 2. Engl. *n.* 71. *vers. item mense elapso*, Pirh. *n.* 378. Vviest. *n.* 177. et novissime clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 231. propter clausulam extraordinariam additam *indult. §. fin.* ubi dicitur, quod non obstent precistae, quae alioquin per constitutiones apostolicas requiruntur *de insinuatione*, *et publicatione* gratiarum exspectativarum, *et diligentiis per acceptantes desuper faciendis in favorem ordinariorum collatorum*, quibus proinde constitutionibus per hanc clausulam expresse derogatur. Dixi *propter clausulam additam*; nam si clausula haec addita non fuisset, precista excideret suis precibus si intra mensem non acceptaret, ut notat Chokier *V. intra mensem cit. fol.* 67. Vvagn. *q.* 5. Pirh. Vviest. *l. cit.* et ratio est, quia non acceptando intra tempus praescriptum non observaret formam litterarum apostolicarum, et per consequens actus esset nullus, ut adeo secundus impetrans eo casu praeferri deberet impetranti primo.

355

6. Precista rescriptum precum etiam ante mensem elapsum debet insinuare collatori ordinario v. g. episcopo, vel ejus vicario, aut capitulo (si collatio ad istud spectet) et quidem capitulariter congregato, cum singuli canonici seorsim capitulum non repraesentent; alioquin enim ordinarii collatoris manus non essent ligatae, posseteque ille beneficium istud conferre alteri; Chokier *V. duxerint acceptanda fol.* 73. Vvagn. §. 2. *vers. communiter*, *vel divisim*, *et* §. 3. *V. infra mensem q.* 1. Herm. *n.* 48. *et seqq.* Pirh. *n.* 377. Vviest. *n.* 176. la Croix *n.* 574. *cit.* Quo facto, intra eundem mensem is, ad quem spectabit, beneficium illud precistae conferet, et si ordinarius collator renuat, nominati executores eundem per censuras cogent; Chokier *fol.* 28. Herm. *n.* 52. Leuren. *q.* 616. la Croix *num.* 574.

356

7. Quodsi precista vi primariarum precum beneficii, ad quod nominatus est, pacificam possessionem obtinuit, debet beneficium, si quod prius habuit, et hoc cum recens obtento sit incompatibile, dimittere; quia duo, vel plura beneficia incompatibilia sine di-

spensatione apostolica etiam vi precum istarum obtinere non potest; Chokier *V. et personae fol.* 74. Vvagn. §. 3. *extens.* 3. Vvies. *n.* 171. Secus, si alterum beneficium, ad quod vi precum nominatus est, cum prius obtento sit compatibile; nam eo casu utrumque simul absque dispensatione apostolica obtinere potest, prout monent DD. *cit.* Ex quo sequitur, posse aliquem vi precum imperatoriarum consequi simul dignitatem cum canonicatu, beneficium curatum cum simplici etc. quia preces etiam ad pluralitatem se extendunt; Leur. *p.* 2. *q.* 610. *n.* 1.

357

Quaeritur 9. executores primarum precum a quo constituendi, item quales, et quae illorum potestas. Resp. ad 1. Executores istos constituere solet imperator, authoritate accepta a sede apostolica; Vvagn. *fol.* 492. Pirh. *n.* 375. Leur. *p.* 2. *q.* 614. *n.* 1. Quodsi istorum aliquem, antequam preces ad effectum producantur, mori contigerit, potest idem imperator deputare, et substituere alium, et alium, donec preces plene effectum sortitae sint; Vvagn. Pirh. Leur. *l. cit. Excipitur*, si executor sit deputatus ab ipso papa; tunc enim ad hunc recurri deberet: vel si commissio facta sit sub nomine proprio dignitatis; tunc enim, cum dignitas non moriatur, executio transiret ad successorem; Vviest. *n.* 159.

358

Ad 2. executores isti debent esse constituti in dignitate ecclesiastica, vel personatum, aut saltem canonicatum obtinere in ecclesia aliqua cathedrali; nam his solis causae, authoritate litterarum sedis apostolicae, vel legatorum, ejusdem committi possunt; *c. statutum* 11. *princ. de rescript. in* 6. Chokier *s.* 4. *V. quod quicunque fol.* 52. Vvagn. §. 3. *princ.* Engl. *n.* 71. *vers.* 6. *ut preces*, Leur. *q.* 614. *cit. n.* 2. Vvex. *Ariadn. p.* 1. *tab.* 15. *n.* 5. Pirh. *num.* 375. Vviest. *n.* 158.

359

Ad 3. possunt executores isti 1. substituere sibi subexecutores: et hoc merito; quia sunt delegati supremi principis, qui jurisdictionem sibi commissam aliis subdelegare possunt, ut constat ex *c. super quaestionum* 27. *princ. c. fin. de offic. deleg. et l. a judice* 50. *C. de judic.* modo isti subdelegati, sive subexecutores habeant qualitates, quae requiruntur in delegato, vel executore; *c. statutum cit.* Chokier *f.* 55. Vvagn. Leur. Pirh. Vviest. *l. cit.* 2. Iidem executores authoritate apostolica quosvis collatores, etiam exemptos, et ipsos quoque episcopos, si precibus ad se directis non deferant, compellere etiam censuris, si ita opus sit, ecclesiasticis possunt, ut beneficia personis nominatis conferant; *indult.* §. *quodque quicunque*;

Chokier *s.* 4. *V. conferre fol.* 78. Engl. *n.* 71. Pirh. *n.* 384. Leuren. *n.* 4. 3. Quodsi vero ordinarius beneficium, ad quod nominatus precista est, adhuc eidem recuset conferre, conferet executor, etiam ordinario collatore non monito, nec vocato; cum enim hic sit nudus executor, exceptiones contra rescriptum, vel personam non admittet; Chokier *s.* 2. *q.* 11. *fol.* 28. *fin.* Herm. *fasc. jur. publ. c.* 11. *n.* 52. la Croix *n.* 574.

360

Imo Vvagn. §. 3. *V. conferre*, Pirh. *n.* 384. etiam extra casum, quo collator ordinarius renueret conferre precistae beneficium, jus istud conferendi executoribus ab imperatore deputatis docent competere: quod colligunt ex tenore *indult.* §. *quodque* ubi executores beneficia nominatis conferre, et assignare jubentur; de ordinariis vero dicitur, quod personas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de iisdem canonice provisum fuerit, juxta precum, et nominationum tenorem recipere, et admittere, seu, ut AA. hi explicant, jam institutos in possessionem inducere, seu installare debeant, et etiam teneantur.

361

Sed verius potestas sic nominatos instituendi, et beneficium, ad quod nominati sunt, conferendi adstruitur episcopis, et aliis collatoribus ordinariis; Chokier *s.* 2. *q.* 11. Leur. *q.* 613. *num.* 2. Vvex. *Ariadn. p.* 1. *tab.* 15. *n.* 5. *fin.* la Croix *l.* 4. *num.* 572. Engl. *hic n.* 71. *vers. sed quis*, Vviest. *n.* 180. clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 229. Sumitur ex formulis primariarum precum, quibus usi sunt Rudolphus I. et Ferdinandus Caesares, et referuntur apud Chokier *proem. fol.* 4. et 5. nam in iis preces directae sunt ad ordinarios collatores, et hi ab iis imperatoribus requisiti pro collatione, seu provisione nominatis facienda. Neque idem merito, cum non sit verisimile, quod per facultatem primarum precum, imperatoribus concessam, papa adimere voluerit ordinariis ejus conferendi beneficia, illudque in executores transferre.

362

Neque obstat in contrarium allegatus textus indulti; nam verba illa, *postquam ipsis de illis canonice provisum fuerit*, ad ordinarios collatores referri debent; vel si referantur ad executores, intelligenda sunt conditionate, si sc. ordinarii collatores beneficia illa nominatis conferre renuerint; vel dicendum id intelligendum de reservatis, quae, cum ad eorum collationem non spectent, conferri jubentur ab executoribus, ipsis vero collatoribus ordinariis praecipitur, ut de iis provisos ad actualem possessionem admittant.

363

Quaeritur 10. an imperator, postquam unum nominavit ad beneficium, possit variare, et resilire nominando alium? *Ratio dubitandi est* 1. quia variatio, praesertim in personis gravibus, et sublimibus, ut prae aliis est imperator, reprobatur *clem. un. de renunt.* debet enim princeps esse constans, et immobilis, sicut lapis angularis, et sicut polus in coelo, et unum duntaxat calamum, et unam linguam habere, non plures; Laudens. *de princip. quaest.* 258. 2. Nominatio personae per primas preces, ad beneficium ad imp. facta est gratia, ac beneficium; *decet* autem *concessum a principe beneficium esse mansurum*, ut dicitur *reg. decet* 16. *in* 6. 3. Eaedem preces obtinent vim praesentationis. Haec autem postquam instituenti semel oblata est, revocari nequit; *c. cum autem* 24. ibi, *eo non refutato de jur. patronat.* 4. Sic imperator posset successive duos, vel plures nominare ad idem beneficium: quod videtur esse absurdum, cum sic non appareat, quis sit praeferendus.

364

Sed dicendum esse variationi locum, si res adhuc sit integra. Ita Chokier *s.* 2. *q.* 2. *fol.* 22. Vvagn. §. 2. *V. hujusmodi not.* 3. Herman. Herm. *c.* 11. *citt. n.* 17. Leur. *p.* 2. *q.* 618. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 372. Scambog. *n.* 52. Vviest. *n.* 172. et novissime clariss. P. Schmier, *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 226. *Ratio est*, quia per ejusmodi nominationem ad beneficium conferendum nominatus non acquirit jus in beneficio, ut dictum est *n.* 324. *in fin.* sed tantum jus implorandi officium executoris, ut sibi provideat, vel provideri faciat. Officium autem executoris a voluntate committentis ipsi executione pendet, et hic est imperator. Igitur hic re integra executorem revocare, cons. variare in nominatione sua potest. *Conf.* a pari cum legato a latere, qui, postquam sibi beneficium aliquod pro certa persona reservavit, ab hac reservatione recedere, et beneficium istud, si velit, alteri conferre potest.

365

Dixi, *si res adhuc sit integra*; nam si non amplius integra sit, variare etiam imperator non potest. Porro integra adhuc esse censetur, quamdiu nondum precista imploravit officium collatoris, vel executoris, ut de beneficio, ad quod nominatus est, et quod actu vacat, ille sibi provideat. *Neque refert*, etiamsi precistae nomen jam sit relatum in albo, seu rotulo Caesaris, ex quo ita in scripti, et nominati exspectantes dicuntur; quia ex eo non acquiritur jus in re, nec ad rem, cum sit tantum nuda adnotatio ad principis memoriam; Chokier *q.* 17. *fol.* 32. Herm. *n.* 17. Leur. *n.* 2. Imo potestas revocandi imperatori manet, etsi nominatus jam curasset de-

super solemni ritu litteras caesareas expediri, cum per hoc plus juris non acquisiverit; Leur. *l. cit.*

366

Neque obstant rationes dubitandi allatae. *Ad* 1. id verum est, quando princeps potestatem variandi non sibi censetur reservasse, quod fecisse putandus est imperator, quandiu res adhuc integra est, *Ad* 2. Regula illa solum procedit de gratia, quae jam est complete obtenta; ita autem obtenta non censetur, quamdiu adhuc res integra est. *Ad* 3. id procedit, quando quis praesentatur ad beneficium vacans, non vero, quando ad vacaturum: neque ab illo ad hoc argumentari licet, quia praesentatio ad vacaturum per primas preces habet rationem gratiae exspectativae, quae, quia odiosae sunt, restringi debent. *Ad* 4. negatur *sequela*. Si ad idem beneficium vacans concurrant duo a Caesare nominati, praeferendus est ille, qui nominatus est prius, nisi Caesar nominationem ejus revocaverit. Si eodem die expeditas litteras uterque offerat, praeferetur is, in cujus litteris etiam hora expressa est. Si haec in neutrius litteris expressa sit, consulendus est imperator; *arg. l. inter* 1. *C. de LL.*

367

Quaeritur 11. an si preces alicui concessae non sint sortitae effectum, quia v. g. is, qui nominatus est ab imperatore, renuntiavit precibus, vel antequam ipsi conferretur beneficium, mortuus est, contraxit matrimonium, aut religionem professus est, hoc casu alium nominare imperator possit? Videtur non posse, quod omnis dispositio de prima vice intelligi debeat; *arg. l. boves* 89. §. *hoc sermone* 1. *ff. de V. S.* ut proin potestas nominandi per primam nominationem videatur esse consumpta.

Sed standum pro affirmativa, quam etiam defendunt Chokier *s.* 2. *q.* 5. 7. *et* 15. Vvagn. §. 2. *V. hujusmodi not.* 4. Herm. *c.* 11. *n.* 21. Leur. *q.* 618. *n.* 3. Vvex. *Ariadn. p.* 1. *tab.* 16. *n.* 6. La-Croix *l.* 4. *n.* 574. Engl. *hic n.* 71. *vers.* 2. *potest*, Pirh. *n.* 373. Vviest. *n.* 174. *Ratio est*, quia quando actus non habet effectum secundum intentionem disponentis, non intelligitur restricta concessio ad unum actum, sed de ulteriore actu semper intelligi debet, donec res sortiatur effectum, ut docet Bald. *in l. invitus* 17. *fin. de procurat.* quod maxime procedit in beneficialibus, prout patet in electione, quae, si prior ob mortem, renuntiationem etc. electi effectum non est sortita, semper nova, et nova conceditur, donec aliqua effectum sortiatur: et idem fit in collatione, praesentatione, et nominatione ad beneficium.

Ad rationem dubitandi dico, iterationem istam, antequam preces sortitae effectum sint, non tam esse variationem, quam conti-

nuationem , et complementum nominationis jam coeptae ; neque enim imperator preces conferre cum effectu intendit , nisi semel.

368

Quaeritur 12. an unus , idemque, nominari possit ad plura beneficia in diversis ecclesis constituta ? Resp. Affirmative, ita tamen, ut quamprimum nominatus ab imperatore de aliquo beneficio, in alterutra istarum ecclesiaram constituto , provisus fuerit , ceterae nominationes in aliis ecclesiis respectu ejusdem extinguantur, integrumque sit imperatori ad eas alias preces dirigere , donec istae in aliquo harum beneficio sortitae effectum sint. Ita Gratiam. *tom.* 3. *discept. for. c.* 478. *n.* 21. Chokier *s.* 3. *V. simul , vel successive fol.* 48. Vvagn. §. 2. *V. eod.* Leur. *p.* 2. *q.* 620. Vvex. *Ariadn. p.* 1. *tab.* 15. *n.* 5. Engl. *hic n.* 71. *v.* 7. *potest*, Pirh. *n.* 370. *limit.* Vviest. *n.* 175. quos sequitur clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 227. et constat ex *indult.* §. *ita quod. Proceditque hoc*, sive hoc fiat simul , et in continenti , sive successive , et interruptis ex intervallo temporibus , ut liquet ex claris §. *cit.* verbis , ibi , *ita quod --- unam , et eandem personam supradictis collatoribus -- simul , vel successive nominare possit.*

369

Dixi autem , *ita tamen, ut quamprimum sic nominatus etc.* nam imperatoris hoc casu intentio non est , ut precista simul consequatur , et retineat omnia , ad quae nominatus est , beneficia, sed solum , ut is aliquod saltem ex his consequatur commodum, cujus ex hac multiplicatione nominationum eo certior spes est , quo facilius contingit , ut vacet unum ex pluribus , quam unum tantum; Gratian. *n.* 21. *cit. et n. seq.*

Addidi , *in iis ecclesiis , in quibus nominatio effectum sortita non est , imperatorem posse dirigere alias preces*; quod probatur ex ratione allata ad quaesitum *n.* 367. Estque hoc verum non tantum quoad alios , sed etiam quoad eundem precistam ; nam plures illi imperator successive preces potest concedere , modo id non fiat in eadem ecclesia , in qua illae jam sortitae suum effectum sunt , ut bene Pirh. *l. cit.* Ratio est , quia sic nec praejudicatur sedi apostolicae , quippe cujus non interest , cui fiat collatio , modo ille idoneus sit ; nec ordinariis collatoribus , cum hi isto modo tantum semel graventur ; nec denique dispositioni juris, quia beneficium hoc, ad quod precista denuo nominatus est, vel compatibile est cum priori et poterit etiam secundum jus commune retineri utrumque simul; vel incompatibile, et prius obtentum per assecutionem secundi vacabit.

370

Quaeritur 13. an si precista neglexit beneficium primum vacans in ecclesia, ad quam impetravit preces, valeat adhuc petere secundum vacans? Resp. cum distinctione: vel enim primum vacans acceptavit, vel ejus acceptationem omisit. *Si primum*, ipsa ejus acceptatione preces sortitae effectum sunt, et cons. regulariter loquendo variationi non amplius locus est; *arg. fin. de rescr. in* 6. *c. perpetuo* 1. *de postul. prael. in* 6. *l. scyphus* 4. *fin. de opt. vel elect. legat.* gloss. *in c. gratia* 7. *V. eligas de rescript. in* 6. Chokier *s.* 4. *vers. dubitatur. fol.* 68. Leur. *p.* 2. *q.* 621. *n.* 6. Engl *hic n.* 71. *vers. an autem*, Vviest. *ibid. n.* 178. Dixi *regulariter*; nam quatuor casus excipiendi sunt, in quibus acceptatio secundi vacantis locum invenit, ut videre est apud Pirh. *hic n.* 370. Leur. *n.* 6. *cit.* 1. Si primus actus fuit invalidus; quia dispositio loquens de actu intelligi debet de primo actu valido; *arg. l. qui per salutem* 33. *ff. de jurejur.* 2. Si acceptans non potest consequi beneficium, quod acceptavit. 3. Si per errorem elegit jam alteri collatum, vel debitum, aut beneficium simplex pro dignitate. 4. Si protestatus in acceptatione sua sit, quod non intendat acceptare beneficium, nisi quatenus sibi de jure debetur, et in quantum possessionem ejus pacifice obtinere potest.

371

Si secundum contingat, et precista beneficium primo vacans non acceptavit, videndum est, an preces determinate datae sint ad beneficium primo vacaturum, an vero, quod fieri solet, precistae sit data optio, ut *quod duxerit acceptandum*, *intra mensem a die cognitae vacationis ei conferatur. Si prius*, preces ei datae ipso intra mensem non acceptantis neglectu, et collatione beneficii alteri facta exspirant, ut cum *cit.* advertit Vvagn. §. 3. *vers. infra c. si clericus* 11. *h. tit. in* 6. ex cujus decisione clericus, qui habet gratiam exspectativam ad praebendam proxime vacaturam, et haec ex ejus neglectu deinde alteri collata est, non potest petere secundo vacantem. *Si posterius*, posito, quod precista nolit acceptare primum beneficium vacans, potest acceptare secundum; si nec istud, tertium, et sic deinceps, donec aliquod tandem acceptaverit: nam hoc facto mutatio non amplius admittetur juxta *regul. quod semel placuit.* 21. *in* 6. Herm. *c.* 11. *n.* 63. cum *cit.*

372

Quaeritur 14. an casu, quo beneficium in ecclesia, ad quam preces precista habet, vacat per obitum Petri, precista autem dicat illud vacare per obitum Pauli, et sibi conferri petat, valeat acceptatio hoc modo facta? Videtur non valere, quia etiam non va-

let impetratio beneficii, si illud vacet per aliam personam, quam sit expressum, cum espresso uno modo vacandi, non veniat alius; *c. susceptum* 6. *de rescript. in* 6.

Sed adhuc dicendum, acceptationem hujusmodi valere, modo constet de corpore beneficii. Ita post Rebuff. docet Chokier *ser.* 4. *vers. affinis quaestio fol.* 71. Vvagn. §. 3. *vers. infra mensem q.* 4. Herm. *c.* 11. *n.* 64. Leur. *q.* 621. *cit. n.* 7. Pirh. *hic n.* 380. *Ratio est*, quia falsa demonstratio non vitiat actum, si de corpore, sive re constet; *l. demonstratio* 17. *ff. de condit. et demonstr.* et qui eligit jus, quod sibi falsa opinione ductus putat competere, non propterea amittit id, quod ipsi vere competit; *l. mater* 19. *vers. ceterum ff. de inoffic. testam. et l. legitimum* 8. *ff. de haeredit. petit.*

Ad rationem dubitandi negatur paritas inter impetrationem, et acceptationem beneficii; illam inficit falsitas commissa in expressione modi, quo beneficium vacare dicitur, non vero acceptationem, cum ad illam perinde sit, cujus morte beneficium vacet casu, quo precista nominationem habet ad vacaturum quoque modo in ecclesia, ad quam directae sunt preces.

373

Quaeritur 15. an casu, quo Titio petenti, ut sibi vi precum, quas obtinuit, conferatur beneficium aliquod vacans, objicitur, illud primis precibus non esse obnoxium, is, precibus omissis, ad ordinariam provisionem transire, et ab ordinario collatore illud petere, et recipere valeat? Videtur non posse; quia nec ab electionis prosecutione licet transire ad postulationem, aut ab electione unius ad electionem alterius; *c. un. de postulat prael. in* 6. *c. ut quis duas* 25. *de elect. eod.*

Sed respondendum est affirmative; idque saepe etiam in praxi profuit, ut testis est Herm. *cap.* 11. *n.* 72. Ratio est, quia inutilem viam ingresso non praecluditur a jure regressus ad utilem, et actionem proponenti ineptam, si appelletur, non aufertur recursus ad aptam; *arg. cap. post electionem* 7. *ibi*, *tam ratione primae, quam secundae concessionis*, *de concess. praeb. et reg. nullus* 20. *in* 6.

Textus in ratione dubitandi allatus juris correctorius est; nam ante Bonifacium VIII. talis transitus etiam in electione non erat prohibitus: cons. ad alios casus trahi non debet.

374

Quaeritur 16. an tempus unius mensis, quod praecistae datur ad acceptandum beneficium, currat etiam contra minorem 25. annis, vel alium legitime impeditum? Videtur respondendum affirmative; nam in spiritualibus minor censetur major; *c. ex parte* 14. *de*

restit. spoliat. et c. ult. de jud. in 6. censendus enim est sui juris sicut filiusf. in castrensi peculio.

Sed verisimilius est non currere, durante minore aetate, vel impedimento; *arg. l. super* 1. *C. de annal. except. l. ob comissa* 21. *C. ad leg. jul. de adult.* et per alia jura, ex quibus sumitur illa regula, quod *legitime impedito non currat tempus*; Chokier *s.* 4. *vers. rursus fol.* 72. Vvagn. *V. infra mensem q.* 5. Leur. *p.* 2. *q.* 621. *n.* 2. Herm. *cap.* 11. *n.* 59. Engl *hic n.* 71. *vers. minorem quoque*, Pirh. *n.* 381. *ibid.*

Ad rationem dubitandi id solum verum est in iis, quae sunt vere spiritualia, ut matrimonium, ingressus in religionem, votum etc. secus in iis, quae spiritualibus tantum annexa sunt, ut beneficialia; in his enim tempus contra minorem non currit, vel saltem in casu, quo enormiter laesus est, in integrum restituitur.

375

Quaeritur 17. an casu, quo post datam, et a precista admissam gratiam nominationis, antequam beneficii collatio fiat, imperator moritur, ea gratia maneat, et executioni danda sit? Videtur respondendum negative; quia se habet instar mandati, quod morte mandantis exspirat.

Sed tenenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Herman. Herm. *c.* 11. *n.* 23. Leur. *p.* 2. *q.* 615. *n.* 2. Vvex *ariadn. p.* 2. *tab.* 15. *n.* 9. la Croix *l.* 4. *n.* 573. quia etiam aliae gratiae, et privilegia actu concessa per mortem concedentis non tolluntur, etiam re integra; *c. si super* 9. *de offic. deleg. in* 6. et praesentatio legitime facta a patrono non videtur exspirare, etsi is moriatur, antequam fiat institutio.

Ad rationem dubitandi, esto, quod nominatio haec se habeat instar mandati, tamen res non est integra, cum imperator gratiam dederit, et haec sit acceptata, et gratia principis debeat esse perpetua.

TITULUS VI.

De clerico aegrotante, vel debilitato.

SUMMARIUM

1 *Clericus ob senium, infirmitatem etc. non amittit beneficium, sed coadjutor ei dandus est.*
2 *Si canonice institutus sit in beneficio.*
3 *Quid et quotuplex sit coadjutoria?*
4 *Locum habet etiam, quando episcopus, vel praelatus factus est perpetuo inhabilis.*
5 6 7 *Quod etiam dicendum de parochis.*
8 *Fructus beneficii.*
9 *Et distributiones quotidianae debentur coadjuto.*
10 *Dempta portione, ex qua ali coadjutor debet.*
11 *In casu, quo utrique alendo reditus beneficii non sufficiunt, praeferendus coadjutori est coadjutus.*
12 *Beneficiariis inferioribus coadjutorem dare potest episcopus.*
13 *Episcopis solus papa cum duplici exceptione.*
14 *Advertenda, quando capitulum episcopo amenti coadjutorem dat.*
15 16 17 *Perpetuum coadjutorem episcopis, et aliis beneficiariis dare potest solus pontifex.*
18 19 20 *Causae, ob quas episcopo, praelato etc. dari coadjutor potest.*
21 22 23 24 *Qualitates in coadjutore requisitae.*
25 26 27 28 *Officium ejusdem.*
29 *Obligationes.*
30 31 32 33 *Sedes, et praerogativa.*
34 *Simpliciter dati officium cessat morte coadjuti.*
35 *Datus cum futura successione subintrat in locum coadjuti post hujus mortem.*
36 *Etiamsi ista contigerit ante notitiam factae gratiae.*
37 38 39 *Non tamen si contigerit ante tempus datae.*

Cum beneficium detur propter officium, sequi videtur, quod sicut beneficium conferri nequit, nisi qui habilis est ad exercendum officium, juxta dicta *tit. praec. n.* 61. ita etiam auferendum illud sit ei, qui cum prius habilis fuisset, ad exercendum officium beneficii sui est factus inhabilis. Hinc necessarium erat examinare, et statuere, quid tali casu sit faciendum. Igitur

1

Quaeritur 1. an clericus ob senium, infirmitatem, mutilationem amittat beneficium suum, vel saltem fructus illius? Resp. Si in beneficio ecclesiastico canonice institutus, sive, ut loquimur, investitus est, non potest propterea a beneficio removeri, etsi officio

suo superessē nequeat, sed coadjutor ei dandus est; qui accepta de reditibus ecclesiae portione, quae ad congruam suam sustentationem sufficiat, officium ejusdem praestet. Ita Gonzal. *ad reg.* 8. *cancell. gloss.* 5. §. 9. *a n.* 31. Garc. *p.* 4. *de benef. cap.* 5. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. cap.* 10. *n.* 3. et statuitur *can. cum percussio* 2. *caus.* 7. *q.* 1. *cap. cum percussio* 1. *cap. presbyterum* 2. *cap. de rectoribus* 3. *cap. ex parte* 5. *et cap. fin. hoc tit.* Ratio datur *cap. ex parte cit.* quia *afflicto afflictio non est addenda, imo potius ipsius miseriae miserendum.* Quin imo ita adjutus non potest dici simpliciter inhabilis, quippe cujus inhabilitas coadjutoris habilitate suppletur; Clerical. *de benef. discord.* 63. *n.* 16.

2

Dixi autem, *Si in beneficio ecclesiastico canonice institutus, sive investitus est*; nam per ejusmodi investituram acquirit jus in re in beneficio, quo ob infirmitatem, senium, vel mutilationem privari non debet. Aliud dicendum, si investitus necdum est; tunc enim non obstante collatione eidem facta, removeri debet, vel potius admitti non potest ad beneficium, cum collatio inhabili facta sit nulla, et irrita. Addidi *dandum esse eidem coadjutorem*, ne sc. diuturna beneficiarii absentia a suo beneficio, vel ecclesia eidem damnosa sit, et animabus, si curatum sit beneficium, periculosa.

3

Quaeritur 2. quid, et quotuplex sit *coadjutoria*? Resp. *Coadjutoria est facultas alicui concessa adjuvandi beneficiatum in beneficii regimine.* Ita Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 1. cum communi. Communiter duplex dividitur, sc. una *temporalis, et revocabilis*, altera *perpetua, et irrevocabilis. Temporalis coadjutor* ille dicitur, qui propter favorem, et utilitatem ecclesiae adhibetur alicui ejus rectori ob aegritudinem vel infirmitatem, aut animi, aut corporis facto inutili, et ministrare impotenti, ut pro eo ministret, et officium exerceat cum congrua portione ex reditibus beneficii ei assignanda. *Perpetuus* praeter officium, in quo debilitatum adjuvat et jus petendi sustentationem ex reditibus ecclesiae, insuper habet jus succedendi in beneficio, casu, quo illud per mortem, aut resignationem beneficiati vacabit; Hier. Gonz. *ad reg.* 8. *glos.* 5. §. 9. *n.* 19. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 4. Barbos. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 20. *n.* 1. *et* 2. Emman. Gonz. *in c.* 6. *h. t. n.* 4. Konig *hic n.* 2.

Passerin. *in c. un. h. t. in* 6. *n.* 9. addit tertiam coadjutoriae speciem, sive *mixtam, et temporalem* quidem vocat illam, quae neque ex parte coadjuti, neque ex parte coadjutoris perpetua est, sed revocabilis ad nutum; *perpetuam*, quae ex parte utriusque perpetua est, qualis est sola illa, quae datur cum jure successionis; *mixtam*

quae perpetua est tantum ex parte coadjuti ex quod cum vita hujus exspiret.

4

Quaeritur 3. an constitutioni coadjutoris locus sit etiam casu, quo clericus ad officium, beneficio suo annexum, ob lepram, amentiam etc. perpetuo inhabilis factus est? Satis convenit inter DD. tali casu coadjutorem constituendum *episcopo*, *et praelatis hoc superioribus*, neque istos propterea a praelatura removeri, aut ad resignationem ejusdem compelli posse, prout satis clare habetur *cap. ex parte* 5. *h. t. et c. un. eod. in* 6. et ratio est, quia inter episcopum, et ecclesiam ejus intercedit vinculum spiritualis conjugii, quod ab alio, quam papa non est solubile; *cap. inter corporalia* 2. *de transl. episc. Proceditque hoc*, etsi electus solum, et confirmatus fuerit, nondum vero consecratus; quia, ut bene Abb. *in c. ex parte cit. n.* 4. consecratio nihil addit ad conjugium spirituale episcopi, nisi quod ea facta dicatur consummatum. Idem dicendum de *praelatis inferioribus* tam saecularibus, quam regularibus, deque iis, qui dignitatem, personatum, vel officium quodcunque obtinent, ut cum Host. et aliis notat Fagn. *in c. fin. h. t. a n.* 2. Passerin. *in c. un. eod. in* 6. *n.* 6. Pirh. *n.* 11. *hic* Vvies. *n.* 8. *Ratio est*, quia nullus praelatus, sine culpa sua, removeri debet ab officio suo.

5

Controversia est de *parochis*, in qua non idem omnium sensus est; nam aliqui cum Innoc. volunt casu, quo impedimentum parochi est perpetuum, e. g. morbus incurabilis, hunc ab ecclesia sua omnino removendum: et probari istud videtur ex pluribus juris nostri textibus 1. ex *can. fin. dist.* 55. ubi diaconus, cui nulla sua culpa oculus erutus fuit, propter hujusmodi impedimentum removetur ab ecclesia. 2. ex *can. siquis abbas* 15. *caus.* 18. *q.* 2. ubi abbas effectus inhabilis *ab episcopo, et a vicinis abbatibus* praecipitur *a suo arceri honore*, ut textus loquitur, 3. ex *c. tua nos* 4. *h. t.* ubi absolute dicitur, quod *sacerdos leprae morbo percussus — ab administrationis debeat officio removeri* conf. in officio hoc substituendus eidem est alius, qui rector sit beneficii, 4. *c. eod.* dicitur ejusmodi presbyter parochialis, ubi remotus fuerit ab administrationis officio, ecclesiae facultatibus sustentandus, sc. pensione eidem relicta: igitur beneficio privari jubetur 5. c. ut *abbates* 1. *de aetat. et qualit.* ubi beneficiis, et dignitatibus suis privari jubentur, qui propter superveniens impedimentum ordinem illis annexum suscipere, et officium obire nequeunt.

6

Sed his non obstantibus, dicendum, probabilius etiam parochos, et reliquos curatos, si ad curam animarum per se exercendam ex causa aliqua fiunt inhabiles, non removendos, sed coadjutore assignato, adjuvandos. Ita Abb. *in c.* 4. *h. t. n.* 4. Garc. *p.* 4. *de benef. c.* 5. *n.* 5. *et* 6. Suar. *de censur. D.* 51. *s.* 2. *n.* 18. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 1. Fagn. *in c. de rectorib.* 3. *h. t. n.* 4. Barb. *ib. n.* 2. *et* 3. Gonz. *in c.* 6. *n.* 4. Passer. *in* 1. *n.* 4. *et* 23. Leur. *for. ben. p.* 1. *q.* 238. Honor. *hic n.* 1. Engl. *n.* 1. Pirh. *n.* 7. Scham. *n.* 2. *et* 3. Konig *n.* 8. Vvies. *n.* 9. et novissime clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *n.* 285. Sumitur ex *can. satis perversum* 7. *dist.* 56. *can. scripsit* 1. *can. cum percussio* 2. *can. quamvis* 14. *can. petiisti* 17. *caus.* 7. *q.* 1. *c. ex parte, etc. de rectoribus cit.* quod posterius de hoc casu expresse videtur loqui; nam ut Fagn. in id *cap. n.* 5. notat, appellatione *rectorum* ex proprietate vocabuli veniunt inferiores curati.

7

Neque contrarium suadent allati textus. *Ad* 1. Diaconus ille habebat praebendam sacerdotalem, ut ex textu patet; ad quam quia ea conditione promotus fuit, ut susciperet sacerdotium, postquam ad hoc suscipiendum factus est inidoneus, mirum non est, quod etiam praebenda sua ceciderit. *Ad* 2. textus ille loquitur de abbatibus vitiosis ex causa damnabili, non autem de senio confectis, aut corpore vitiatis, ut patet ex littera ibi, *etiamsi omnis congregatio vitiis suis consentiens. Ad* 3. textu illo, ut *l. cit.* explicant Garc. *n.* 6. Pal. *n.* 1. Fagn. *n.* 7. Gonz. *n.* 4. Passer. *n.* 7. jubetur ejusmodi parochus ab officio removeri solum quoad exercitium cum retentione illius in habitu. *Ad* 4. textus ille concordandus, et explicandus est juxta *cap. fin. h. t. in* 6. ubi praecipitur, ut *coadjutores hujusmodi de proventibus praelatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos*: cons. ipsis pensio danda, reliqui fructus relinquendi sunt coadjuto. *Ad* 5. ibi sermo est de abbatibus, praepositis etc. qui dignitates suas nondum coeperunt administrare; imo illas nondum plene, et omnino absolute, sed sub tacita conditione suscipiendi intra annum ordinis sunt assecuti: et hi, si ordinem requisitum ob impedimentum perpetuum, vel diu valde duraturum suscipere nequeant, merito a dignitatibus sic collatis removeri jubentur, cum deficiat conditio, sub qua collatae iisdem sunt.

8

Quaeritur 4. cui debeantur fructus beneficii, in quo coadjuto datus est coadjutor? Resp. Debentur coadjuto, et quidem omnes, quos, si sanus esset, percipere ipse ab ecclesia potuisset, dempta portione,

ex qua ali coadjutor debet. Sumitur ex *c. cum percussio* 1. *h. t.* ubi aegrotanti clerico jubentur *praeberi*, *quaecunque ei*, *si sanus esset*, *poterant ministrari*, et nihil excipitur. *Ratio* datur *c. cit.* quia alioquin alii exemplo deterrerentur, ac proinde non reperirentur idonei ministri, qui ecclesiae servire vellent. *Conf.* nam etiam saeculi militibus, si senio confecti aut aliter debilitati fuerunt dabantur praedia, et possessiones ad eorum alimoniam; *l. item* 15. §. 2. *ff. de R. V.* igitur nec Christi militibus, seu clerici subtrahenda sunt beneficja, quae antequam ita debilitarentur, obtinuere.

9

Extenditur etiam ad *distributiones quotidianas*; nam etiam istas percipere coadjutus debet, saltem si, dum sanus erat, easdem percipere fuit solitus; nam si ante infirmitatem propter absentiam ab officiis divinis eas percipere non fuit solitus, etiam superveniente morbo, percipere illas non debet, ut dictum est *t. praec. n.* 87. et confirmatur ex ratione, quia casus superveniens declarandus est secundum casum proxime praecedentem, ut *arg. c. majores* 3. *de bapt.* arguunt Abb. *in c. cum percussio* 1. *h. t. in* 6. et Fagn. *ib. n.* 11. igitur sicut ante morbum ob neglectam praesentiam in officiis divinis non debebantur illi distributiones quotidianae, ita nec in morbo, cum non iste, sed potius continuata negligentia censeatur esse causa absentiae a divinis officiis. Videatur *n.* 87. *cit.* cum *n. seq.*

10

Addidi, *dempta portione, ex qua ali coadjutor debet*; nam alimenta huic praestanda sunt ex reditibus beneficii, in quo ipse coadjutor servit, ut bene Azor *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 2. *q.* 9. Ventriglia *prax. to.* 2. *annot.* 13. §. *un. n.* 18. Barb. *de offic. episc. alleg.* 63. *n.* 15. Fagn. *in c. de rectorib. cit. n.* 8. Passer. *in c. un h. t. in* 6. *n.* 43. et constat ex *c. de rectoribus*, *c. tua nos c. un. cit. ibi, de proventibus praelatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos.* Consentit trid. *ses.* 21. *c.* 6. *de ref. ibi, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, etc. Proceditque hoc*, etsi coadjutor fuerit dives; ita, ut de suo patrimonio vivere posset; quia nemo suis stipendiis militat unquam; Clericat. *disc.* 44. *n.* 24.

Dubitatur, cui prius sit providendum, parocho infirmo, an coadjutori, si reditus ecclesiae ad utriusque sustentationem non sufficiant? Gloss. *fin. in c. de rectorib. cit.* Alagona *ib. ver. item si*, Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 9. dicunt ex reditibus ecclesiae prius providendum esse coadjutori, qui servit ecclesiae, infirmo autem rectori, vel parocho de alimento prospiciendum aliunde ab episcopo; et videtur istud innui *can. episcopus* 1. *dist.* 82. Verum hic textus non multum

servit isti sententiae; quia generaliter sola disponit, ut episcopus *pauperibus, et infirmis, qui non possunt suis manibus laborare, victum, et vestitum largiatur.* Hinc probabilius

11

Dicendum, tali casu praeferendum parochum infirmum. Ita Ant. de Butrio *in c. de rectorib. cit. n.* 4. Abb. *ibid. n.* 6. Jo. Andr. *n.* 3. Barbos. *n.* 4. *et l.* 3. *jur. eccl. c.* 10. *n.* 28. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 3. Passer. *in c. un. h. t. in* 6. *n.* 44. Pirh. *n.* 8. *hic*, Engl. *n.* 3. Schamb. *n.* 3. Vall. *n.* 4. Konig *n.* 13. Vvies. *n.* 11. *Ratio est*, quia prius succurrendum ex reditibus ecclesiae est illi, qui potius jus ad illos reditus habet, hoc autem potius est in parocho, quam in in adjuncto ipsi coadjutore; parochus enim quoad pristinos reditus jus habet ex beneficii titulo, et investitura, ejusque proprietatem, et possessionem retinet, quarum neutram coadjutor habet, cum nudum ministerium eidem competat: ergo etc.

Quare, ne tali casu congrua sustentatione coadjutor careat, aliunde providebit episcopus, et vel parochianos, ut ei succurrant, coget, vel si hi pauperes sint, aut ad vitae subsidia eidem subministranda sine difficultate non possit adigi, ipse illi succurret per collationem beneficii simplicis, vel assignationem pensionis, ut colligitur ex Trid. *sess.* 21. *c.* 4. *de reform.* ubi in episcopi arbitrio ponitur, an ad praestandam sustentationem novo parochiae rectori (eadem autem ratio est de coadjutore) compellere velit populum, an vero eidem fructus aliunde assignare.

12

Quaeritur 5. quis assignare, seu dare coadjutorem possit? Resp. distinguendo, an dandus sit cum futura successione, an sine illa. *Si primum*, distinguendum est inter episcopos, et praelatos episcopo inferiores ceterosque beneficiarios. *Istis*, si exempti non sint, coadjutores dare possunt proprii eorum episcopi, vel alii praelati illorum superiores, qui jus instituendi, et destituendi eosdem in dictis beneficiis habent; Gonz. *gloss.* 5. §. 9. *n.* 36. Barb. *alleg.* 65. *n.* 11. *et l.* 3. *jur. eccl. cap.* 10. *n.* 22. Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *n.* 11. Pirh. *hic n.* 14. *not.* 6. Konig. *n.* 4. Vviest. *n.* 14.

13

Prioribus vero, seu *episcopis*, et horum superioribus coadjutorem dare ordinaria potestate solus pontifex potest, prout habetur *c. un. h. tit. in* 6. et ratio ibidem datur; quia datio coadjutorum censetur inter causas majores: quae in signum specialis praerogativae sedi apostolicae sunt reservatae. Estque hoc pontifici ita proprium, ut contrarium non sit per consuetudinem praescribibile, ut expresse decernitur *c. cit.* et aliis allegatis notat Passerin. *ibid. n.*

14. *Excipitur c. cit.* nisi aliud exigat necessitas ecclesiae, et ob distantiam pontifex facile adiri nequeat; tunc enim distinguendum, an episcopus administrationis incapax sit ob senium, vel corporalem invaletudinem etc. an vero quia incidit in amentiam. *In priori casu* ipsemet episcopus authoritate pontificia, cum consilio, et consensu sui capituli, vel majoris partis ejusdem assumere sibi unum, vel duos coadjutores potest ad dictum suum officium exequendum. *In posteriori* eadem authoritate illud facere potest capitulum.

14

Quo casu tria notari debent 1. concurrere ad constitutionem coadjutorum debent duae partes capituli, nec sufficit consensus majoris partis, ut alias regulariter: quod speciale est, sicut etiam in electione summi pont. et postulatione, quae concurrit cum electione; gloss. *in c. un. cit. V. duae illius partes*, Alagon. *ibid. in fin.* Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 2. *vers. porro*, Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 10. *n.* 7. Passerin. *in c. un. cit. n.* 31. *et* 36. Engl. *hic n.* 2. Pirh. *n.* 14. *not.* 4. Konig *n.* 4. Vviest. *n.* 13. 2. Capitulum hoc casu dare plures coadjutores non potest, nisi duos; quia quando lex, vel statutum determinatum numerum praefigit, non potest is excedi, et cum capitulum, non nisi ex potestate delegata papae unum, vel duos coadjutores dare possit, debet servare limites mandati; gloss. *in c. fin. cit. V. aut duos*, Alagon. *ibid. in fin.* Franc. §. *si vero n.* 3. Passerin. *n.* 37. Pirh. *l. cit.* Kon. *n.* 6. et hoc statutum est, ne nimium graventur ecclesiae, ex quarum reditibus ali coadjutores debent; 3. si hoc casu capitulum coadjutorem episcopo amenti dederit, episcopi, et ecclesiae suae conditionem, ac facti circumstantias universas, quam cito poterit, ad sedem apostolicam referre jubetur; Passerin. *n.* 39. Quod etiam observandum, si episcopus omnino inutilis redditus coadjutorem assumere, licet a capitulo requisitus, non velit, ut notatur *c. un. cit. vers. si autem*, Alagon, *ibid. vers. et si in utroque*, Vivian. *vers. sed si*, Passerin. *n.* 38. *et* 40. Barb. *n.* 1. *et l.* 3. *jur. eccl. c.* 10. *n.* 7. Honor. *hic n.* 9. Engl. *n.* 2. Konig *n.* 4.

15

Major difficultas est *de secundo distinctionis n.* 12. *allatae membro*, an videlicet, et a quo coadjutor perpetuus, seu cum jure succedendi dari valeat? *Ratio dubitandi* triplex est. 1. Quia Trid. *sess.* 25. *c.* 7. *vers. in coadjutoriis de reform.* decernit eas tollendas. 2. Quia successiones in beneficiis jam ab antiquo jure inveniuntur damnatae; *c. detestanda* 2. *et c. seq. h. tit.* 3. Quia sic videtur praeberi occasio captandae, vel optandae alienae mortis, sc. ejus, cui cum successionis jure coadjutor datus est.

Sed his rationibus non obstantibus, explorati juris est, ejusmodi coadjutores cum jure successionis dari posse, non quidem ab episcopo, vel aliis praelatis, sed a pontifice tantum, prout jam olim factum esse videtur colligi ex *c. an petivisti* 17. *caus.* 7. *q.* 1. et hodie ex praxi constat. *Ratio est*, tum quia pontifex de beneficiis, et dignitatibus ecclesiasticis disponendi, inque iis vacaturis jus tribuendi potestatem habet plenissimam; tum quia id aliquando ecclesiae necessarium, vel saltem utile esse potest, ut nim. sic coadjutor majore cum authoritate munus suum exerceat, diligentius eo fungatur, plurisque habeatur a subditis etc.

16

Addidi, *non posse coadjutorem cum jure successionis dari ab episcopis, aut aliis praelatis inferioribus*: quod patet ex Trid. *sess.* 25. *c.* 7. *vers. in coadjutoriis cit.* ubi ejusdem PP. voluerunt *coadjutorias cum futura successione nemini in quibuscunque beneficiis ecclesiasticis permitti*: *et sess.* 21. *c.* 6. *de reform.* ubi sacra synodus *episcopis*, *tanquam sedis apostolicae delegatis* permisit facultatem *deputandi coadjutores pro tempore. Ratio est*, quia deputatio coadjutoris perpetui, et cum jure successionis est quaedam promissio, vel provisio beneficii vacaturi, quae, si ab alio, quam a pontifice, facta est olim jam irrita, et inanis fuit; *c. nulla* 2. *et duobus seqq. de concess. praeb.*

Imo etiam pontifex, quando ecclesiae cathedralis urgens necessitas, aut evidens utilitas postulat praelato coadjutorem dari, non aliter illum cum futura successione dat, quam postquam causam dandi diligenter prius in consistorio suo examinari fecerit, simulque constiterit, qualitates omnes in coadjutore constituendo concurrere, quae a jure, et decretis s. synodi Trid. in episcopis, et praelatis requiruntur; alias accessiones super iis factae subreptitiae censebuntur; Flam. *de resign. l.* 7. *q.* 20. *n.* 14. *et* 15. Barbos. *jur. eccl. l.* 1. *c.* 15. *n.* 51. *et l.* 3. *c.* 10. *n.* 47. Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 13. *et seqq.*

17

Rationes dubitandi in contrarium non multum urgent. *Ad* 1. Trid. *l. cit.* non comprehendit pontificem; nam ut *eadem sess. c.* 21. *de reform.* declarat, *omnia*, *et singula*, *sub quibuscunque clausulis*, *et verbis*, *quae de morum reformatione*, *atque ecclesiastica disciplina -- in hoc sacro concilio statuta sunt*, *vult ita decreta esse*, *ut in his salva semper authoritas sedis apostolicae et sit*, *et esse intelligatur. Ad* 2. cum eadem exceptione plenitudinis potestatis papalis intelligi debent textus ibi allati. *Ad* 3. voto captandae, et optandae mortis alienae occasio per concessionem

coadjutoriae perpetuae non praebetur per se, et ex fine suo, sed solum per accidens. Igitur non obstante illo, pontifex, quoties profuturum judicaverit, ejusmodi coadjutores cum jure successionis dare poterit.

Videantur de hoc Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 5. §. 9. *num.* 91. Garc. *p.* 4. *de benef. c.* 5. *n.* 16. *et seqq.* Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 2. Lambertin. *de jur. patron. l.* 2. *p.* 1. *q.* 6. *art.* 20. *n.* 3. *et seqq.* Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 7. *et seqq.* Fagn. *in c. nulla* 2. *de concess. praeb. n.* 84. Pirh. *hic n.* 20. Vviest. *n.* 16.

18

Quaeritur 6. quae sint causae, ob quas episcopo, parocho, vel alii beneficiato, aut praelato coadjutor assignari possit? Resp. Has enumerat Flamin. *de resign. l.* 7. *q.* 20. *a n.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 3. Barb. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 15. *n.* 51. *et l.* 3. *c.* 10. *a n.* 5. Pignatell. *tom.* 4. *cons.* 137. *n.* 2. Gonz. *in c. fin. h. tit. n.* 5. Honor. *a n.* 3. et alii passim. Suntque

1. Senium episcopi, praelati, vel beneficiarii. Porro quae aetas requiratur, ut quis senio affectus in ordine ad effectum istum censeri debeat, non conveniunt DD. aliqui cum archidiacono apud Franc. §. *verum n.* 2. requirunt, ut sit 70. annis major; Gonz. *reg.* 8. *gloss.* 5. §. 9. *n.* 84. Barb. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 7. Pignatell. *n.* 2. *cit.* Konig *n.* 10. putant sufficere aetatem 60. annorum. Alii melius cum Passerin. *in c. un. cit. n.* 20. dicunt, senium considerandum esse secundum episcopi complexionem, cum alii citius, alii tardius senescant.

19

2. Gravis infirmitas perpetua, et incurabilis; nam si morbus solum sit temporalis, et curabilis, coadjutor ei dandus non est, ut monet Abb. *in c. ex parte* 5. *h. tit. n.* 2. *not.* 1. quamvis hoc casu episcopus pro beneficiario aegrotante constituere possit vicarium temporalem; Fagn. *in c. ex parte cit. n.* 4. Passerin. *n.* 22. *et* 23. Pirh. *n.* 10. Estque hoc ita verum, ut nisi coadjutus nominatim exprimat talem morbum, qui sit aptus eundem impedire ab exercitio officii sui, eundemque probet, constitutio coadjutoris non valeat; Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 10. *n.* 6. Porro aetas sexagenaria, et mala valetudo coadjuti pro obtinenda coadjutoria sufficienter probatur ex attestatione capituli, et medicorum; Jacob Emerix *decis.* 494. *n.* 2. praecipue si intra paucos menses a die concessae coadjutoriae sequatur mors coadjuti; *Rota decis.* 45. *n.* 30. *decis.* 313. *n.* 10. *p.* 7. *recent.*

20

3. Mutilatio, si talis sit, ut officium sacerdotale in totum, vel saltem ex parte exercere non possit, vel non nisi cum notabili deformitate, quae pariat scandalum, vel horrorem spectantibus afferat; *c. presbyterum* 2. *h. tit.* et notat Pirh. *n.* 4. *hic.*

4. Defectus sufficientis doctrinae in parocho vel curato; his enim, *si alias honestae vitae sunt, coadjutores, aut vicarios pro tempore deputari ab episcopis, tanquam sedis apostolicae delegatis* permisit trid. *sess.* 21. *c.* 6. *de ref.*

5. Aucta populi numerositas, ita, ut rector ecclesiae, ei providendo non sufficiat solus; Caesar de Grassis *dec. un. de paroch.* Gonz. *glos.* 5. §. 9. *n.* 26. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 10. *n.* 16.

6. Si sit negligens, et remissus in officio suo; si suspectus de dilapidatione bonorum ecclesiae; si alias inhabilis, ut non possit muneri sibi injuncto incumbere; AA. *cit.* Quo revocatur, si sit exul, captus ab hostibus, aut diu absens ex causa necessaria, et gravissima; Pignatell. *cons.* 137. *cit. n.* 5.

21

Quaeritur 7. qualis debeat esse coadjutor datus episcopo, vel beneficiario? Resp. Multum refert, quem in finem detur, an solum in ordine ad succedendum in episcopatu, an vero etiam ad juvandum episcopum, vel beneficiarium non potentem exercere officium suum. *Si primum*, sicut coadjutoris datio tali casu pertinet ad solum pontificem, ita ab ipso, cum legibus ecclesiasticis non ligetur, dari potest, qui qualitates ad officium, vel dignitatem, in quo constituitur, nondum habeat. Patet ab experientia, ex qua constat, ejusmodi coadjutorias cum futura successione in episcopatu a pontifice principum praecipue filiis saepe concedi, etiamsi nec aetatem, nec litteraturam nec alias qualitates requisitas habeant; Vvagn. *in c. fin. h. t. in* 6. *not.* 3. Vvex *ariadn. p.* 4. *decad.* 1. *cas.* 2. *n.* 21. Engl. *hic n.* 7. Konig *n.* 5.

22

Si secundum, et coadjutor episcopo, vel beneficiario detur ad eum juvandum, quia officium suum exercere non potest, concurrere in persona ejus illae omnes qualitates debent, quae ad exercitium administrationis, ad quam datur necessariae sunt; Pignat. *to.* 4. *cons.* 137. *n.* 4. Passer. *in* 8. *un. cit. h. t. in* 6. *n.* 47. cum ceteris.

In specie 1. debet esse clericus; quia laicus generalis ecclesiae administrator esse non potest; *can. indicatum* 5. *dist.* 89. Proceditque hoc etiam quoad administrationem temporalium tantum. *Excipitur* plenitudo potestatis papalis, nam hic etiam ad spiritualia quaedam

gerenda dare laicum coadjutorem potest, ut notat Abb. *in c. fin. h. t. n. 2. q. 4.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 2. q. 7.* Pirh. *hic n. 15.*

23

2. Si coadjutor sit tantum datus ad temporalium rerum administrationem, debet esse prudens, et in ea re exercitatus, si vero ad spiritualia administranda, et animarum curam exercendam, debet habere scientiam, quae ad hunc finem requiritur, una cum vitae, morumque honestate; Abb. *l. cit. n. 1. q. 2.* Azor. *q. 5.* Pirh. *n. 15. cit.*

3. Ætatem illam habere debet, quam requirit beneficium vel officium, ad cujus administrationem datur; Barb. *l. 3. jur. eccl. c. 10. u. 89.* et hinc si parocho datus sit ad gerendam curam animarum, debet attigisse 25. aetatis annum; si episcopo, distinguendum est; nam si datus est ad spiritualium administrationem, debet complevisse 30. annos: si ad administrationem temporalium tantum, sufficit, si compleverit annum 25. nam haec censetur in jure perfecta aetas, ita, ut tutor, curator, vel procurator aliquis esse possit; Azor. *c. 2. cit. q. 6.* Passer. *in c. un. h. t. in 6. n. 47.* Leur. *p. 1. q. 217. n. 2.* Honor. *hic n. 12.* Konig *n. 6.*

24

4. Quoad ordinem distinguendum est inter coadjutorem temporalem, et perpetuum. *Temporalis* actu ordinem, et ceteras qualitates ad ministerium suum requisitas habere debet; Pal. *tr. 13. D. 1. p. 9. n. 11.* la Croix *l. 4. theol. mor. n. 722. Neque obstat*, quod id non requiratur in parocho; nam parochus non tenetur statim per se ministrare sacramenta, sed annus eidem indulgetur, intra quem sacerdotium tenetur suscipere. Coadjutor autem, praelato debilitato, datus statim tenetur exercere officium suum, ne opus sit coadjutore coadjutoris. *In coadjutore perpetuo* altera distinctio est adhibenda; nam si datus sit tantum, ad effectum succedendi in praelatura episcopo vel praelato, adhuc habili, ordo actualis, quem praelatura, vel beneficium petit, non requiritur, sed sufficit, ut ad istum promoveatur tempore a jure requisito; Pal. *l. cit.* At si praeterea etiam datus sit ad eum coadjuvandum, habere ordinem et ipse debet, quem ministerium, in quo juvare eundem debet, requirit, ut *l. cit.* iterum Palao monet.

5. Quoad statum denique non repugnat religiosum dari coadjutorem episcopo, vel parocho cum abbatis sui, seu superioris regularis consensu; quia cum necessitate exigente, vel ob utilitatem publicam possit praefici ecclesiae saeculari, esseque episcopus, vel parochus esse etiam adjutor illorum poterit; Abb. *in c. fin. cit. n. 4. q. 6.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 2. q. 8.* Barb. *l. 3. jur. eccl. c. 10. n. 6.*

25

Quaeritur 8. quod sit officium coadjutoris episcopo, vel alteri praelato, rectori, seu parocho propter senium, aut infirmitatem assignati? Resp. Hoc dependet a voluntate dantis, vel assumentis coadjutorem; nam totum id poterit, ad quod fuit assumptus. Hinc, ut cognoscatur, quid coadjutor possit, attendi debent facultates expressae in litteris coadjutoriae; Flam. *de resign. l.* 7. *q.* 20. *n.* 19. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 10. *n.* 25. Pignatell. *to.* 4. *cons.* 129. *n.* 41. Passer. *in c. un. cit. n.* 53.

At ubi de voluntate dantis, vel assumentis sufficienter constare non potest, inspiciendum est, ex qua causa sit datus, nam si episcopo datus est solum ad temporalia administranda, circa haec solum officium ejus versatur, ac proinde in spiritualibus gubernare non poterit.

26

Quando vero datus est etiam ad spiritualia, videndum, an datus sit dementi, an vero seni, et infirmo, sed mentis compoti. *Si primum*, generalem, et liberam potestatem tam in spiritualibus quam in temporalibus habet, ita, ut etiam beneficia in dioecesi vacantia conferre, et resignationes illorum possit recipere; Flam. *q.* 20. *cit. n.* 25. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 10. *et l.* 6. *c.* 25. *q.* 15. Barb. *c.* 10. *cit. n.* 25. *et in c. un. cit. n.* 9. Fagn. *in c. ex parte* 3. *h. t. n.* 24. Leur. *p.* 2. *p.* 679. *n.* 1. Vall. *l.* 1. *de ben. t.* 9. *n.* 14. et ratio est, ne solito diuturnior vacatio ecclesiae afferat damnum, et periculum animabus. *Neque obstat*, quod collatio beneficii sit quaedam donatio *c. fin. de inst. et c. fin. de offic. vicar.* ac proinde species alienationis, quae coadjutori, ut *n. seq.* dicetur, prohibita est, nam alienationis coadjutori prohibitae nomine intelligi solum debet, quae est mere voluntaria. Non autem, quae necessaria, qualis est collatio beneficii, utpote quod, ut paulo ante dictum est, diu vacare non debet, ne periculum patiantur animae, et dimunitionem cultus divinus.

27

Si secundum, et coadjutor datus sit seni, vel infirmo sed mentis compoti, omnia exercere potest, sive jurisdictionis illa sint, sive ordinis, si ordinem illum habeat, nisi quae vel a jure, vel ab ipso coadjuto, qui eundem assumpsit, sint reservata; Franc. *in c. un. h. t. in* 6. §. *si vero*, Passer. *ib. n.* 49. *et* 50. Barb. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 15. *n.* 52. Honor *hic n.* 13. Pirh. *n.* 16. Konig *n.* 12.

Excipitur 1. alienatio rerum ecclesiae, vel praelati immobilium, et mobilium pretiosarum; nam haec coadjutori episcopi, et praelati est interdicta; *c. un. cit. vers. praesenti.* Dixi *pretiosarum*; nam mobilia non pretiosa, et quae servando servari non possunt, coadjutores alienare possunt, ob generalem administrationem, quae ipsis com-

petit. 2. Collatio beneficiorum libera; haec enim ad coadjutum pertinet, quippe qui dignitatis titulum, et ipsam possessionem ejusdem retinet; Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 15. Barb. *c.* 15. *cit. n.* 53. Vall. *l.* 1. *de ben. t.* 9. *n.* 14. Pirh. *hic n.* 18. Scham. *n.* 6. Konig *n.* 12. Vvies. *n.* 22. Quodsi tamen episcopo sanae mentis daretur coadjutor ob dilapidationem, seu malam administrationem beneficiorum , non posset ille beneficia conferre sine consilio, et consensu coadjutoris , ut cum Pal. Garc. notat Leur. *q.* 679. *n.* 3. 3. Denique ea omnia , quae praelatus, qui coadjutorem assumpsit, sibi reservavit; potest enim sibi reservare plura, ad quae non est impeditus , et praecipue potest sibi reservare consensum in arduis: imo hoc ex natura sua est reservatum; coadjutor enim datur in auxilium; et potestas residet in coadjuto; Passer. *n.* 53. Et universim coadjutor in ea , quae ad officium coadjuti spectant, et ab hoc praestari possunt, ingerere se, isto invito, non debet. Quod certum est de coadjutore temporali.

28

Dubium est de coadjutore perpetuo, qui cum futura successione, et libera administratione datus est. Videtur, quod iste, etiam episcopo invito, exercere illa, quae jurisdictionis sive temporalis, sive spiritualis sunt, possit 1. Propter amplitudinem potestatis, quae in bulla coadjutoriae hujusmodi exprimi solet. 2. Quia coadjutor dari etiam invito, et contradicenti potest, ut ex communi DD. sensu notat Fagn. *in c. ex parte* 5. *h. t. n.* 4.

Sed adhibenda distinctio est: vel enim coadjutus omnino inhabilis, aut saltem, quae jurisdictionis episcopalis sunt, peragere omnia ipse non potest; vel contra senio, aut infirmitate non obstante, quibusdam fungi ipse vult, et potest. *Si primum,* peragere illa coadjutor etiam coadjuto invito, potest; *si secundum*, in ea, quae coadjutus peragere vult, et potest, coadjutor non se debet ingerere; Barbos. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 10. *n.* 48. Fagn. *in c. ex parte cit. n.* 24. Vviest. *hic n.* 25. *Ratio est* , quia coadjutor associatur coadjuto, et datur in subsidium illius , ita tamen , ut hic jurisdictionem , et administrationem habitu retineat.

Neque obstant rationes dubitandi allatae. *Ad* 1. generalia bullae verba, ut recte Fagn. *l. cit.* monet , restringi debent ad ea , quae coadjutori de jure, vel consuetudine competunt. *Ad* 2. quod coadjutor aliquando invito detur, ipsius potestatem non auget.

29

Quaeritur 9. quae sint obligationes coadjutorum ? Resp. *ad* 1. Obligatio coadjutorium triplex est. 1. Ut diligenter exerceat officium suum, non tamen in hujus exercitio transgrediatur fines mandati , quo datus est coadjutor, ut dictum est *n.* 25

2. Ut resideat in loco beneficii, in quo assumptus est coadjutor. Proceditque hoc etsi ibidem resideat coadjutus; neque enim per hoc coadjutor liberatur ab onere residendi, prout declaravit s. congreg. card. interpr. trid. teste Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 10. *n.* 31. similiter nec coadjutus ab onere residendi liber fit per hoc, quod in ipsius beneficio resideat coadjutor, sed et ipse residere in eo debet, ut cum aliis recte advertit Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 8. si tamen residere in eo possit. *Excipitur* trimestre, quod de jure concessum est episcopis; nam hoc abesse etiam coadjutor potest, neque necesse est, ut diversum trimestre pro absentia sua sibi sumat episcopus, diversum coadjutor; quia, nisi obstet speciale statutum, per trimestre etiam possunt abesse simul; Leur. *p.* 1. *q.* 401. *n.* 6. et apud hunc alii.

30

3. Ut rationes administrationis suae reddat, praelato, si sanae mentis sit, vel capitulo, aut successori praelati, cui datus est, si illud ante non fecerit; *c. fin. h. tit. in* 6. possuntque rationes istae ab eo peti, etiam durante adhuc ipsius officio: quo differt a curatore, et tutore, qui durante officio administrationis suae rationes reddere non tenentur; *l. si tutor* 9. §. *et generaliter* 4. *ff. de tutel. et rat. dist. et l. adversus* 2. *C. de administ. tutor.* rationem disparitatis dant Ancharan. *in c. un cit. not.* 11. Honor. *hic n.* 14. Pirh. *n.* 17. Scham. *n.* 5. Vviest. *n.* 21. quia tutoris, et curatoris officium tempus determinatum, quo finitur, habet; at coadjutoris officium habet tempus indeterminatum, et incertum, cum nesciatur, quando moriturus sit praelatus, cui est coadjutor datus.

31

Quaeritur 10. an coadjutori in ecclesia, capitulo, et aliis locis eadem sedes, et praerogativa competat, quae principali? Affirmant aliqui cum Navar. *cons.* 2. *h. tit. n.* 5. et videtur posse probari 1. quia juxta notissimam juris maximam subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur. Sed coadjutor subrogatus est in locum coadjuti, et hujus coruscat radiis. Ergo frui praerogativis ei concessis debet. 2. In gratia coadjutoriae habetur, ut coadjutor gaudeat omnibus praeeminentiis, et honoribus tam extra, quam intra chorum, quos proprietarius ratione canonicatus, vel praebendae obtinet. Ergo si iste ratione istius obtinet locum priorem, eundem etiam obtinebit coadjutor. 3. resignans beneficium, reservato sibi regressu, mortuo resignatario, in choro, et capitulo succedit in eodem loco, in quo antea erat, ut teste Gonzal. *gloss.* 5. §. 9. *n.* 101. decidit rota. Ergo etiam coadjutor debet succedere.

32

Sed dicendum, etsi coadjutor eo, quod repraesentet personam principalis, praecedat omnes, qui respectu ejus sint inferioris ordinis; v. g. coadjutor episcopi praecedat omnes abbates, abbatis omnes inferiores abbate; nequaquam tamen coadjutor episcopi praecedere aliquem ex episcopis, aut abbatis aliquem ex abbatibus etc. licet principali, si praesens esset, primus locus competeret. Ita Gonzal. *n.* 101. *cit.* Garc. *p.* 4. *c.* 5. *a n.* 65. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 10. *n.* 11. Engl *hic n.* 5. Konig *n.* 15. la Croix *l.* 4. *n.* 724. *Ratio est*, quia ceteris paribus in eodem ordine, sive gradu dignitatis semper clarior est, qui propriis radiis fulget, quam qui alienis, et semper potentius est jus, quod quis proprio habet nomine, quam quod alieno.

33

Neque aliud probant argumenta opposita. *Ad* 1. id intelligitur respectu aliorum inferiorum, quod ita subrogatus praeferri debet: non autem respectu parium in dignitate, in qua coadjutor subrogatus est principali, ob rationem allatam. *Ad* 2. ob eandem rationem explicandae sunt littarae coadjutoriae, ita, ut praeeminentiam concedant prae inferioribus, non autem prae paribus. *Ad* 3. negatur paritas: nam illa conditione facta est resignatio; non autem ea conditione dari coadjutores solent.

34

Quaeritur 11. quamdiu duret coadjutoris officium? Resp. cum distinctione, an datus sit simpliciter, et ad vitam coadjuti tantum, an vero cum jure successionis.

Si primum, officium ipsius cessat morte coadjuti vel naturali, vel civili, nempe depositione, vel regnatione ejusdem. Ita ex communi tradit Joan. Andr. *in c. fin. hoc tit.* Ancharan. *in c. un. eod. in* 6. *not.* 10. Passerin. *ibid. n.* 62. *et* 63. Fagn. *in c. ex parte cit. n.* 9. Honor. *hic n.* 15. Zoes. *n.* 4. Pirh. *n.* 19. Vviest. *n.* 15. sumitur 1. *a paritate* cum tutela, quae finitur morte pupilli civili, et naturali; §. *item* 1. *et* §. *seq. inst. quib. mod. tutel. fin.* 2. *Ex etymologia nominis*; nam coadjutor a *coadjuvando* dicitur: atqui mortuo coadjuto, non est amplius, quem adjuvet coadjutor. Igitur necesse est, ut finiatur ejus potestas, et jurisdictio, ejusque exercitium devolvatur ad capitulum, vel illum, ad quem spectat, vacante sede. 3. *Ex ratione;* nam officium coadjutoris tanquam accessorium, dependebat ab episcopo, in quo residebat titulus episcopatus, et jurisdictio episcopalis. Hinc autem mortuo translato, vel deposito episcopo, extinguitur. Igitur necesse est, ut etiam extinguatur officium coadjutoris accessorie ei annexum.

35

Si secundum, morte coadjuti non cessat ejus officium, sed coadjutor subintrat in coadjuti locum, et hoc ipso incipit esse principalis, ita, ut nulla opus sit nova collatione, sed coadjutor per ipsam coadjuti mortem, vel resignationem consequatur jus plenum in episcopatu, vel praelatura, in qua datus est coadjutor; Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 10. *n.* 48. *fin.* Fagu. *in c. ex parte* 5. *h. tit. n.* 16. Pirh. *hic n.* 21. Vviest. *n.* 17. et ratio est, quia papa in istis coadjutoriis *ex nunc*, *prout ex tunc* collationem facit, prout apud Garc. *p.* 4. *de benef. c.* 5. *n.* 138. decidit rota.

36

Quaeritur 12. an coadjutor datus cum jure successionis in dignitate, vel beneficio succedat, si coadjutus ante coadjutoriae litteras obtentas cedat, vel decedat? *Certum est*, locum successioni esse, si ante cessum, vel decessum litterae coadjutoriae datae sint, et expeditae, etsi coadjutor gratiae sibi factae notitiam nondum habeat; quia gratia successionis effectum sortitur a tempore datae, ut notat Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 132. Pal. *tr.* 13. *p.* 10. *n.* 34. Engl. *hic n.* 8. Vviest. *n.* 18.

37

Major controversia est, si coadjutus cesserit, vel decesserit ante tempus datarum litterarum. Affirmare videtur Gonz. *gloss.* 5. §. 9. *a n.* 53. *Ratio esse potest* 1. quia coadjutoria cum futura successione duas continet gratias, unam, quae spectat favorem coadjuti, alteram, quae respicit favorem coadjutoris, quae duae gratiae sunt prorsus diversae, et a se invicem independentes. Igitur licet gratia prior per obitum coadjuti extinguatur, non tamen extinguetur posterior; *arg. c. si eo tempore* 9. *de rescript. in* 6. ubi deciditur, quod gratia rescripti secundum unam partem invalida, quoad alteram subsistat. 2. Quia jus succedendi coadjutori concedi solet, apposita clausula, *etiamsi beneficium de tempore datae actualiter vacet, et coadjutor officium suum non exercuerit*: quae clausula effectum non haberet, si gratia coadjutoriae non extenderetur etiam ad casum, quo interea vacasset dignitas, vel beneficium, ad quod coadjutor cum jure successionis datur. 3. Si in uno, eodemque rescripto sit facta gratia dispensationis, e. g. super impedimento affinitatis ad contrahendum matrimonium, et legitimationis prolis, ex matrimonio ob tale impedimentum nulliter contracto susceptae, casu quo alter conjugum interea decessit, ut sic priori gratiae non amplius locus sit, est tamen adhuc locus posteriori ex mente Ancharan. *cons.* 409. et rotae apud Gonz. *l. cit.* igitur a pari, etsi gra-

tia coadjutoriae corruat quoad officium coadjuti, quoad successionem tamen subsistet.

38

Sed verius est tali casu successioni locum non esse. Ita Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 132. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 10. *n.* 34. Vviest. *hic n.* 19. la Croix *l.* 4. *n.* 723. *Ratio est* 1. quia coadjutori successio datur in remunerationem obligationis, quam pro beneficiato subit : haec autem obligatio, beneficiato ante tempus datarum litterarum decedente, cessat : igitur cessabit etiam successio. 2. quia coadjutoria tribuit tantum jus in beneficio vacaturo, et quoad coadjutos possidet : casu autem, quo istius mors, vel renuntiatio antecessit tempus datae, beneficium non est vacaturum, sed vacat, nec coadjutus illud amplius possidet, sed possedit : ergo etc. 3. quia per decessum coadjuti jus conferendi beneficium mox quaesitum est collatori inferiori ; jus autem quaesitum tertio tollere papa, etsi absolute possit, non tamen solet, et in dubio nunquam velle praesumitur : ergo etc.

39

Rationes in oppositum non sunt efficaces. *Ad* 1. concessione coadjutoriae cum jure successioni confertur quidem duplex gratia, una tamen dependens ab altera, ut ostensum est : igitur hac pereunte necesse est cadere etiam primam. *Ad* 2. clausula illa intelligi debet de vacatione, non quae inducta est jure, et facto per beneficiati mortem, vel renuntiationem, sed quae inducta est solo jure, quod beneficiatus forte beneficium possideat sine legitimo titulo. *Ad* 3. negatur paritas ; quia gratia dispensationis in impedimento, et legitimationis prolis non sunt a se invicem ita dependentes, sicut gratia successionis in nostro casu dependet ab obligatione juvandi coadjutum.

TITULUS VII.

De institutionibus.

Regula juris nostri decantatissima est, quod *beneficium ecclesiasticum non possit licite sine institutione canonica obtineri*, ut habetur *c. beneficium* 1. *de R. J. in* 6. Hinc postquam actum est de praebendis, et beneficiis, ordo doctrinae petit, ut nunc agatur de institutionibus in beneficia. Tres institutionum species recenset Fagnan. *in c. cum ecclesia de caus. possess. et propr. n.* 28. et ex hoc Van-Espen *p.* 2. *jur. eccl. tit.* 26. *c.* 1. *n.* 1. quarum prima dicitur *collativa*, quod per eam conferatur titulus in beneficio ; altera *authorizabilis*, quod per eam clerico, ad beneficium curatum

promoto, committatur cura animarum per sacramentorum administrationem exercenda; tertia *investitura*, per quam clerico, postquam titulum, seu jus in re legitime jam consecutus est, tribuitur jus apprehendendi possessionem corporalem, et actualem beneficii. Quare sit

§. I.

De institutione collativa tituli in beneficio.

SUMMARIUM

1 *Definitio, et varia acceptio institutionis.*
2 *Debetur legitime praesentato.*
3 *Quid si plures sint praesentati?*
4 *Facta, neglecto praesentato, vel praesentatione, est invalida.*
5 *Valida est facta ad praesentationem patroni tantum existimati.*
6 *Necessaria est, ut praesentatus occupare beneficium possit.*
7 *Jure communi post papam spectat ad episcopum.*
8 *Sede vacante, ad capitulum.*
9 *Vicarius generalis instituere potest, absque speciali mandato.*
10 *Jure speciali potestas instituendi competere potest etiam praelatis inferioribus.*
11 *Abbatissis ex privilegio apostolico.*
12 *Laicis ex eodem, non tamen ex consuetudine, vel praescriptione.*
13 *Qui jus instituendi habet, non potest seipsum instituere, etsi a patrono praesentetur.*
14 *Ad quem episcopum pertineat institutio clerici in ecclesia, quae in duarum dioecesium confinibus sita est?*
15 *Institui non possunt laici.*
16 *Nec unius tantum originis clerici.*
17 *Praesentatus ad parochialem institui debet, etsi tantum habeat minores ordines.*
18 19 *Tot in clericorum collegiis instituendi sunt, quot ali commode possunt.*
20 *Non plures.*
21 *Si stabiliter decreverint reditus, diminui potest numerus.*
22 *Adeo, ut ultra facultates prœlati non possint cogi, ut aliquem accipiant.*
23 *Quomodo facultates sint computandæ.*
24 25 *Quo tempore institutio fieri debeat?*
26 27 *An fieri possit etiam intra tempus indultum ad praesentandum?*
28 29 *Quo die, et loco sit facienda?*
30 31 *An casu, quo praesentatio, et institutio eidem competit, fieri utraque uno actu valeat?*
32 33 *Quomodo facienda sit institutio.*
34 35 36 *An, et quando ipsi praemittendum edictum?*
37 38 *Quis hujus edicti effectus?*
39 *An institutio facienda in scriptis?*

1

Quaeritur 1. quid, et quotuplex sit *institutio*? Resp. *Institutionis* nomen, ut Barbos. *de appellat. verb. V. collatio.* Clericat. *de*

benefic. scord. 48. *n.* 36. ceterique DD. advertunt dupliciter sumi potest. 1. *generalissime*, in quo sensu etiam includit nominationem, et praesentationem 2. *specifice*, quo modo accepta, exclusa nominatione, et praesentatione solam beneficii collationem significat : et in hoc sensu institutio collativa alia est *libera*, qua beneficium libere omnino confertur clerico, ita, ut nullum in eo jus ad illud supponat ; alia *necessaria*, qua conceditur beneficium ad patroni praesentationem. Haec sola istius loci est, et simpliciter *institutio* dicitur. Definiri solet, quod sit *concessio ecclesiae*, *vel beneficii vacantis, authoritate legitima episcopi*, *vel alterius ordinarii facta, ad praesentationem*, *vel nominationem patroni*. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *quaest.* 1. Lotter. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 18. Fill. *tr.* 41. *c.* 3. *n.* 9. Barbos. *de offic. episc. alleg.* 72. *n.* 174. Vvagn. *ad rubr. h. tit. not.* 2. et alii passim.

2

Dicitur *necessaria* ; quia debetur praesentato. Ut tamen debeatur ab habente instituere, quatuor ista liquere debent. 1. quod beneficium, ad quod praesentatus est, vacet. 2. quod illud sit patronatum, et qui praesentavit, saltem sit in possessione juris patronatus. 3. quod praesentatus sit habilis. 4. quod praesentatio facta sit in tempore. His concurrentibus, ordinarius tenetur instituere praesentatum, quod si facere neget, aut plus aequo differat, licitum erit appellare ; vel quod frequentius, et tutius practicatur poterit provisio impetrari a papa asserendo simpliciter, se praesentatum a patronis esse.

3

Dub. 1. quid faciendum ordinario, si plures ad idem beneficium sint praesentati. Resp. tunc praeferendus, qui praesentatus est a majori patronorum parte, si dignus reperiatur; Paul. de cittadin. *de jur. patron. p.* 6. *q.* 27. Vivian. *simil. tract. p.* 2. *l.* 12. *c.* 8. *n.* 1. Barbos. *alleg.* 72. *n.* 197. Joan. Emerix *decis.* 138. *n.* 3. Clericat. *de benef. disc.* 32. *n.* 4. et hoc teste decisum a rota. *Proceditque hoc*, etsi is, qui praesentatus est a minori parte, sit dignior ; nam adhuc praeferendus est, qui a majore est praesentatus, quod alter tali casu censeatur omnino non esse praesentatus ; *c. quoniam* 3. *et ibi* gloss. *V. qui majoribus de jur. patron.* Rota *in pisciensi beneficii* 20. *maji* 1658. Konig *hic n.* 11.

Quodsi praesentati sint pares in voce, et tempus ad praesentandum patronis concessum effluxerit, episcopus ad praesentatorum merita debet respicere; nam digniorem instituere debet, adeo ut si neglecto magis idoneo, minus dignum instituat, contra justitiam distributivam peccet ; *c. quoniam cit. c. cum autem* 24. *ibid.* s. Thom.

2. 2. *quaest.* 185. *art.* 5. et passim DD. Institutio tamen digni praedigniore erit valida, ne alioquin cum damno ecclesiae contingat sub hoc praetextu impugnari plurimas institutiones. Idem dicendum, quando ab eodem patrono laico plures simul, vel successive sunt praesentati.

4

Dub. 2. an valida sit institutio, si facta sit neglecto praesentato, vel etiam absque consensu et praesentatione patroni? Videtur esse valida, sed rescissioni obnoxia ex *c. illud* 8. *de jur. patron. in fin.* ubi dicitur solummodo *irritanda*. Sed quia novum in jure non est, vocem *irritanda* idem significare, quod *declarata irrita*: ideirco ex textu isto difficultas considerabilis moveri non potest. Hinc dicendum, esse irritam ipso jure. Ita Barbos. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 12. *n.* 163. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *par.* 9. *n.* 5. Leur. *p.* 2. *for. benef. quaest.* 181. et patet ex *can. decernimus* 32. *caus.* 16. *q.* 7. ibi, *quodsi spretis eisdem fundatoribus, rectores ibidem praesumpserit episcopus ordinare, et ordinationem suam irritam noverit esse, et ad verecundiam suam alios in eorum loco (quos idem ipsi fundatores condignos elegerint) ordinari.*

Unde integrum tali casu erit patrono, vel praesentationem a se factam urgere, vel alium praesentare, modo id fiat intra tempus a jure pro praesentatione statutum: quo secundo casu, si alium a patrono praesentatum episcopus instituerit, licet is minus dignus priore sit, modo absolute sit dignus, praeferri priori debet, et in possessione relinqui, non obstante appellatione infra illud tempus a primo praesentato ad superiorem interposita: tum propter jus in re, quod secundo praesentatus per institutionem adeptus est; tum quia appellatio patrono laico adimere potestatem non potuit secundum cumulative praesentandi, si velit. Episcopus tamen, si primo praesentatum malitiose recusavit instituere, eidem in poenam de alio beneficio competenti providere tenebitur, *qualenus puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse*, ut dicitur *c. pastoralis* 29. *de jur. patron.*

5

Dub. 3. an valeat institutio facta ad praesentationem patroni tantum existimati, qui revera patronus non est? Resp. affirmative; nam ad effectum, ut quis veniat instituendus, sufficit docere se esse praesentatum ab existente in quasi possessione juris patronatus; *cap. consultationibus* 19. *de jur. patron.* Rota *in placentina canonicatus* 1. *jul.* 1647. *et in gerundensi beneficii* 5. *maji* 1649. Quod ita verum est, ut etsi postea alius, lite adversus possessorem mota super jure patronatus, illud evicerit in judicio, adhuc tamen sic institutus a patrono existimato sustineri debeat; *c. consultationibus*

cit. et ibi Fagnan. *n.* 6. quia factum legitime non retractatur : etiamsi devenerit ad casum , a quo incipere non potuit; *can. praecepta* 12. *dist.* 55. *et l. nec enim* 2. *ff. de itin. actûque privat.*

Ad quod tamen duo sunt necessaria : *Unum est* , ut praesentans fuerit in possessione bonae fidei ; nam si sciens se nullum jus habere , aliquem praesentavit , qui ab episcopo institutus est , institutio invalida est et sic institutus removeri debet ; *c. consultationibus cit. et ibi* Abb. *n.* 6. Rota *in pisciensi beneficii* 21. *april.* 1651. *et in terdonensi juris patronatus* 9. *julii* 1653.

Alterum est , ut constet ecclesiam esse patronatam , et lis solum sit , ad quem jus praesentandi pertineat ; nam extra hunc casum praesentatio hodie admitti non debet , nec praesentatus institui , quantumcunque praesentans sit in quasi possessione praesentandi , nisi prius legitime doceat de titulo , et proprietate juris patronatus ex fundatione , dotatione etc. vel etiam ex multiplicatis praesentationibus supra hominum memoriam ad praescriptum Trid. *sess.* 25. *c.* 9. *de reform.* Rota *in pisana capellaniae* 20. *maji* 1594. *et pampilonensi vicariae de Ataun.* 12. *maji* 1595. apud Garc. *par.* 5. *de benef. c.* 5. *n.* 141. *et* 142. Fagn. *in c. consultationibus cit. n.* 8. *et seqq.*

6

Dub. 4. an necessaria sit institutio praesentato , vel nominato ad beneficium, ut is occupare illud , vel administrare possit ? Resp. affirmative. *Ratio est* , quia per praesentationem patroni solum consequitur jus ad rem , ita , ut , si idoneus sit , repelli a superiore nequeat , titulum vero , et jus in re , seu proprietatem beneficii primum acquirit per institutionem : atqui occupare beneficium , et administrare illud non potest , si titulum , et proprietatem ejusdem non habuerit : ergo etc. Hoc certum.

Controversia est , an siquis absque institutione praesumat beneficium occupare , vel administrare , jus praesentatione acquisitum ipso jure amittat ? Putant amittere Franc. *in c. avaritiae* 5. *de elect. in* 6. *n.* 2. Roch. de Curte *de jur. patron. V. honorificum q.* 39. *n.* 7. Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 10. *n.* 216. Engl. *hic n.* 2. Konig *n.* 18. et colligunt hoc a paritate cum electo , qui si ante confirmationem administrationi se ingerat , ipso jure amittit jus , quod per electionem est consecutus ; *c. avaritiae cit.*

Verum non est paritas inter electum ad praelaturam , et praesentatum ad beneficium ; nam electi administratio temeraria plus damni afferre potest ecclesiis , quam praesentato : deinde esto sit paritas , constitutio tamen *c. cit.* cum poenalis sit , ab electo ad praesentatum ob paritatem rationis extendi non debet. Quare verius

dicitur, praesentatum quidem sine institutione canonica beneficium acceptare non posse, si tamen acceptet, per hoc jus praesentatione sibi quaesitum non amittere. Ita Less. *l.* 2. *de J. et J. c.* 34. *n.* 15. Vvies. *hic n.* 5.

7

Quaeritur 2. ad quem spectet jus instituendi clericos in beneficiis ecclesiasticis? Resp. Post papam jure communi competit episcopo, in cujus dioecesi aliqua ecclesia, vel beneficium situm est; Abb. *in c. ex frequentibus* 3. *h. tit. n.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *q.* 2. Gonzal. *ad reg.* 8. *proem.* §. 1. *n.* 21. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 12. *n.* 208. *et alleg.* 72. *n.* 176. Leur. *p.* 2. *for. benef. q.* 166. *n.* 1. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 26. *c.* 1. *n.* 4. Jacob Emerix *decis.* 163. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 2. Scamb. *n.* 6. Engl. *n.* 3. Konig *n.* 4. Vviest. *n.* 6. et patet ex *c. ex frequentibus cit. et cum ex injuncto* 12. *fin. de haeretic.*

Estque hoc ita verum, ut super hoc jure instituendi episcopus habeat intentionem fundatam in jure communi, ita, ut is, qui contra episcopum asserit sibi jus instituendi competere, cogatur hoc jus suum probare; quod nisi fecerit, institutio ab eo facta, praesertim si laicus ille sit, erit invalida ipso jure; *c. illud* 8. *et c. relatum* 21. *de jur. patron.* Non est autem necesse, ut episcopus institutor sit consecratus; quia institutio non est actus ordinis, sed jurisdictionis, quam episcopus electus confirmatione consequitur; Azor *q.* 2. *cit.* Bellam. *cons.* 20. *n.* 13. Gamb. *de offic. legat. l.* 3. *n.* 222. Lotter. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 9. la Croix *l.* 4. *theol. mor. n.* 360.

8

Dub. 1. an potestas instituendi transeat etiam ad capitulum, sede episcopali vacante? Videtur non transire; quia etiam non transit potestas conferendi.

Sed dicendum transire; Abb. *in c. ex frequentibus cit. n.* 9. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *q.* 3. Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 7. *n.* 54. *et* 55. Alagon. *in c.* 1. *hoc tit. in* 6. *princ.* Barbos. *ibid. n.* 1. Passerin. *n.* 1. *et* 5. Gonz. *in c.* 3. *dict. tit. n.* 2. Vall. *hic* §. 2. *num.* 1. Zoes. *ibid. n.* 2. Pirh. *n.* 5. Schamb. *n.* 2. Konig *n.* 5. Vvies. *num.* 7. la Croix *n.* 360. et statuitur *c. etsi* 1. *h. tit. in* 6. *Ratio est*, quia institutio haec est necessitatis, et justitiae; nam legitime praesentato debetur: in his autem, quae necessitatis, et justitiae sunt, episcopo succedit capitulum; *c. his quae* 11. *et cap. cum olim* 14. *de majorit. et obed.*

Ad rationem dubitandi negatur paritas inter collationem liberam, et institutionem; ex institutione enim nullum futuro episcopo praejudicium nascitur, cum teneatur praesentatum instituere,

quando dignus est. At collatio libera a capitulo non exercetur sine praejudicio futuri episcopi, utpote qui hoc modo non potest amplius ejusmodi beneficium ad liberam ejus collationem spectans pro arbitrio suo conferre.

9

Dub. 2. an potestas instituendi competat etiam vicario generali episcopi, vel capituli sede vacante? *Certum* est potestatem hanc ipsi posse committi ab episcopo.

Controversia solum est, utrum indigeat ad hoc mandato speciali episcopi? Affirmat Rebuff. *prax. tit. forma vicariatus n.* 126. *et seqq.* 1. quia non invenitur hoc jure cautum, quod vicarius instituere sine mandato speciali possit: ergo ipsi non est concedendum: 2. quia non potest quempiam destituere sine mandato speciali: ergo nec instituere, cum tam institutio, quam destitutio sacerdotum ad officium episcopi pertineat; *cap. cum ex injuncto* 12. *fin. de haeret.* 3. quia conferre beneficia absque episcopi commissione nequit; *c. fin. de offic. vicar. in* 6. atqui verbum *conferre* etiam institutionem comprehendit per *rubr. ut eccl. benef. sine dimin. confer.* ergo etc.

Sed dicendum vicarium generalem instituere in beneficiis etiam sine speciali mandato posse. Ita Abb. *in c.* 3. *h. tit. n.* 7. Barbos. *ibid. n.* 3. Gonz. *n.* 2. Passerin. *in c.* 1. *n.* 5. *fin. eod. in* 6. Vali. *hic* §. 2. *n.* 7. Pirh. *n.* 4. Scamb. *n.* 2. Konig *n.* 6. Vviest. *n.* 8. Colligitur *ex c. ex frequentibus cit.* ibi, *vel officialium suorum, qui hoc de jure possunt.* Et confirmatur ex *c. fin. de offic. vicar. in* 6. ubi eidem denegatur libera collatio beneficii ex ratione, quia donare non potest: igitur per argumentum a sensu contrario praesentati institutio ipsi permittitur, quia cum necessaria sit, rationem donationis non habet.

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. non est necessarium, ut in jure hoc exprimatur, sed sufficit, quod institutio non sit excepta, et vicario prohibita; cum enim potestas vicarii se extendat ad omnia quae non sunt ipsi specialiter prohibita, se hoc ipso etiam extendet ad institutionem. *Ad* 2. Negatur *conf.* constat enim, quod multis praelatis inferioribus competat institutio, quin tamen iisdem competat destitutio. *Ad* 3. disparitas patet ex *conf.*

10

Dub. 3. an potestas instituendi pertinere etiam possit ad praelatos alios episcopo inferiores? *Certum est*, hoc jus praelatis inferioribus non competere jure ordinario, quia hoc jure, *n.* 7. dixi, episcopo competit institutio quoad omnia beneficia suae dioecesis.

Certum est 2. si praelatus inferior habeat ecclesiam aliquam plenissimo jure sibi subjectam, in eadem ipsum hoc ipso jus instituendi, et destituendi habere: est enim vere ordinarius illius ecclesiae, et ut *n.* 7. *cit.* dictum est, institutio non ordinis, sed jurisdictionis est actus.

Certum est 3. posse praelatis inferioribus jus instituendi ex privilegio, consuetudine, vel potius praescriptione, aut ex antiqua fundatione competere etiam in ecclesiis, quae subditae sunt episcopo; *c. cum venissent* 6. *hoc tit.*

An vero defacto post Trid. in fundatione potestas instituendi alteri episcopo inferiori reservari possit, major est controversia, non conveniunt in hoc DD. nam aliqui cum Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *q.* 3. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 12. *n.* 208. Clericat. *de benef. discord.* 18. *n.* 9. Pirh. *hic n.* 6. Vviest. *n.* 9. defendunt negativam ex claris concilii laudati verbis *sess.* 14. *c.* 12. *de reform.* ibi, *in casu autem fundationis, aut dotationis hujusmodi institutio episcopo, et non alteri inferiori reservetur.*

Contra alii cum card. de Luca *ad Trid. dis.* 11. *n.* 27. Jacob. Emerix *dec.* 553. *n.* 2. la Croix *l.* 4. *n.* 361. putant etiamnum non obstante trid. decreto, institutionem collativam tituli reservari collatori inferiori posse; quia Trid. *l. cit.* vel loquitur tantum de institutione authorizabili, ut vult Emerix *n.* 6. vel si de collativa tituli, intelligendum est, *nisi episcopus consenserit, et fundationem sic factam approbet*, ut explicant card. de Luca, et P. la Croix *l. cit.* qui dat rationem; quia talis fundatio non praejudicat episcopo, cum libere cedat, et possit cedere; tum etiam quia hoc favet fundatoribus qui sic magis alliciuntur, si eorum libertati subsint ejusmodi conditiones etiam contra jus commune.

11

Dub. 4. an praesentatos instituere valeant abbatissae, et similes monialium praepositae? *Ratio dubitandi est*; quia institutio est actus jurisdictionis spiritualis, cujus foemina non est capax, cum pertineat ad potestatem clavium.

Sed dicendum, privilegio apostolico, et praelatorum ecclesiasticorum commissione jus instituendi ejusmodi abbatissis posse competere: et hoc jus defacto alicubi habent, ut in ecclesiis, sibi pleno jure subjectis, possint clericos praesentatos instituere. Ita Sylv. *V. abbatissa p.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 13. *c.* 10. *q.* 6. Laym. *l.* 1. *theol. mor. tr.* 5. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 4. Leur. *p.* 2. *de for. ben. q.* 173. la Croix *l.* 4. *theol. mor. n.* 362. Vvies. *hic n.* 11. et noviss. illustris. Petra *tom.* 3. *comm. fol.* 346. *n.* 23. *et seq.* *Ratio est*, quia privilegio, a dele-

latorum ecclesiasticorum commissione foeminis exercitium nonnullorum actuum spiritualis jurisdictionis communicari potest ; *c. dilecta* 12. *de major. et obed.* praesertim voluntariae, qualis est institutio clerici ad beneficia praesentati.

Ad rationem dubitandi distinguendum est inter actus fori poenitentialis interni, et inter actus jurisdictionis externae : jurisdictio fori poenitentialis interni cadere nullo privilegio potest in foeminam; quia supponit sacram ordinationem, cujus ipsa est jure divino incapax: at actuum jurisdictionis fori externi aliquorum ex privilegio apostolico foemina capax est, eorum sc. qui non supponunt potestatem clavium in exercente; et talis est institutio collativa tituli.

12

Dub. 5. an jus instituendi clericos ad beneficia possit competere etiam laicis? Resp. Jure communi non competit ob spiritualitatem istius juris; competere autem potest jure speciali per privilegium apostolicum; nam hoc competere laico etiam potest potestas conferendi beneficia, quae tamen major est.

Difficultas aliqua moveri potest, an jus istud competere eidem possit per consuetudinem, vel praescriptionem , saltem immemorialem? Pro affirmativa adduci potest tritissima juris *maxima*, quod via praescriptionis immemorialis obtineri possit, quod obtineri potest via privilegii utpote cui illa aequivalet.

Sed quia jam saepe dictum est, quod regula haec solum procedat in casu, quo subjectum, secluso privilegio, est possessionis capax, hinc dicendum, jus instituendi a laico etiam via consuetudinis aut praescriptionis immemorialis acquiri non posse. *Ratio est*, quia jus hoc non minus spirituale est, quam jus conferendi, cons. illius non minus, quam istius laicus, secluso privilegio, incapax est : ubi autem subjectum est incapax possidendi, etiam incapax est praescribendi; ergo etc. Videatur Corrad. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 28. Laym. *in c. nullus de elect. n.* 15. *et* 17. Leur. *p.* 2. *q.* 174. la Croix *l.* 4. *theol. mor. n.* 362. Petra *to.* 1. *comm. fol.* 423. *n.* 79. *etc.*

Neque obstat, quod casu, quo laici jus instituendi in aliquo beneficio tempore immemoriali exercuerunt, in illa quasi possessione relinquendi sint; hoc enim non inde oritur, quasi diuturnitate temporis jus aliquod acquisiverint, sed quia ex tanti temporis cursu oritur praesumptio privilegii aliquando obtenti: quae tamen ipsa, cum praesumptio duntaxat sit, detecto post quodcunque tempus possessionis vitio, cedere veritati debet, et jus instituendi adscribi illi, cui de jure competit.

13

Dub. 6. an qui jus instituendi habet, instituere se ipsum possit, si a patrono praesentetur? Videtur posse. 1. Quia institutio non est actus jurisdictionis contentiosae, sed voluntariae, quam exercere quis potest etiam erga seipsum, ut patet in potestate dispensandi ; nam qui eam habet, in iisdem casibus, in quibus ille dispensare potest cum aliis, etiam potest dispensare secum. 2. Esto , clericus , instituendi jus habens in aliquo beneficio, institui non possit a seipso, institui tamen poterit ab alio, cui is potestatem instituendi delegavit; nam etiam pontifex absolvi se facit a confessario suo, cui ipse jurisdictionem in se quoad forum poenitentiale commisit.

Sed retinenda est sententia negativa, quam magno consensu defendunt DD. et in his Alagon. *in c. fin. h. t.* Abb. *ibid. n.* 4. *et* 5. Vivian. *in ration.* Barb. *n.* 1. *et* 2. Gonz. *n.* 2. Honor *hic n.* 16. Pirh. *n.* 16. *et duob. seq.* Schamb. *n.* 5. Konig. *n.* 13. Vviest. *n.* 15. la Croix *l.* 4. *n.* 360. et habetur *c. fin. cit.* ubi etiam datur ratio; *quia inter dantem, et accipientem debet esse distinctio personalis. Conf.* nam, quantumvis quis idoneus sit, et quibuscunque studiis, ac meritis adjuvetur, eligere tamen, et praesentare nemo seipsum potest; *c. per nostras* 26. *de jur. patron.* ergo nec instituere.

*Procedit*que *hoc*, ut etiam non possit aliquis institui per aliquem a se delegatum: cum enim quod quis facit per alium censeatur per seipsum fecisse, *juxta reg.* 78. *in* 6. in effectu institutus a delegato censetur institutus a seipso. *Excipitur* , si praesentatus potestatem instituendi totam, quam ipse habet, in alium transferre malit; tunc enim ab eo institui posset , quia non amplius praesentati , sed proprio nomine illud faceret; Barb. *in cap. fin. cit. n.* 2. *et* 3.

Neque obstant argumenta opposita. *Ad* 1. requirendi distinctionem personarum in beneficiorum, et dignitatum provisionibus specialis est ratio; tum ut arceatur omnis ambitionis suspicio , cum ut *c. per nostras cit. dicitur* , *nullus se ingerere debeat ecclesiasticae praelationis officiis*; tum vero quia, ubi de proprio commodo , praesertim ex rebus ecclesiasticis percipiendo, agitur , ad evitandas fraudes authorem quem sibi fieri jura non patiuntur; *l. quanquam* 1. *et l. pupillus,* 5. §. *item ipse* 2. *ff. de author. et consensu tutor* . *Ad* 2. negatur paritas; quamvis enim confessarius jurisdictionem in pontificem accipiat ab ipso pontifice, non tamen potestatem ordinis, quam accepit a Deo ministro episcopo ordinante. Accedit, quia dum absolvit pontificem, non ipsius pontificis, sed Christi nomine eundem absolvit, ut adeo jam habeatur requisita distinctio personarum.

14

Dub. 7. ad quem episcopum pertineat institutio clerici in ecclesia, quae in duarum dioecesium confinibus sita est? Controversiae huic locus est in duplici casu: potest enim contingere, ut pars aliqua ecclesiae sit constructa in territorio unius dioecesis, pars altera in territorio alterius dioecesis; et potest contingere, ut fundus ipse, in quo constructa est ecclesia, sit controversus, et dubium, utrum ad hanc, vel ad illam dioecesim spectet.

Si primum, aliqui jus instituendi adstruunt illi episcopo, in cujus territorio est ecclesia caput, seu pars principalis; *arg. l. cum in diversis* 44. *ff. de religios. et sumpt. funer.* alii jus istud adscribunt illi, in cujus dioecesi est porta principalis; *arg. l. praediis* 91. §. *qui domum* 6. *ff. de legat.* 3.

Si secundum, quidam putant, eo casu jus instituendi esse commune utrique episcopo; *arg.* §. *insula* 22. *inst. de rer. divis.* alii relinquunt in patronorum arbitrio, cui ex episcopis, vel an episcopo utriusque superiori, vel papae clericos in ea instituendos praesentare velint.

Ego cum colendissimo P. professore, et antecessore meo P. Jacobo Vviest. *p. m.* judico hic considerandum, quis ex duobus episcopis sit in possessione juris instituendi, et hunc praeferendum; quia *juxta reg.* 65. *in* 6. in pari causa possessoris conditio melior est: si neuter in possessione sit, tum primum sententiis allatis locus erit.

15

Quaeritur 3. de qualitate, et numero instituendorum. Et 1. quidem *dubitatur*, quinam, et quales instituendi sint in beneficiis? Resp. 1. instituendi debent esse clerici: nam laici non possunt institui in canonicatibus, et aliis beneficiis; *c. in ecclesia* 2. *h. t. Excipiuntur* nonnulli laici principes, quibus conferuntur praebendae quaedam honorariae; sic enim, ut Gonz. *in c. in ecclesia cit. n.* 2. advertit, hujusmodi praebendam in ecclesia legionensi habet rex Hispaniæ, rex Galliæ, in pictaviensi, et cennomanensi, rex Rom. in aquisgranensi, imperator, ubi coronatus Romæ fuerit, ad s. Petrum in Vaticano. Neque sufficit esse religiosum, sed necesse est, ut habeat saltem primam tonsuram, sicque fiat capax beneficii, ut recte notat Pirh. *hic n.* 10. *Ratio est*, quia beneficiatus talis esse debet, qui possit servire ecclesiæ in divinis officiis; in his autem servire non possunt laici.

16

2. Non sunt in ecclesiis, et beneficiis instituendi clerici unius originis, seu nationis tantum, *sed litterati, et alias idonei, undecumque originem duxerint,* uti dicitur *c. ad decorem* 5. *h. t.* ubi rationem dat

Pontifex ; *quia in omni gente, qui facit justitiam, acceptus est DEO, nec sanctuarium DEI convenit jure haereditario possideri. Excipitur* , si aliquod beneficium primitus fundatum sit pro personis ex certa gente , civitate , vel familia oriundis ; tunc enim conditio adjecta impleri debet , modo , qui praesentantur, idonei sint; Schamb. *n.* 3. Ex pluribus conjunctis , pro quorum familia beneficium fundatum est , ceteris paribus , illud debetur descendenti per lineam rectam a fundatore, magisque propinquo; Jacob. Emerix *decis* 82. *n.* 5.

17

3. Si patronus ad ecclesiam parochialem praesentet aliquem , qui ss. ordines nondum habet , sed adhuc in minoribus constitutus est , is non debet repelli , sed admittendus, et instituendus est, modo alioquin idoneus sit , et intra annum ad sacerdotium promoveri possit ; *c. si is* 2. *h. tit. in* 6. *et ibi* Alagon. Vivian. *in ration.* Barbos. *n.* 1. Passerin. *n.* 1. Vvagn. *in exeges.* Pirh. *hic n.* 12. Konig. *n.* 7. *Ratio est* , quia generaliter loquendo non est necessarium, ut instituendus actu habeat illum ordinem , quem requirit beneficium, sed sufficit, si intra annum illum suscipiat juxta *clem.* 2. *de aetat et qualit.*

18

Dub. 2. quot in collegiis clericorum instituendi sint canonici , et ecclesiae ministri , aut in monasteriis monachi , vel moniales ? Resp. Tot sunt instituendi , quot ex reditibus ecclesiae collegiatae , vel monasterii commode , et absque penuria ali possunt, nec plures sunt recipiendi. Ita statuitur *c. non amplius* 1. *et c. authoritate* 4. *h. tit. c. quoniam* 9. *de vit. et honest. cap. fin.* junct. gloss. *V. juxta facultates de V. S.* et notant Alagon. *in c. non amplius cit. prin.* Vivian. *in ration. ibid.* Fagnan. *n.* 1. et 2. Gonzal. *n.* 3. Barbos. *n.* 1. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 16. *n.* 1. Schambog. *hic n.* 4.

19

Dixi , *tot esse instituendos , quot ali possunt* : quod ita verum est , ut ad hoc praelati, vel conventus a superioribus suis, v. g. episcopis, compelli possunt , ut recte advertit Abb. *in c. amplius cit. n.* 2. Fagnan. *n.* 5. Pirh. *n.* 15. *hic.* Procedit autem hoc maxime de ecclesiis non numeratis ; nam in numeratis , seu quae certum canonicorum , vel regularium numerum habent , distinguendum est : Vel enim augmentum redituum est modicum tantum , vel admodum notabile , et tale , quod pluribus competenter sustentandis sufficiat. *Si primum* , numerus propterea augeri non debet , sed reditus excrescentes vel mensae capitulari, vel propriis beneficiatis accrescunt pro qualitate bonorum , quorum sunt reditus; Abb. *l. cit. n.* 5. Vivian. *ibid. vers. ubi est determinatus* , Fagn. *n.* 33. *et seq.* Pirh. *n.* 15. *not.* 2. *Si secundum* , et augmentum hoc existimetur futurum stabi-

le, etiam numerus praebendarum, et canonicorum augeri debet, tametsi a papa sit definitus, et confirmatus; quia in confirmatione hac intelligitur tacite inclusa clausula: *nisi reditus excrescant*, prout habetur *c. cum M.* 9. *de constit. vers. mandamus*, Vivian. *l. cit.* Fagn. *n.* 36. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 16. *n.* 3.

20

Addidi, *non plures esse recipiendos, quam ali possint.* Patet ex *c. non amplius cit.* quod confirmatum fuit a trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de regular.* a s. Pio V. *concipit.* incipit *circa pastoralis* §. 7. a Clem. VIII. *decret. sup. reform. regular.* §. 7. Ratio statuti est, ne clerici, vel religiosi saecularibus curis implicentur gratia necessarii victus comparandi, vel egestas ad indecentia exercenda eos cogat, vel aes alienum contrahatur, cui postea solvendo non sint cum injuria creditorum. Sanchez tamen *l.* 7. *mor. c.* 23. *n.* 6. putat hoc decretum trident. quoad monasteria virorum non ita stricte observari. In monasteriis monialium eidem satisfit per hoc, quod absque dote non soleant recipi; sic enim illarum receptione monasterium non gravatur, sed plerumque sublevatur, ut recte advertit idem Sanch. *n.* 5.

21

Dub. 3. an si reditus ecclesiae notabiliter decrescant, ut non sufficiant tanto numero canonicorum, vel monachorum alendo, numerus illorum imminui possit etiam in ecclesia numerata? Resp. si decrementum hoc existimetur futurum stabile, posse diminui. Ita Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 30. *q.* 11. *et* 13. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 16. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 15. *not.* 3. *neque obstat*, etsi numerus certus a papa confirmatus, vel juramento statutus esset; quia tam confirmatio papae, quam juramentum de retinendo certo numero praebendarum intelligi debet, *si res in eodem statu permaneant*; non autem, ut etiam in eum casum se extendat, si res notabiliter mutata fuerit, ita, ut secundum aequitatis rationem, et ss. canonum praescriptum mutatio facienda sit; nam in ecclesiae dedecus cederet, si canonici, aliique clerici se ex reditibus non possent honeste alere.

22

Estque hoc ita verum, ut ultra facultates praelati, et conventus, vel capitula cogi non possint, ut aliquem recipiant *juxta c. authoritate* 4. *h. tit.* Et hinc si superior, v. g. episcopus, vel papa alicui praelato, vel rectori ecclesiae, ejusque capitulo praesentet clericum mandando, ut eum instituat, potest is, imo quivis canonicus privatus contra hoc mandatum excipere, quod ecclesiae facultates non sufficiant ad plures alendos; quia justa causa utilitatis

ecclesiae suae nititur; gloss. *in c. ex parte* 10. *V. opponere de concess. praebend.* Abb. *ibid. n.* 4. Pirh. *hic n.* 13.

23

Debent autem facultates, seu reditus ecclesiae, vel monasterii aestimari, habito respectu non tantum ad sustentandos clericos, vel religiosos, sed etiam ad alia ecclesiae onera, et expensas in fabricam, et eleemosynas faciendas, ad hospitalitatem erga peregrinos exercendam, et ad solvendum jura episcopalia etc. *arg. c. de monachis* 12. *de praebend.* gloss. *in c. non amplius cit. V. absque penuria*, Abb. *ibid. n.* 2. Vivian. *ration. in princ.* Laym. *l. cit. n.* 1. Pirh. *hic n.* 15. *not.* 1. Computus tamen hic non ita scrupulose est faciendus; nam consilium est, ut de reditibus potius aliquid supersit, quam deficiat pro expensis faciendis, ne ex aliquo casu adverso, qui facile accidere potest, monasterium, vel ecclesia egeat; *arg. l. jus alimentorum* 3. §. *modum* 1. *ff. ubi pupill. educar. Excipitur*, nisi pauperes egeant; nam tunc est eis liberaliter subveniendum; quia, ut s. Ambrosius relatus *can. aurum* 7. *caus.* 12. *q.* 2. eleganter ait, *aurum ecclesia habet, non ut servet, sed ut erogel, et subveniat in necessitatibus.*

24

Quaeritur 4. quo tempore institutio fieri debeat? Resp. Institutio clerici, cuicunque competat, fieri nequit ante praesentationem illius sibi factam; *arg. c. illud* 8. *de jur. patron.* Facta praesentatione, certum tempus jure constitutum non est, intra quod facienda sit institutio, sicut est praefixum collationi liberae, electioni, et praesentationi, ut ex communi notant Abb. *in c.* 2. *de concess. praeb. n.* 12. Rebuff. *prax. tit. de devolut. n.* 6. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *q.* 13. Garc. *p.* 10. *de benef. c.* 4. *n.* 1. Corrad. *l.* 4. *cap.* 7. *n.* 1. Barbos. *alleg.* 72. *n.* 191. Leuren. *p.* 2. *q.* 189. *n.* 1. et teste Konig *hic n.* 16. est decisum a rota *decis.* 4. *vers. praeterea de jur. patron. in noviss.* Et merito, ne diu nimis vacent beneficia, cum magno damno ecclesiarum, et periculo animarum.

25

Quodsi is, ad quem pertinet, institutionem praesentati nimium differat, praefigendum illi a superiore est tempus certum, v. g. duorum mensium, intra quod illam facere compellatur. At si ultra adhuc pro ea obtinenda adiri potest episcopus, et si hic negligens sit, metropolitanus, vel papa, aut ejus legatus, seu nuntius, ut is aut compellat institutorem ad institutionem faciendam, aut ipse instituendo inferioris defectum suppleat; Garc. *l. cit. n.* 5. Barbos. *n.* 192. *et* 193. Van-Espen *p.* 2. *tit.* 26. *c.* 1. *n.* 18. Pirh. *hic n.* 19. Schamb. *n.* 7. Vviest. *n.* 17. la Croix *n.* 367.

26

Dub. 1. an praesentati institutio fieri possit intra quatuor, vel sex menses a jure indultos ad praesentandum? Negativam defendunt Pal. *tr.* 13. *D.* 3. *p.* 4. *n.* 10. Barbos. *alleg.* 72. *n.* 1. 78. Leur. *p.* 2. *q.* 189. *n.* 2. ex ratione, ne per hujusmodi festinatam institutionem praejudicium creetur patrono: laico enim praejudicium fieret; quia adimeretur ipsi facultas variandi, quam jura eidem concedunt: ecclesiastico autem; quia posset contingere, ut praesentatio attentetur ab aliquo, qui jus praesentandi revera non habet, et ad finem sex mensium primum compareat verus patronus ecclesiasticus, cujus jus cons. laederetur, si ad praesentationem factam a primo ante finem sex mensium sequeretur institutio.

27

Sed contraria est praxis plurium Germaniae dioecesium, quarum ordinarii, ut incommoda illa, quibus obnoxia est diuturna ecclesiarum vacatio, excludant, praesentatos, si idonei reperti sint, non raro instituunt, non exspectato lapsu quatuor, aut sex mensium patronis concessorum. Neque damnari praxis haec potest, saltem casu, quo de jure praesentantis liquet, et de variandi animo nihil constat.

Ex quo labitur argumentum contrarium; quia hoc modo nullum fit patrono praejudicium. Et si fieret, praevalere deberet utilitas ecclesiae, quam non expedit diu destitutam esse rectore.

28

Dub. 2. quo die, et loco facienda sit institutio? Resp. Fieri potest die quocunque, etiam feriato, et extra dioecesim, vel territorium instituentis. Ita Franc. *in c. fin. de elect. in* 6. *n.* 9. Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 62. *n.* 8. Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 8. *a num.* 138. Corrad. *prax. benef. l.* 4. *c.* 2. *num.* 84. Barbos. *alleg.* 72. *n.* 195. Leurep. *p.* 2. *q.* 183. *et* 190. la Croix *l.* 4. *numer.* 366. Vviestner. *hic n.* 19. *Ratio est*, quia est actus extrajudicialis, cujus exercitio, quia peragitur sine strepitu, et figura judicii, sanctitas diei, aut aliena jurisdictio non violatur.

29

Excipitur, si inter patronos, vel plures praesentatos lis aliqua orta sit, ita, ut oporteat praevia plena causae cognitione, ac sententia super jus praesentandi, aut praesentationis valorem lata, ad institutionem procedere; tunc enim liquidi juris foret, eam nec die feriato, nec extra territorium instituentis fieri posse; *cap. fin. de feriis*, *l. omnes* 3. *C. eod. l. fin. ff. de jurisdict.* nisi placeat cognitionem causae, et sententiam ab institutione, dividere, ita, ut illa feratur intra territorium instituentis; nam hoc facto, institutio fieri

extra territorium potest, quippe quae eo casu jam est actus extrajudicialis, et voluntariae jurisdictionis; Lambertin. *de jur. patron. l.* 2. *p.* 2. *q.* 2. *art.* 6. *n.* 2. *et* 3. Laym. *l.* 3. *de matr. D.* 8. *n.* 6. Garc. *c.* 8. *cit. n.* 142. Leur. *q.* 183.

30

Dub. 3. an casu, quo praesentatio, et institutio simul eidem competit, is eodem actu praesentare, et instituere simul possit? Resp. hic videndum, quo titulo praesentatio, et institutio ipsi competant: nam si ex diversis titulis competant, alio actu facienda est institutio, et alio huic praevia praesentatio: imo hanc per procuratorem fieri consultum est *arg. c. a collatione* 11. *de appell. in* 6. Corrad. *l.* 4. *prax. benef. c.* 7. *n.* 20. Barb. *alleg.* 72. *n.* 196. Leur. *p.* 2. *q.* 184. *n.* 1. la Croix *l.* 4. *theol. mor. n.* 363. Yviest. *hic n.* 26. Casus, in quibus doctrina haec locum habet, plures a DD. referuntur. 1. Quando episcopus simul est abbas alterius ecclesiae, et tanquam abbas haberet jus praesentandi, tanquam episcopus jus instituendi. 2. Quando ratione praelaturae suae haberet instituere in beneficio, in quo ratione patrimonii sui habet jus patronatus; est enim hoc jus patronatus laicale, et sic separatum ab ecclesia, et dicta praelatura. 3. Quando habens jus patronatus, et jus instituendi alios compatronos numerat, quibus pariter jus praesentandi competit; tunc enim ut compatronus praesentabit cum aliis, et dein instituet. 4. Quando a duobus, vel pluribus compatronis in eum, qui jus instituendi habet, compromittitur. 5. Quando episcopo, tanquam personae privatae esset facta donatio juris patronatus. 6. Quando juspatronatus translatum est in aliquem habentem instituere cum reservatione, ut praesentet cum consilio, aut consensu alterius

31

Contra eodem actu expediri poterit praesentatio simul, et institutio, quando utraque eidem competit ratione ejusdem ecclesiae, vel dignitatis; quod fieri potest in triplici casu. 1. Si praelato habenti instituere non tanquam personae privatae, sed tanquam rectori, seu ratione ecclesiae, transcriptum a laico est jus patronatus integrum; quia tunc jus praesentandi, et instituendi quodammodo consolidantur, et beneficium evadit liberum, seu collativum. 2. Si jure devoluto provisio beneficii patronati ob negligentiam patroni, non praesentantis tempore a jure praescripto, ad habentem instituere spectet. *Excipitur*, nisi praesentatio tali casu fieri debuisset sub certa forma; haec enim forma etiam observanda venit per illum, ad quem devolveretur provisio, ne illis praejudicetur, qui in praesentatione debent intervenire: cons. tali casu necessarium erit, ut pro-

visio fiat duobus actibus. 3. Si quis eodem jure habeat utramque potestatem instituendi, et praesentandi; nam tunc idem actus vim praesentationis, et institutionis habet. Videatur Lambertin. *l.* 2. *p.* 3. *q.* 2. *art.* 19. Vivian. *de jur. patron. p.* 2. *l.* 12. *c.* 10. Barb. *alleg. cit. n.* 196. Leur. *q.* 184. *cit.* Vviest. *n.* 26. *et* 27.

32

Quaeritur 5. quomodo facienda sit institutio? Resp. Ad modum institutionis tria pertinent. 1. ut institutionem praecedat patroni praesentatio; alioquin institutio erit ipso jure nulla, modo patronus, cum hoc sciret, institerit, et intra tempus ad praesentationem concessum egerit de contemptu, ut dictum est *supra n.* 4. *Excipitur*, nisi ex post facto consensus patroni accesserit; posse enim consensum tam in ipso actu, quam post actum apponi, tenet Innoc. *in c. cum consuetudinis* 9. *de consuet. per c. cum nos* 3. *et ibi* interp. *de his, quae a praelat.*

2. Ut interveniat authoritas ordinariis, sive ejus, qui jus instituendi habet; *cap. ex frequentibus* 3. *h. tit.* trid. *sess.* 14. *c.* 13. *et sess.* 25. *c.* 9. *de reform.* qua authoritate neglecta, si patronus laicus clericum in ecclesia patronata instituere praesumat, excommunicabitur; *c. praeterea* 4. *de jur. patron.* et clericus perperam institutus communione privabitur, atque si in delicto perstiterit, a ministerio ecclesiastico, et ordine deponetur; *c. praeterea cit. et c. relatum* 21. *eod.*

33

3. Ut ante institutionem per edictum, ad ecclesiae valvas, aut alio consueto loco publice affixum citentur generaliter omnes, quorum interest, ut intra competentem et edicto expressum terminum peremptorium compareant, et quae faciendae institutioni opponenda censuerint, deducant; *arg. c. fin. de elect. in* 6. quod etsi loquatur solum de confirmatione electionis, tamen ad praesentati etiam institutionem porrigitur; gloss. *ibid. V. electione*, Franc. *n.* 5. Rochus *de jur. patron. V. honorificum q.* 2. *n.* 5. *et q.* 38. *n.* 69. Lamber. *l.* 2. *p.* 2. *q.* 6. *art.* 2. 4. 12. *et* 16. quos citat, et sequitur p. Vviest. *hic n.* 21. et probat paritas rationis, ne sc. supplantentur, et excludantur ii, qui pro suo interesse aliquid objicere valent.

34

Dub. 1. an necessario edictum hoc praemittendum sit? Resp. Regulariter necessario est praemittendum institutioni, ita quidem, ut institutiones, eo non praemisso, vel ante terminum illo praescriptum factae, sint irritae, ut cum *cit.* tradit Corrad. *l.* 4. *prax. cap.* 3. *n.* 28. Lotter *l.* 2. *q.* 13. *n.* 20. *et* 23. Leur. *p.* 2. *q.* 192. *n.* 1. Konig *hic n.* 15. *vers. alterum*, la Croix *l.* 4. *n.* 367. ob de-

cretum irritans; *c. fin. cit.* adjectum. *Procedilque* hoc, etsi constet, praesentantes fuisse patronos, et in quasi possessione juris patronatus, praesentatum idoneum, nullumque adesse competitorem, aut compraesentatum, quia interim potuisset aliquis reperisse aliqua jura, ut contradicere possit, et si citaretur, illa produceret; Leuren. *q.* 192. *cit. n.* 2. et obligat lex ista de ponendo edicto omnes ordinarios papa inferiores, qualescunque illi sint, in tantum, ut etiam institutio per legatum papae sine illo facta sit nulla; quia et ipse in provincia sibi demandata ordinarius reputatur; Lotter. *q.* 13. *cit. n.* 42. *et* 43. et hoc teste rota *in valentina beneficii* 1c *mart.* 1617. Dixi autem *regulariter;* nam responsio haec plures exceptiones patitur. Et hinc

35

Dub. 2. quando hujusmodi edictum non sit necessarium? Resp. 1. necessarium non est in beneficiorum collatione libera; gloss. *fin. in c. fin. de elect. in* 6. Corrad. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 23. Vivian. *de jur. patron. t.* 9. *c.* 1. *n.* 8. Leuren. *q.* 192. *cit. n.* 5. Pirh. *de elect. n.* 322. *not.* 3. Vviest. *hic n.* 22. *Ratio*, cur in hac non requiratur edictum, requiratur in confirmatione electionis, et institutione, est quia per electionem, et praesentationem acquiritur solum jus ad rem, ita, ut inter illas, et confirmationem, vel institutionem detur tempus aliquod intermedium, intra quod edictum proponi possit. At in collatione libera nullum datur medium, sed statim ea facta, et acceptata, acquiritur jus in re, sive titulus in beneficio: unde si proponi deberet edictum, proponi deberet vel ante omne jus quaesitum, vel post illud jam plene quaesitum, quorum casuum neutro edictum exposcitur, ut colligitur ex *c. fin. cit.* et notant DD. *cit.*

36

2. In institutionibus apostolicis, dum nempe papa in suis casibus de beneficiis patronatis providet; Lambertin. *l.* 2. *p.* 2. *q.* 6. *art.* 3. *n.* 4. Lotter. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 41. Corrad. *c.* 3. *cit. n.* 21. Barb. *in c. fin. cit. n.* 4. Leur. *q.* 192. *cit. n.* 4. Vviest. *hic n.* 23. *Ratio est*, quia papa non ligatur constitutionibus juris positivi, cum sit supra jus, et authoritate sua omnes juris subtilitates suppleat. Idem dicendum de executoribus litterarum apostolicarum; nam nec isti adstringuntur ad proponendum edictum, etiamsi in litteris adjecta sit clausula, *verificato imprimis, et ante omnia jure patronatus*: quia satis est, ut coram eis jus patronatus simpliciter verificetur; DD. *cit.*

3. In dioecesibus, in quibus edicti usus vel nunquam est introductus, vel non usus, seu legitime praescripta contraria consuetudine abrogatus; sicut enim aliis juribus mere humanis, ita et

hinc juris dispositioni praevalere consuetudo potest; Garc. *p.* 9. *de benef. c.* 4. *n.* 10. Lambertin. *q.* 6. *cit. art.* 4. Barb. *n.* 10. Leur. *n.* 3. Vviest. *n.* 24.

37

Dub. 3. quis sit effectus hujus edicti? Resp. Facit, ut si lapso istius termino, verus, ac legitimus patronus appareat, et jus suum velit deducere, pro ea vice non amplius audiatur, saltem si edictum non ignoravit, et legitimo impedimento cessante, non comparuit intra praefixum terminum; Garc. *p.* 9. *c.* 4. *n.* 14. Lotter. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 50. Corrad. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 31. Leuren. *p.* 2. *q.* 192. *n.* 8. Vviest. *hic n.* 21.

38

Hunc tamen effectum ut edictum producat, requiritur 1. ut in eo datus sit terminus competens, habita sc. ratione distantiae loci, in quo morantur, de quorum praejudicio agitur; dilationes enim judicis arbitrio commissae sunt ex locorum distantia, et negotiorum qualitate; Leur. *num.* 6. 2. ut constet legitime non solum de affixione illius, sed etiam de refixione; et sic, quod fuerit lectum, atque ibi relictum per congruum tempus; nec statur simplici assertioni notarii sine testibus; Lotter *n.* 48. *et* 49. 3. Ut res non amplius sit integra, sed institutio, termino edicti elapso, facta; nam necdum facta institutione, etiam post terminum edicti comparens verus patronus praesentare potest, et admitti debet ejus praesentatio, saltem dum impeditus fuit, vel edictum in veritate ignoravit, ut contra Rochum, et alios a se *cit.* probabilius docet Garc. *n.* 14. *cit.* Corrad. *n.* 31. Leur. *n.* 8. *cit.*

39

Dub. 4. an ad institutionem opus sit scriptura? Resp. ad ejus substantiam, et valorem actus scriptura opus non esse, cum id nullo jure expressum sit. Consuetudine tamen receptum est, ut fiat per scripturam, sicut et praesentatio: expeditque ita fieri ad faciliorem probationem; Vivian. *l.* 13. *de jur. patr. c.* 1. *n.* 5. Corrad. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 21. Leur. *p.* 2. *q.* 186. *n.* 1. La Croix *l.* 4. *theol. mor. n.* 359. Vvies. *n.* 28.

§. II.

De institutione authorizabili.

SUMMARIUM

40 *Institutio authorizabilis jure communi pertinet ad episcopum.*
41 *Acquiri potest etiam ab aliis privilegio apostolico.*
42 *Et consuetudine, saltem immemoriali, spectato jure antiquo;*
43 *Non tamen novo tridl,*
44 *Nisi casu, quo consuetudine, vel potius præscriptione acquisita est plena exemptio.*
45 *Non valet conditio adjecta in fundatione, ut institutio authorizabilis pertineat ad alium, quam episcopum.*
46 *Institutioni regulariter præmittendum est examen instituendi.*
47 *Excipiuntur tres casus.*

40

Quaeritur 1. ad quem pertineat *institutio authorizabilis*? Resp. Jure communi competit episcopis, et ab his facienda est, praemisso de idoneitate examine tametsi institutio collativa tituli ad alium quendam praelatum spectet; *cap. cum satis* 4. *de offic. archidiacon.* Estque institutio haec ad sacramenta administranda clerico curato, in quo solo requiritur, ita necessaria, ut absolutiones a non approbato factae sint omnino invalidae, nisi cum titulo colorato adsit communis error populi existimantis, eum habere potestatem absolvendi. Quando institutio etiam collativa tituli pertinet ad episcopum, uti de jure communi, et ordinarie pertinet secundum dicta n. 7. utraque fit, uno, eodemque actu.

41

Quaeritur 2. an, et quibus praeter episcopum institutio authorizabilis competat, vel possit competere? Resp. 1. Competit capitulo, sede vacante; quia est actus jurisdictionis necessariae, quae tota in capitulum, sede vacante, transit, 2. Vicario generali episcopi, vel capituli sede vacante, ob eandem rationem 3. Praelatis, qui in certi territorii clerum, et populum jurisdictionem quasi episcopalem exercent; nam etiam hi in jurisdictionalibus appellatione episcoporum veniunt. 4. Competere potest etiam aliis praelatis, licet jurisdictionem quasi episcopalem non habeant, si ad hoc muniti sint privilegio apostolico; nam sola unio, qua jure non plenissimo beneficium aliquod unitum est ecclesiae, monasterio, vel dignitati non sufficit, etsi praelatus ejusmodi jus instituendi in beneficio unito habeat, sed

eo casu concurrent institutiones diversæ, et collativa tituli quidem fiet a prælato, authorizabilis autem ab episcopo; Leur. *p.* 2. *for. ben. q.* 7. *n.* 2. *et* 3. alii communiter.

42

Quaeritur 3. an etiam consuetudine, vel potius praescriptione acquiri jus institutionis authorizabilis, possit? Dubio huic ansam dedit *c. cum satis* 4. *de offic. archid.* ubi pontifex consuetudinem ejusmodi damnat, et mandat archidiacono, qui consuetudinem in hac re pro se obtendebat, ut nemini de cetero sine licentia, et mandato episcopi curam animarum committere praesumat.

Sed distinguendum est inter jus antiquum *c. cum satis cit.* et novum trid. *sess.* 7. *c.* 13. *de ref.* nam jure antiquo *c. cit.* solum reprobatur praescriptio longi temporis, vel etiam longissimi, si titulo non sit suffulta; non vero si titulo sulfulta sit, aut immemorialis sine titulo; nam haec a reprobatione generali non afficitur, utpote quae majori vi pollet, et privilegio, ex certa scientia a principe concesso, aequiparatur. Itaque dicendum, spectato jure *cit. c.* posse per consuetudinem, vel praescriptionem 40. annorum cum titulo, vel immemorialem sine titulo acquiri jus institutionis authorizabilis. Ita Abb. *in c. auditis* 15. *de praescr. in* 6. Felin. *ib. n.* 8. Barb. *de praescr. pr. p.* 5. *p* 1. *q.* 11. *n.* 6. Gilch. *de praescr. p.* 3. *c.* 10. *n.* 10. quos citat, et sequitur P. Vvies. *hic n.* 32. *et* 33. *Ratio est,* quia institutio authorizabilis, sive commissio curae animarum non est actus ordinis, sed jurisdictionis episcopalis, cum ex commissione episcopi exerceri possit etiam ab ejus vicario generali, et hoc mortuo, ad capitulum transeat. Atqui ea, quae jurisdictionis sunt, adversus episcopum praescribi possunt 40. annis cum titulo, et tempore immemoriali sine titulo; *c. episcopum* 1. *de praescr. in* 6. ergo etc. *Conf.* nam institutio ista acquiri potest privilegio apostolico, ut dictum est *n. praec.* atqui praescriptio immemorialis vim privilegii habet; *c. super quibusd.* 26. *vers. praeterea de V. S. l. hoc jure* 3. §. *ductus aquae* 4. *ff. de aqu. quot. et aest.*

43

Jure novo trid. *cit.* dicendum, jurisdictionem authorizabilem in beneficiis curatis, quamdiu illa a jurisdictione episcopi non eximuntur, contra hunc a praelatis inferioribus non amplius ullo tempore praescribi posse. Ita Lott. *de ben. l.* 1. *q.* 25. *n.* 11. *et seq. et q.* 33. *n.* 99. *et seq.* Murga *de benef. q.* 2. *n.* 183. *et q.* 3. *n.* 100. *et seq.* Leur. *p.* 2. *for. ben. q.* 729. *n.* 1. Barb. *alleg.* 72. *n.* 185. Vviest. *hic n.* 34. et noviss. Vinc. Petra *to.* 3. *comm. f.* 347. *n.* 32. et apud hunc Rota *in burgensi juris conferendi, seu instituendi* 23. *jun.* 1690. *cor. D. Molines, in fanensi jurisdictionis* 16. *jun.* 1704. §. *praesupposita cor. D. Scotto, in burgensi jurisdictionis super commissione*

curae 11. *jun.* 1706 §. *neque videbatur cor. D. Ansaldo. Ratio est, quia cit.* Trid. decreto ad ejusmodi beneficia praesentati a locorum ordinariis examinari, et ad animarum curam approbari jubentur, non obstante quovis privilegio, et consuetudine, sive praescriptione etiam immemoriali, ut adeo videatur damnare consuetudinem non tantum introductam, sed omnem etiam in futurum introducendam. Et quidem merito, quippe cum ejusmodi consuetudo, seu praescriptio, ipsaque privilegia, quae talem potestatem ab episcopo independentem dederant, cum tempore damnosa ecclesiis, periculosa animabus, et publice perniciosa esse coeperint.

44

Addidi, *quamdiu talia beneficia a jurisdictione episcopi non eximuntur*; quia non obstante trid. decreto *cit.* adhuc hodie acquiri praescriptione potest jus institutionis authorizabilis indirecte: quod tum fit, quando per praescriptionem beneficiorum curatum a jurisdictione episcopi fit omnino exemptum, et subjectum immediate alii praelato, habenti jurisdictionem quasi episcopalem in clerum, et populum; nam eadem praescriptione, qua plena exemptio, censebitur etiam acquisitum jus institutionis authorizabilis; Vinc. Petra *to.* 3. *f.* 348. *n.* 38. et hoc teste firmatum fuit *in burgensi super commissione curae supra alleg.*

45

Quaeritur 4. an casu, quo in capellae, vel beneficii curati fundatione adjecta conditio est, ut clerici pro cura animarum instituendi approbatio competat praelato cuidam inferiori, in eam se intromittere nihilominus possit episcopus? *Ratio dubitandi est,* quia cum rerum suarum moderator, et arbiter quisque sit; *l. in re mandata* 21. *C. mandati*, in earum traditione apponere valet pacta, quae vult; *l. in traditionibus* 48. *ff. de pact.*

Sed respondendum est, in tali beneficio episcopum adhuc sibi vendicare posse institutionem authorizabilem; et cons. conditio illa in fundatione adjecta habebitur pro non adjecta. *Ratio est*, quia fundator utpote privatus, non potest SS. canonum dispositionem immutare et illis contrarium aliquid statuere; *c. requisisti* 15. *ver. secus autem c. tua* 7. *de test. et l. nemo* 55. *ff. de leg.* 1. atqui pactum ejusmodi, seu conditio, qua commissio curae animarum, et approbatio personae pro eadem tribuitur non episcopo, sed praelato inferiori, aperte est contra ss. canones, utpote qui eandem episcopo adstruunt, et sine istius licentia, vel mandato praelato inferiori negant; *c. cum satis*, et trid. *c.* 13. *cit.*

Ex quo etiam cadit ratio dubitandi: nam textus illi juris civilis solum intelligendi sunt de pactis, seu conditionibus, quae jus publicum non laedunt; *l. jus publicum* 38. *ff. de pact.*

46

Quaeritur 5. an institutioni necessario sit præmittendum examen instituendi? Resp. Regulariter praemittendum est: patet ex trid. *ses.* 7. *c.* 13. *de refor. Proceditque hoc, ut ibidem* statuitur, a quibuscunque personis ecclesiasticis (multo magis ergo a laicis) etiam sedis apostolicae nuntiis praesentatio, vel nominatio facta sit; nam praesentatus ex *cit.* Trid. decreto admitti ad beneficium ante non potest, quam a loci ordinario, cui beneficium subjectum est, examinatus, et idoneus repertus fuerit. Et quidem merito; est enim episcopus supremus in sua dioecesi pastor, cons. providere debet, ut populus in subjectis sibi parochiis bene pascatur in spiritualibus, sacra legitime administrentur etc. quod curare non potest, nisi sciat, qui, et quales praeficiantur.

47

Excipiendi tamen sunt tres casus, in quibus examina instituendi opus non est. Et 1. quidem, si praesentatus, electus, seu nominatus quis sit ab aliqua universitate, seu collegio generalium studiorum; hos enim *l. cit.* excipit tridentinum. 2. Si episcopus patronus praesentat clericum suae dioecesis instituendum ab episcopo alterius dioecesis; nam hic examinari non debet ab episcopo instituente, sed ipsa nominatio est illius approbatio; Leuren. *p.* 2. *for. benef. quaest.* 185. *n.* 2. cum aliis. 3. Si praesentatus absens notus est ordinario, quod praesumitur de dioecesano instituentis, maxime si ab isto suscepit ordines; hujus enim instituens perfectam habere potest notitiam; Lambertin. *p.* 1. *l.* 2. *art.* 2. *n.* 1. Corrad. *l.* 4. *cap.* 2. *n.* 5. Leuren. *n.* 2. *cit.*

§. III.

De investitura, et missione in beneficii possessionem.

SUMMARIUM

48 *Mittere in possessionem beneficiorum institutos non potest laicus.*
49 *Sed hoc pertinet de jure quidem ad archidiaconum, de consuetudine vero ad episcopum.*
50 *Si alius est in possessione beneficii, regulariter is prius citari debet.*
51 *Et summarie cognosci de collatione facta ei, qui in possessionem est inducendus.*
52 53 *Modus mittendi in possessionem pro varietate locorum varius est.*
54 *Apprehendi possessio beneficii etiam per procuratorem potest.*
55 *Saltem si iste habeat speciale mandatum.*
56 57 58 *Apprehensa possessione dignitatis, vel alterius beneficii, etiam comparatur possessio rerum, ac jurium ad hoc spectantium.*
59 *Misso in possessionem aliquando dat praescribendi conditionem.*
60 *Sufficit ad hoc triennium.*
61 *Non autem possessio annalis.*
62 63 64 *Non potest capi possessio beneficii authoritate propria.*
65 *Poena sic capientis possessionem.*

48

Quaeritur 1. ad quem de jure pertineat institutos mittere in possessionem beneficiorum? *Certum est*, laicum, saltem nomine proprio, mittere institutos in possessionem non posse. Patet ex *c. ut nostrum* 9. *de offic. archidiacon.* ubi jus ita instituendi adnumeratur officiis spiritualibus. Taxanturque per jus canonicum gravissimae poenae in praelatos, qui investituram accipiunt per manum laicam; nam 1. eam ita recipiens nullatenus inter praelatos habetur, nec ulla ei ut tali audientia conceditur; *can. siquis deinceps* 12. *caus.* 16. *q.* 7. quia investitura talis irrita omnino est, nec ullam in recipientem possessionem transfert. 2. Gratia s. Petri, ac introitus ecclesiae ei est interdictus, prousque locum resipiscendo non deseruerit; *can. cit.* 3. Deponitur, et segregatur, omnesque illi, qui ipsi communicant; *can. si quis episcopus* 14. *caus. et quaest. cit.*

Idem juris est in recipiente investituram ecclesiarum, et aliorum beneficiorum a laicis; *can. siquis deinceps cit. can. siquis clericus* 16. *can. constitutiones* 17. *can. per laicos* 20. *can. non placuit* 23. *caus. et quaest. citat.* nam et ipsi excommunicationem incurrunt.

Eandem incurrunt etiam saeculares potestates, ac personae, quae investituram alicujus ecclesiae, vel dignitatis dare praesum-

pserint; *can. siquis deinceps cit. vers. fin.* quia *laicis, quamvis religiosis, obsequendi manet necessitas, non imperandi authoritas*, aut *ulla facultas de dignitatibus ecclesiasticis disponendi*, ut dicitur *can. non placuit cit. et can. seq.*

Ex quo sequitur, investituram, et missionem in possessionem beneficiorum fieri posse a solo superiore ecclesiastico, et cui ille ipsam commiserit. Sed hinc

49

Quaeritur 2. quis superior ecclesiasticus mittere in possessionem beneficiorum de jure possit? *Rationem dubitandi* faciunt textus *cap. licet* 28. *de praeb. in* 6. ubi id tribuitur episcopo, et *c. adhaec* 7. *de offic. archidiac.* quo haec potestas datur archidiacono.

Duplex ad difficultatem istam ab authoribus datur responsio Barb. *in cap. ad haec cit. n.* 6. cum Covarruvia dicit episcopo quidem competere potestatem decernendi, ut provisi in corporalem beneficiorum sibi collatorum possessionem mittantur; ad archidiaconum autem spectare executionem talis sententiae, et ipsam actualem missionem in possessionem; Flaminius *l.* 10. *de resign. quaest.* 6. *n.* 32. *et* 33. vult immissionem in possessionem beneficiorum de jure quidem spectare ad archidiaconum, de consuetudine autem ad episcopum. Consentiunt Engl. *hic n.* 5. Konig *n.* 20. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 424. *n.* 88.

Potest missio haec ab episcopo etiam fieri, et ita plerumque solet in beneficiis parochialibus, et aliis inferioribus per vicarios, decanos rurales, et alios commissarios; Zypaeus *hic n.* 4. In collegiatis ecclesiis collegas suos in possessionem passim mittunt, ac titulum admittunt a patronis forte datum collegia, et capitula; idem *l. cit. in fin.*

50

Quaeritur 3. quid requiratur, ut legitime fieri possit missio in possessionem? Resp. Si alius adhuc sit in possessione beneficii, citari is debet, etsi beneficium amiserit quoad titulum; nam regulariter eo non citato, missio fieri nequit. Ita habetur *cap. licet* 28. *de praeb. in* 6. *Ratio est*, quia fortasse possessor allegare potest justam causam retentionis beneficii. Dixi *regulariter*: nam tres casus excipiendi sunt, quibus citatione possessoris non est opus. 1. Quando notorium est, quod possessori nullum competat jus retinendi beneficium; quia in notoriis ordo juris non requiritur; *cap. ad nostram* 21. *de jurejur. et clem. pastoralis* 2. *de sent. et re judic.* 2. Quando, antequam beneficium conferretur alteri, possessor citatus est, et contra eum praevia cognitione pronuntiatum: quia non censetur novi aliquid allaturus, si denuo citaretur; P. Vviest. *hic n.*

46. et apud hunc Joan. Monach. Laym. 3. Quando beneficium amissum est ipso jure propterea, quod ejus possessor offenderit aliquem S. R. E. cardinalem; nam ob atrocitatem criminis eo casu possessor vocari non debet, sed provisus absque citatione possessoris potest mitti in possessionem; gloss. *in cap. Felicis* 5. *V. disponant de poenis in* 6.

51

Quodsi citatus possessor compareat, missioni in possessionem praemittenda est cognitio de collatione beneficii facta ei, qui in possessionem est inducendus, summarie tamen, sine strepitu, et figura judicii: neque opus est, ut probetur illam esse canonicam; quia talis esse praesumitur. Neque admittitur exceptio possessoris; qua missionem in possessionem impedire contendit, nisi ea sit de crimine cum infamia conjuncto, vel de defectu canonici tituli, aut alia similis, quae vel sit manifesta, vel in continenti probari valeat; cum enim missionem in possessionem non impediat, aut suspendat appellatio, multo minus id valebit quaevis exceptio.

52

Quaeritur 4. quomodo fieri missio in possessionem debeat? Resp. haec diversimode fit pro locorum, et ipsorum etiam beneficiorum diversitate. Episcopi investiuntur, et in episcopatuum suorum possessionem mittuntur per installationem, ut vocant, certis pro locorum varietate solemnitatibus peractam; Abbates, hisque similes praelati fere per inductionem in ecclesiam, et collationem in sede abbatiali; canonici per assignationem loci, ac sedis in choro, ac capitulo.

Magis diversa est consuetudo in investitura parochorum, et aliorum beneficiatorum; nam in quibusdam dioecesibus fit per inductionem in ecclesiam, osculum altaris, et similes actus in ecclesia exercitos; in aliis per contactum januae clausae ecclesiae, et reserationem illius. In pluribus locis investituram accipiunt parochi, cum die aliquo festo, vel dominico populo ad divina praesenti publice proponuntur, et praestitis fidei, et obedientiae juramentis accipiunt insignia parochialia, quam *investituram in spiritualibus* vocant. Peracta dein re divina, inducuntur in domum parochialem, atque ibidem claves, et rationum libri eidem traduntur: quam *traditionem temporalium* appellant.

53

Hanc posteriorem in quibusdam locis patroni, advocati ecclesiarum, et domini territoriorum privative quoad episcopum sibi arrogant, licet de jure communi patrono, praesertim laico, praeter jus praesentandi, et inspectionem in beneficio in ordine ad excessus

episcopo denuntiandos, non sit aliqua jurisdictio, vel potestas in beneficiatum, beneficium, et reditus beneficiales concessa, ut passim DD. et probat trid. *sess.* 25. *capit.* 9. *vers. patroni autem de reform.*

Videatur Corrad. *l.* 7. *prax. benef. cap.* 41. *n.* 41. Gonzal. *in cap. ex litteris* 2. *de consuet. n.* 17. *fin.* Van-Espen *p.* 2. *jur. eccl. tit.* 26. *cap.* 2. *n.* 12. *et* 13. Vvagn. *ad rubr. h. tit. n.* 3. Honor. *hic n.* 20. Zoes. *ibid. n.* 4. Schamb. *n.* 1. Engl. *n.* 6. Vviest. *n.* 51.

54

Quaeritur 5. an possessio beneficii apprehendi possit per procuratorem? Resp. posse saltem si procurator ad id habeat speciale mandatum. Ita Flam. 10. *de resignat. quaest.* 6. *n.* 9. Gonzal. *in cap.* 24. *de praebend. n.* 2. Barbos. *ibid. n.* 1. *et in cap.* 17. *eod. in* 6. *n.* 11. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 26. *cap.* 2. *n.* 14. Honor. *hic n.* 18. Vviest. *n.* 47. et habet quotidiana praxis. *Ratio* est obvia; quia per procuratorem acceptari potest ipsa etiam collatio beneficii, qua jus in eodem acquiritur. Igitur multo magis per eundem apprehendi poterit ejusdem possessio, utpote qua acquiritur sola rei detentio. Potestque is etiam esse laicus, prout resolvit Flamin. *quaest.* 6. *cit. n.* 14. Barbos. *in cap.* 24. *cit. n.* 2.

55

Dixi, *saltem si mandatum speciale habeat*; major enim est controversia, an sufficiat generale? *Affirmant* sufficere Covarr. *l.* 3. *var. cap.* 16. *n.* 9. Vasq. *de benef. cap.* 4. §. 4. *dub.* 6. et alii plures ex ratione; quia possessio non ad jus, sed ad factum solummodo pertinet; *l. possessionem* 29. *ff. de acquir. possess. Negant* gloss. *in cap.* 17. *V. habueris de praeb. in* 6. Flamin. *quaest.* 6. *cit. n.* 13. Barbos. *in cap.* 24. *cit. n.* 3. Rationem dant, quia possessionis apprehensio est accessoria acceptationi, istiusque perfectio, et implementum. Sed acceptatio requirit speciale mandatum. Ergo etiam apprehensio possessionis; nam accessorium sequitur naturam sui principalis. P. Vviest. *n.* 47. *cit.* conatur has duas sententias combinare, dum ait, non sufficere quidem mandatum generale, quo omnia indiscriminatim negotia alicui committuntur, sufficere tamen mandatum, quo generaliter committuntur negotia beneficialia.

56

Quaeritur 6. an eadem investitura, qua dignitatum, et beneficiorum possessio acquiritur, etiam acquiratur possessio rerum, et jurium ad ea pertinentium? *Ratio dubitandi est* 1. quia possessio a sedium, pedumve positione dicitur, nec animo solo acquiritur, sed factum quoque apprehensionis, externum requiritur. 2. Apprehensione rerum ad beneficium spectantium non acquiritur possessio ipsius beneficii, nisi etiam hoc aliquo modo, qui ad capiendam posses-

sionem sufficiat, apprehendatur. Ergo nec vicissim per apprehensionem beneficii acquireretur possessio rerum, ac jurium ad illud spectantium, nisi facto aliquo externo istorum etiam apprehensio fiat. 3. Potest aliquis accepisse possessionem beneficii, et tamen rerum, ac jurium ad illud pertinentium possessio esse penes alium. Ergo cum possessio in solidum rei ejusdem non possit penes duos, vel plures esse, is, qui accepit possessionem beneficii, non hoc ipso accepit possessionem rerum, et jurium ad hoc spectantium.

57

Sed his non obstantibus, dicendum, apprehensa dignitatis, vel alterius beneficii possessione, etiam rerum, ac jurium ad hoc spectantium possessionem comparari, si quidem illa vacent, eaque non obtineat alius. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *n.* 13. Lambertin. *l.* 2. *de jur. patron. part.* 3. *quaest.* 11. *art.* 9. Flamin. *de resign. l.* 10. *cap.* 6. *n.* 53. Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 5. §. 7. *n.* 6. Corrad. *c.* 7. *n.* 37. Pal. *part.* 32. *n.* 10. Honor. *hic n.* 22. Vviest. *ibid. n.* 53. *Ratio est*, quia jure, et consuetudine receptum est, ut possessione unius rei, vel juris adita, reliquarum quoque, quae connexae sunt, aut inde dependent, apprehensio facta esse censeatur. Sic per contactum partis fundi, censetur fundi totius possessio fuisse adita, et horrei vel aedium, ac rerum ibi reconditarum per traditionem clavium, rei donatae, vel emptae per traditum, et acceptatum instrumentum etc. Dixi, *si quidem illa vacent, eaque non obtineat alius*; nam si possessio rerum vel jurium ad beneficium pertinentium sit penes alium, prius illa a possessore consueti juris remediis avocanda forent, ut eorum quoque possessio a beneficiato acquiratur.

58

Neque urgent argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. possessio frequenter quidem, non tamen semper sedium, pedumve positione acquiritur, sed aliis quoque signis, et actibus circa rem exercitis, ut clavium traditione, acceptatione instrumenti de contractu celebrato erecti, et sola etiam ostensione fundi vicini ex turri cum dicto, quod vacua illius tradatur possessio; *l. quod meo* 18. §. *si venditorem* 2. *ff. de acquirend. vel amittend. possess. Ad* 2. mirum non est, quod apprehensione beneficii acquiratur possessio etiam jurium beneficio annexorum; nam beneficium est principale, jura autem annexa sunt accessorium, et est juris regula, quod accessorium sequatur naturam principalis, non vero principale naturam accessorii. *Ad* 3. Argumentum illud solummodo probat responsionem limitandam esse ad res, et jura vacantia, quae alius non occupavit, aut retinet, ut *n praeced. fin.* dixi.

59

Quaeritur 7. quis sit effectus missionis in possessionem beneficii? Resp. Eosdem fere effectus habet, quos aditio possessionis rerum aliarum, ac jurium. Et quamvis de se titulum, et jus non tribuat, ex illa tamen titulus in subjecto capace praesumitur, quantoque ipsa est diuturnior, tanto fortior est justi tituli praesumptio, censeturque ipsa orta ex justo titulo; *argum. cap. querelam* 24. *de elect. et l. minus* 2. *cod. de acquir. possess.* Dat quoque praescribendi conditionem; ita, ut qui per tempus jure designatum beneficium bona fide, et cum titulo colorato sine simoniaco ingressu possedit, non tantum in foro externo tutus sit, et molestari litibus nequeat, ut facile concedunt DD. vi *regul.* 36. *cancel. de triennali*, sed vere etiam praescribat, et titulum acquirat, ita, ut tutus etiam sit in conscientia. Ita contra Covar. Molin. Palao cum communi tenent Azor. *part.* 2. *l.* 7. *cap.* 35. *quaest.* 8. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 35. *n.* 140. *vers. quarto.* Sanch. *l.* 7. *moral. cap.* 29. *n.* 88. *et seq.* Laym. *l.* 3. *tract.* 1. *cap.* 8. *n.* 16. Cardinal. de Hugo *D.* 7. *de just. n.* 110. Pirh. *de praescript. n.* 115. cum enim pontifex potuerit per possessionem tribuere verum titulum beneficii, et possidentem tutum etiam in conscientia reddere, censendum est voluisse id facere; quia vel maxime vult consulere conscientiae subditorum, et excludere peccatum, cui ansam praeberet, si possidens, cognito defectu tituli, teneretur dimittere beneficium, ad quod dimittendum in foro externo cogi non posset, ac propterea, etiam cognito defectu illo, beneficium retineret.

60

Dubium est, quanti temporis debeat esse possessio, ut titulus inducatur? *Certum est*, non opus esse decennio, vel vicennio, sicut ad praescribendas res immobiles, et jura alia, sed sufficere triennium juxta *regul.* 36. *citat. Difficultas est*, an sufficiat etiam annua possessio, bona fide, et pacifice continuata? *Ratio dubitandi* nascitur ex *regul.* 35. *cancell. de annali possessore*, vi cujus is, qui beneficium ecclesiasticum, ab aliquo per annum immediate praecedentem possessum, deinceps impetrat, imprimis in litteris impetrationis exprimere debet nomen, gradum in litteris, et nobilitatem possessoris, et quot annis illud possederit: item addere debet speficam, ac determinatam causam, verb. grat. defectum aetatis, vel assecutionem pacificam alterius beneficii incompatibilis, ex qua possessori nullum jus in beneficio competere clare constare possit. Deinde procurare debet, ut beneficii possessor intra sex menses, numerandos a tempore datae impetrationis, citetur, et ad judicium evocetur. Demum facta citatione, causam intra annum usque ad sen-

tentiam definitivam inclusive prosequi tenetur. Quae conditiones si non observentur, beneficii impetratio, et quaecunque ex ea secuta nullius sunt firmitatis, et impetrans possessori de ortis exinde damnis, et interesse satisfacere tenetur etc

61

Sed adhuc dicendum, annali, etiam bonae fidei, et pacifica possessione beneficii titulum, ac jus in eo non acquiri. Ita Azor. *part.* 2. *l.* 7. *cap.* 34. *quaest.* 16. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 33. *n.* 3. et hoc teste sententia omnium. Neque contrarium probat *regul. cit.* solum enim inde evincitur, quod possessor beneficii adversus eum, qui beneficium impetravit, se tueri possessione sua possit, dum ostendatur vitium ejusdem; non vero defenditur, quando affertur causa determinata, et clara nullitatis: quod tamen fieret, si annali possessione pacifica acquireretur titulus, et jus in beneficio praescriberetur.

62

Quaeritur 8. an is, qui per canonicam institutionem obtinuit beneficium, ejus possessionem apprehendere propria authoritate possit? Videtur posse 1. *ex capit. transmissa* 15. *de elect.* ubi electo post confirmationem, et obtentum per illam titulum praelaturae conceditur administratio ejusdem, et executio officii sine ulla mentione inductionis in possessionem. 2. ex *cap. nihil* 44. §. *ceterum eod.* ubi electio ad ecclesiam immediate sedi apostolicae subjectam in locis ultra Italiam sitis, v. g. in Germania ante confirmationem conceditur plena administratio in spiritualibus, et temporalibus, excepta dumtaxat alienatione: igitur jam acquisivit possessionem; nam administrandi facultas est fructus, et effectus quidam possessionis, et ante hanc acceptam administratio attentari non debet, ut monet Abb. *in cap. cit. n.* 11. atqui ita electus ante confirmationem a nemine admissus in possessionem est. 3. *ex ratione*; quia rem suam, saltem si possessio sit vacua, occupare quilibet potest; atqui institutus per insitutionem adeptus est titulum, et quasi proprietatem beneficii: ergo etc.

63

Sed respondendum est distinguendo: vel enim praelatus simpliciter solum, et sine signo investituram denotante beneficium contulit, aut praesentatum instituit, vel cum signo aliquo investituram denotante, cum traditione bireti, annuli, clavium etc. *Si primum*, beneficii possessionem, etiam vacuam, propria authoritate apprehendere institutus non potest; Dynus *in reg.* 1. *in* 6. *n.* 26. Flamin. *l.* 8. *de resign. q.* 9. *n.* 55. Pirh. *de præb. n.* 55. *not* 1. *in fin.* Honor. *hic n.* 11. Engl. *n.* 4. Konig *n.* 20. Vviest. *n.* 39. *Si se-*

cundum, et hoc factum sit a praelato habente potestatem tradendae possessionis cum titulo, hujusmodi traditione intelligitur etiam data licentia propria authoritate apprehendendi possessionem vacantem beneficii; Abb. *in cap. 4. h. tit. n.* 9. Lambertin. *l.* 2 *de jur. patron. p.* 3. *q.* 11. *art.* 1. *n.* 5. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 16. *n.* 7. Leur. *p.* 2. *for. benef. q.* 9. *n.* 1. Pirh. Vviest. *l. cit.*

64

Neque obstant argumenta opposita. *Ad* 1. necessitas inductionis in possessionem aperte supponitur; *cap. adhæc* 7. *de offic. archidiac. et cap. licet* 28. *de præb. in* 6. qui textus ut combinentur cum *cap. transmissam cit.* dicendum est, quod administratio permissa sit confirmato, servatis servandis, sc. postquam in beneficii corporalem possessionem missus est. *Ad* 2. possessio illa, et administratio, quae per *cap. nihil cit.* conceditur electis in concordia, et necdum confirmatis extra Italiam non est stabilis, sed provisionalis tantum, quae duret usque dum electio authoritate apostolica confirmetur, confirmatio autem secuta, per investituram corroboretur; et stabiliatur. *Ad* 3. ad rei, vel juris possessionem capiendam non sufficit ejus dominium, vel quasi, cum jure notum sit, quod possit aliquis committere spolium rei suae.

65

Quaeritur 9. qua sit paena afficiendus ille, qui possessionem beneficii, cujus titulum habet, propria authoritate adiit? Resp. distinguendo, an eam adierit, interveniente violentia, an nulla interveniente violentia.

Si primum, quia nim. priorem beneficiarium, quod adhuc possessionem beneficii a se amissi continuaret, vi illata ex illa depulit, in poenam temeritatis ipso jure, et facto amittit titulum beneficii, et omne jus, quod ante ipsi in eo competebat; *cap. eum qui* 18. *de praeb. in* 6. *et ibi* Barb. *n.* 3. Passerin. *n.* 16. *et seq.* Honor. *hic n.* 17. Engl *n.* 4. Vviest. *n.* 42. *Ratio* hanc poenam statuendi fuit; quia talis assumere videtur partes judicis, et spoliatoris beneficii, licet mala fide possessi, ut adeo locus sit *arg. l. si quis tantum* 7. *C. unde vi.*

Si secundum, poena arbitraria a judice est puniendus, ipsum tamen beneficium non amittit; quia ad amissionem illius ipso jure utrumque requiritur, videlicet neglectus authoritatis, seu officii judicis, et violentia possessori resistenti illata; Covar. *l.* 3. *var. cap.* 16. *n.* 7. *vers. quodsi.* Lotter *l.* 3. *de benef. q.* 22. *n.* 29. Passerin. *loc. cit. n.* 17. *et alii supra.*

TITULUS VIII.

De concessione praebendae, et ecclesiae non vacantis.

SUMMARIUM

1 *Beneficium aliquando vacat de facto tantum.*
2 *Aliquando de jure tantum; aliquando de jura, et facto simul.*
3 *Ut per mortem naturalem vacet, requiratur, ut situm sit in ecclesia numerata.*
4 *Ut non sit suppressum, vel accessorie unitum.*
5 *Ut beneficiatus habuerit jus in beneficio.*
6 7 8 *Casus, quibus beneficium vacat ex dispositione juris.*
9 10 11 *Discrimen inter privationem inductam ipso jure, et decretam sententia judicis.*
12 13 14 *Quomodo vacare debeat beneficium, ut alteri conferri possit?*
15 16 17 18 *An semper necessarium sit, ut illud vacet?*
19 20 21 22 *An non saltem promitti possit in casum, quo vacaverit?*
23 *An promissio hujusmodi convalescat accedente consensu beneficiarii?*
24 *Vel scriptura?*
25 *An collator potestatem conferendi delegare alteri possit?*
26 *Quid circa beneficium nondum vacans possit patronus?*
27 28 29 *An valeat promissio in casum*, cum occasio se obtulerit?
30 31 32 *An non saltem valeat juramentum promissioni beneficii nondum vacantis adjectum?*
33 34 35 *An, et quatenus per trid. sublatae sint gratiae exspectativae?*
36 37 38 *Intra quod tempus conferri debeant beneficia vacantia?*
39 40 *Quando semestre ad conferendum beneficium a jure praefixum incipiat correre?*
41 42 *An tempus istud sit utile, vel continuum.*
43 *Poena non conferentium legitimo tempore est devolutio ad superiorem.*
44 *Quae fit gradatim.*
45 46 *Requisita, ut jure devoluto beneficium vacans conferri possit?*

1

Ut ecclesiarum, dignitatum, et beneficiorum collatio, et in ea institutio valeant, necesse est, ut expectetur eorundem vacatio. Hinc merito *tit. praeced.* in quibus de beneficiis, eorumque collatione, et institutione actum est, subjungitur praesens titulus de concessione praebendae, vel ecclesiae non vacantis.

Quaeritur 1. quando dicatur vacare beneficium? Resp. Vacare tunc dicitur beneficium, quando proprietario, vel possessore caret; *argum. l. qui coetu.* 5. §. *fin. ff. ad leg. jul. de vi public. et l. divus* 22. §. *licet* 1. *ff. de us. et habit.* quorum textuum priore mulier marito carens, posteriore domus a nemine habitata pro va-

cantibus habentur. Potest autem haec beneficiorum, et ecclesiarum vacatio tribus modis contingere, videlicet vel defacto tantum, vel de jure tantum, vel defacto, et de jure simul.

2

Defacto tantum vacat beneficium, quando sola ejus possessione amissa, titulus, et jus seu proprietas retinetur, ut cum beneficiarius diu absens ab eo est, et ignoratur, ubi sit: item quando collatum id alicui est quoad titulum, nondum tamen possessio ejusdem tradita; aut quando beneficiatus ista per vim exutus, et beneficio depulsus est, nec alius occupavit possessionem illius.

De jure tantum vacat beneficium tunc, quando beneficiarius quidem amisit jus, et titulum beneficii, possessionem tamen retinet: et haec vacatio dupliciter induci potest, vel per sententiam judicis, qua clericus in poenam criminis a se commissi privatur jure, titulo beneficii: vel ex dispositione ipsius juris decernentis beneficium ipso facto vacare.

De jure, et facto simul denique vacat beneficium, quando nec titulus, nec possessio ejusdem apud aliquem est: quo modo vacat, quando beneficiarius est mortuus, vel beneficium resignavit, aut illo actualiter privatus est, antequam id alteri conferatur.

3

Dub. 1. quando beneficia vacent per mortem naturalem beneficiati? Resp. Ad hoc plura requiruntur.

1. Ut beneficium illud situm sit in ecclesia numerata; nam in ecclesiis non numeratis ubi plures, vel pauciores institui canonici possunt pro arbitrio episcopi, vel capituli, mortuo canonico, non vacat illius canonicatus, sed cum defuncto extinguitur; et si novus instituatur, novum jus creatur, ipsique confertur; *cap. dilecto* 25. *vers. praeterea de praebend. cap. ex parte* 10. *vers. tandem h. tit.* Vivian. *ibid. in ration.* Barb. *n.* 1. Vvagn. *V. statutum not.* 1. Leur. *p.* 2. *for. benef. q.* 556. *n.* 8. cleric. *de benef. discord.* 25. *n.* 11. Pirh. *hic n.* 41. Schamb. *n.* 13. idem dicendum est, quando in ecclesia numerata canonicus instituitur supra numerum; quia talis supernumerarii canonici beneficium non est stabile, ac perpetuum, sed ad tempus vitae ejus concessum ex gratia speciali, et dispensative; Pirh. *loc. cit.*

4

2. Ut beneficium tale non sit suppressum ab habente potestatem, vel unitum accessorie alteri beneficio; Garc. *p.* 11. *de benef. cap.* 2. *n.* 2. *et p.* 12. *cap.* 2. *n.* 12. Clericat. *discord.* 48. *n.* 52. Pirh. *n.* 24. *hic. Ratio est* quia per suppressionem omnino extinguitur, et per unionem censetur ut praedium ejus, cui unitur. Idem

dicendum, quando beneficium pertinet ad mensam praelati, vel capitulari; nam etsi moriatur clericus, qui eidem deservit, per mortem tamen illius non vacat hujusmodi beneficium; Garc. *part.* 11. *citat. cap.* 2. *n.* 3. Clericat. *disc.* 48. *cit. n.* 54. Pirh. *n.* 24. *cit.* quia talis clericus non est proprie rector illius beneficii, seu beneficiarius, cum non proprio, sed alieno, videlicet praelati, vel capituli nomine ei deserviat.

5

3. Ut beneficiatus habuerit jus in re, seu quasi dominium in beneficio; alioquin per mortem ipsius non censebitur beneficium de novo vacare: ut si provisus ante mortem non sit confirmatus in beneficio electivo, vel nondum acceptarit beneficium collativum; Covar. *l.* 3. *var. cap.* 16. *n.* 3. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 17. *n.* 1. Pirh. *numer.* 23. *hic.*

Hic autem concurrentibus, beneficium per beneficiarii mortem ita vacat, ut etiamsi ille a morte miraculose resurgeret, nullum tamen amplius habiturus esset jus ad illud recuperandum; quia *mors omnia solvit*, ut dicitur *novell.* 22. *cap.* 20. *princ.* et ad beneficium amissum sine nova collatione rediri non potest.

6

Dub. 2. quibus casibus beneficium vacet ex dispositione juris? Respond. plures hujusmodi assignari casus. 1. si beneficiarius contraxit matrimonium valide; *cap. si qui* 1. *et cap. quod a te* 3. *de cleric. conjug.* 2. si religionem ab ecclesia approbatam professus est; *cap. beneficium* 4. *de regular. in* 6. 3. si secutus est militiam saecularem; *cap. fin. de cleric. non resid. et ibi* gloss. *V. redierint.* 4. si assecutus est beneficium incompatibile; *cap. cum in cunctis* 7. §. *cum vero de elect. cap. de multa* 28. *de praebend. extrav. execrabilis* 4. *vers. qui vero int. comm. eod.* 5. si beneficii sibi collati possessionem vi occupavit; *cap. eum qui* 18. *de praebend. in* 6.

7

6. Si obtinens parochialem ecclesiam non suscepit sacerdotium intra annum a die adeptae possessionis, vel quo stetit per ipsum, quo minus adipisceretur; *cap. licet* 14. *de elect. in* 6. 7. si litigans de beneficio sequestrationem decretam impedit, aut fructus sequestratos quoquo modo occupare praesumit; *Clem. un. de sequestr. possess.* 8. si commisit crimen, cui privatio beneficii ipso jure annexa est, qualia sunt haeresis, sodomia saepius exercita, assassinium, falsificatio litterarum apostolicarum etc. de quibus jura passim, atque DD.

8

9. Si praelatus bona, seu res ecclesiae immobiles, aut mobiles pretiosas, non servatis solemnitatibus juris, vel summo pontifice inconsulto, alienavit; *extrav. un. int. comm. de reb. eccles. non alien.* 10. si episcopus electus, justo impedimento cessante, intra tres menses post consensum electioni praestitum non petiit confirmationem; *capit. quam sit* 6. *de elect. in* 6. 11. si ante confirmationem, vel institutionem se ingessit administrationi; *capit. qualiter* 17. *de elect.* 12. si electus ad episcopatum, et hujus pacificam possessionem assecutus, consecrationem ultra tempus jure definitum distulit; *capit. cum in cunctis* 7. §. *cum vero eod.*

9

Dub. 3. quod sit discrimen inter privationem beneficii ipso jure decretam, et inter eam, quae per judicis sententiam inferenda est? Resp. multiplex discrimen esse; nam

1. Qui per sententiam solum privandus est beneficio, fructus ante illam perceptos suos facit, non restituere eos tenetur post sententiam; quos tamen restituere tenetur, qui ob crimen ipso jure beneficio privatus est: quod verum est etiam de perceptis ante sententiam declaratoriam criminis; quia haec retrotrahitur ad tempus commissi criminis; Covar. *in* 4. *decret. part.* 2. *cap.* 6. §. 8. *n.* 8. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 17. *quaest.* 2. *vers. secundus effectus*, Molin. *tom.* 2. *de just. D.* 96. *n.* 7. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 26. *n.* 10. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 17. *n.* 2. Pirhing *hic n.* 27. Schamb. *n.* 10.

10

2. Is, qui privandus est beneficio per sententiam ferendam a judice, permutare, et resignare beneficium illud potest, et si ante sententiam istud fecerit, permutatio, et resignatio hujusmodi rescindi non potest. At si quis ipso jure privatus est beneficio, interest, an teneatur ante sententiam illud dimittere, vel non; nam si primum, nec permutare, nec resignare illud in favorem tertii potest: si vero secundum, permutare quidem, et resignare illud secundum aliquos etiam in favorem tertii potest, sed permutatio, et resignatio sic facta rescinditur: de quo vide *lib.* 1. *tit.* 9. *n.* 9.

3. Beneficium, quod ipso jure amissum est, impetrari, et conferri alteri potest, criminoso non vocato; non ita auferri, aliique conferri potest beneficium, quo criminosus per sententiam judicis privandus est; Flamin. *de resign. l.* 3. *quaest.* 1. *n.* 33. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *cap.* 8. *quaest.* 3. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 26. *n.* 12. Laym. *n. cit.* Schamb. *n.* 10.

11

4. Beneficium, quo quis ob crimen ipso jure privatus est, non vacat morte beneficiati sic privati, utpote quod jam prius vacavit; at beneficium, quo quis privandus est primum per sententiam, si beneficiarius ante hanc moriatur, non e causa delicti, sed mortis vacat; Azor. Pirh. Schambogen *l. cit.*

5. Ut privetur quis beneficio per sententiam judicis, non requiruntur crimina adeo gravia. In jure poena privationis ferenda a judice decreta est ob homicidium simplex commissum a clerico, ob perjurium, sacrilegium, sodomiam non frequentatam, adulterium, aut concubinatum publicum etc.

12

Quaeritur 2. an, et quomodo vacare debeat beneficium, ut alteri conferri possit? *Certum est* 1. non sufficere, si beneficium vacet de facto tantum; qui revera vacans non est, cum de jure pertineat ad alium, licet iste hic et nunc in possessione non sit; Zoes. *hic n.* 2. Engl. *n.* 2. *ibid.* Konig. *n.* 13.

Certum est 2. posse conferri beneficium, quod de jure, et facto simul est vacans, ut aperte colligitur ex *cap. nulla 2. h. tit.* a contrario sensu; nam hoc ipso, quod ibi dicatur, ecclesiastica beneficia non posse conferri, nec promitti, antequam vacent, sequitur, quod postquam vacant, conferri possint, si aliud nihil obstet; Abb. *in cap.* 6. *hoc tit. n.* 18. Zoes. *hic n.* 2. Pirh *n.* 18. Schamb. *n.* 8. Engl. *n.* 3. Vviest. *n.* 6. et alii communiter.

13

Quando vacat de jure tantum, non autem defacto, eo quod alius sit in possessione, si colorata haec sit, ut beneficium ita vacans impetrari, conferrique possit, duo requiruntur. *Primum est*, ut in rescripto impetrationis, et provisionis mentio fiat possessionis coloratae; alioquin impetratio, et collatio subreptitia erit, et nulla, prout sumitur ex *cap. cum nostris* 6. *h. tit.* et ratio est, quia si pontifex scivisset, quod alius in possessione colorata beneficii esset, non tam facile, nec absolute beneficium contulisset, sed potius ne videretur conferre beneficium viventis, de possessoris jure inquiri mandasset; Abb. *in cap. cum nostris citat. n.* 7. *et* 27. Vivian. *ibid. nunc.* Barbos. *n.* 1. *et* 2. Vvagnereck. *not.* 1. Zoes. *hic n.* 2. Engl. *n.* 3. Pirh. *n.* 19. Scamb. *n.* 8. Vviest. *n.* 7. *Alterum est.*, ut antequam conferatur beneficium tale, prius citetur ejus possessor, et praecedente summaria cognitione caussae, cassetur possessionis color, sive ejus injustitia ostendatur, prout sumitur ex *cap. cum nostris cit.* et notat Abb. *ibid. n.* 19. Engl. *hic n.* 3. Pirh. *n.* 20. *not.* 3. Konig *num.* 13.

14

Dixi, *si possessio colorata sit* : nam si possessor aliquis beneficii sit, sed sine titulo colorato, eo quod laboret defectu manifesto, quo irrita reddatur collatio, neutrum ex praedictis requiritur. *Non primum* ; quia pontifex, etiamsi expressa fuisset hujusmodi injusta possessio, adhuc tamen contulisset beneficium, imo facilius contulisset. *Non secundum* ; quia in notoriis ordo juris observandus non est. Procedit autem hoc de collatione tantum, non vero de missione in possessionem ; nam in hanc novus beneficiarius mitti, eaque exui praecedens possessor nequit, nisi vocetur, ne si forte habet aliquam causam retinendi illam, suo jure inauditus privetur; Vivian. *in cap.* 6. *h. tit.* Vvagn. *ibid. not.* 3. Pirh. *n.* 20. *not.* 3. Schamb. *n.* 8. Konig. *n.* 13.

Porro in possessione colorata clericus tunc esse dicitur, quando beneficium accepit a legitimo collatore, et institutio, seu collatio notorie non est irrita, licet jus, et titulus ejus non subsistat propter defectum occultum ; Pirh. *n.* 20. *cit.*

15

Dub. 1. an semper necessarium sit vacans esse beneficium, ut conferri illud alteri possit? Resp. affirmative ; nemini enim conferri beneficium potest, antequam vacet : estque collatio beneficii non vacantis ipso jure irrita ; *can. non furem* 10. *et can. eum qui* 40. *caus.* 7. *qu.* 1. *c. nulla* 2. *hic cap. consultationibus* 4. *de donat. Ratio est,* quia si beneficium nondum vacans conferri posset, conferretur, vel ut simul retineretur ab utroque, vel ut spoliaretur illo beneficiarius prior. *Prius* fieri non potest; quia beneficium conferri et retineri simul a clericis duobus non potest. *Posterius*; quia nemini jus suum sine sua culpa, vel causa publica auferri debet.

16

Proceditque hoc 1. de quocunque collatore, qui papa inferior est; nam summus pontifex ex plenitudine potestatis istud potest. *Procedit* 2. etiam de executore a papa dato, quia conferre beneficium, seu præbendam vacaturam pertinet ad plenitudinem potestatis papalis, non ordinariam, sed absolutam, secundum quam in dubio papa, vel alius princeps non censetur agere, quippe cum sit contra jus, et odiosa; Gail. *l.* 1. *obs.* 14. *n.* 6. *et* 7. *Procedit* 3. etsi beneficium vacet defacto ; nam nisi de jure vacet, collatio ejus manet irrita. Abb. *in c.* 6. *h. t. n.* 18. Zoes. *hic n.* 2. Pirh. *n.* 18. Vvies. *n.* 8. et ratio est, qaia hoc ipso, quod ejus titulus, seu proprietas penes alium sit, non censetur vere vacare.

17

Poena in eum, qui in beneficio non vacante, aut solum vacante defacto, et non de jure scienter se institui passus est, a jure statuta est duplex. *Primo enim*, praeterquam quod a beneficio sic obtento repellendus sit, etiam a communione fidelium removendum statuerunt Gregorius, et Gelasius summi pont. *can. eum qui cit. et cap. qui in virorum* 1. *h. t. Secundo*, si beneficium illud postea vacet, obtinere id non amplius sine apostolica dispensatione potest; *cap. post electionem* 7. *h. t.* ad eum fere modum, quo vir, qui cum alterius viventis uxore, interveniente adulterino commercio, matrimonium defacto contraxit, hanc, ejus viro postea mortuo, ducere sine ejusmodi dispensatione nequit; *c. fin. de eo, qui duxit etc.*

18

Dixi autem 1. *qui scienter*; nam si beneficium nondum vacans collatum sit ignaro, minime collatio talis eum facit obnoxium istius poenae, cum extra culpam illum ignorantia ponat, *et c. qui in vivorum cit.* loquatur de sciente. An vero hujusmodi collatio ignoranti facta dein convalescat per subsequentem vacationem, dubitari posset, ex ratione, quia hoc casu cessat periculum voti mortis alienae, quod ss. canones aversantur. Sed dicendum non convalescere; quia ab initio nulla est, ut adeo tractu temporis convalescere nequeat; Zoes. *n.* 6. *hic.* Dixi 2. *institui se passus est*; nam si solum acceptet promissionem beneficii non vacantis, quamvis jus nullum ex ea promissione acquirat, a poenis tamen praedictis liber est. Idem dicendum de eo, qui supplicavit pro beneficio viventis; Zoes. *hic n.* 4. Ratio utriusque est, quia poenae non solent induci, nisi post actum consummatum, ante enim est tantum conatus, qui non solet puniri, *l. hoc edictum* 1. *vers. haec autem verba ff. quod quisq. jur*, nisi in gravioribus; Alciat. *ad l. saepe* 53. *n.* 37. *ff. de V.S.* Dixi 3. *tale beneficium ab eo, cui sic collatum est, etiam cum dein vacaverit, impetrari absque apostolica dispensatione non posse.* Ex quo sequitur, ut impetrari ab eo possit, necessarium esse, ut in litteris apostolicis mentio fiat praecedentis intrusionis, alias provisio apostolica, nisi motu proprio facta sit, tanquam subreptitia carebit viribus, et erit omnino nulla; quia papa, si id scivisset, ipsi non contulisset, vel saltem non ita facile; *arg. c. super litteris* 20. *et c. postulasti* 27. *de rescr.*

19

Dub. 2. an promitti saltem beneficium non vacans possit in casum, quo illud per obitum renuntiationem etc. vacaverit? *Ratio dubitandi est* 1. quia beneficium viventis ab episcopo uniri monasterio, hospitali, collegio, etc. potest, et hac unione facta beneficium casu, quo vacet eidem debetur. Igitur etiam promitti beneficium non va-

cans potest, ut casu, quo vacaverit, promissio sortiatur effectum. 2. Beneficium nondum vacans potest promitti tacite, et promittitur, quando aliquis recipitur in canonicum cum exspectatione præbendae: ergo potest etiam promitti expresse. 3. Legatus a latere potest reservare beneficium proxime vacaturum etiam in favorem certæ personae: atqui reservatio in favorem certae personæ, vim promissionis obtinet: ergo etiam, fieri potest promissio beneficii non vacantis.

20

Sed dicendum, beneficium non vacans etiam promitti in tempus vacationis non posse. Ita Flam. *l.* 6. *de resign. q.* 4. *n.* 104. Reginald. *prax. for. poenit. l.* 30. *tr.* 3. *n.* 27. Vivian. *in c. ex tenore* 13. *h. t. princ.* Fagn. *in cap. nulla* 2. *eod. num.* 2. Gonz. *ibidem n.* 10. *et seq.* Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 13. *n.* 122. Leur. *p.* 2. *q.* 787. *n.* 1. et constat 1. *ex cap. nulla* 2. *princ. c. relatum* 3. *c. ex tenore* 13. *h. t.* quibus juribus promissioni hujusmodi beneficiorum non vacantium vis omnis adimitur. 2. *ex trid quod ses.* 24. *c.* 19. *de refor.* abrogatus voluit quascunque gratias ad beneficia vacatura, 3. *ex regul. cancel.* 21. *de non impetrando beneficium per obitum viventis et* 31. *de verisimil notitia*: quarum *priori* statuitur, siquis impetret rescriptum, ut sibi provideatur de beneficio tanquam vacante per obitum alicujus adhuc viventis, ejus provisionem virtute talis rescripti factam, nullius momenti esse, etsi postea per obitum beneficium illud vacet. *Posteriori* autem decernitur, provisionem apostolicam beneficii per obitum vacantis irritam esse, nisi inter obitum, et provisionem tantum temporis intercesserit, ut obitus ad notitiam papae verisimiliter pervenisse potuerit.

21

Ratio sic statuendi triplex fuit, eaque justissima, quam etiam insinuat textus *c. nulla cit.* 1. ut ab ecclesiis, et personis ecclesiasticis, quam procul possent, removerentur impia desideria, et consilia, alienam mortem spectantia cujus voto, et machinationibus hujusmodi intempestivae promissiones facile occasionem praebent. 2. ut occurreretur incommodis, et gravaminibus, quae ecclesiis, earumque praelatis inferebantur; nam saepe contingebat, ut ab his pur nimiam importunitatem extorquerentur promissiones hujusmodi pro personis minus idoneis, sicque excluderentur digniores, qui vacatione eveniente se offerebant, cum non modico ecclesiarum damno, et periculo animarum non minore. 3. quia etiam jure civili pactum de futura successione, vivente eo, cui succedendum est, damnatur, tanquam contra bonos mores initum, ut habetur *l. donari* 29. *§. fin. ff. de donat. et l. fin. c. de pact.* ubi dicitur, *quod hujusmodi pactiones odiosae esse videntur, et plene tristissimi, et periculosi eventus*; et decer-

nitur talia *pacta*, tanquam *quae contra bonos mores inita sunt, repelli et nihil ex his pactionibus observari* debere.

22

Neque urgent argumenta opposita. *Ad* 1. imprimis canones antiqui, et decretum trid. loquuntur solum de collatione beneficii vacaturi quoad titulum, non autem de concessione ejus in proprietatem, quod per unionem contingit. Deinde hujusmodi unio monasterio, collegio, vel alteri communitati facta alienae mortis captandae multo minorem occasionem praebet, imo nullam, cum quod collegio, vel communitati datur, nemini datum videatur; *arg. can. episcopus* 58. *vers. qui manumittitur caus.* 12. *q.* 2. *et naturali quodam vitio communiter negligatur, quod communiter possidetur; nihilque se habere arbitretur, qui totum non habet,* ut dicitur *l. meminimus* 2. *princ. vers. naturale C. quand. et quib. quar* Denique etsi per hujusmodi unionem factam de beneficio viventis qualis occasio captandae mortis alienae daretur, tamen propter majus bonam, quod ex tali unione provenit, contemnenda esset. *Ad* 2. Nego paritatem; quia recepto in canonicum debetur praebenda proxime vacatura ex promissione facta a lege; prohibitio autem praesentis loci locum duntaxat habet, quando promissio beneficii fit ab homine. *Ad* 3. *trans. major*, complures enim cum Passer. *in c.* 9. *h. t. in* 6. *n.* 2. negant reservationi huic locum nunc esse post trid. *Neg. min.* nam per promissionem, et collationem beneficii vacaturi, si valeret, acquireretur jus proviso, et hinc timeri posset occasio optandae, vel captandæ mortis alienæ, at in reservatione, qua legatus mutare voluntatem suam potest, nullum acquiritur jus ei, in cujus favorem reservatio facta est, et hinc etiam periculum mortem alterius captandi, optandique cessat.

23

Dub. 3. an hujusmodi promissio convalescat, quando accedit consensus ejus, qui beneficium obtinet, de quo ad casum vacaturae contingentis fit promissio? Videtur convalescere argumento sumpto a paritate cum pacto de futura successione, quod saltem per modum donationis mortis causa factæ valet, si is, de cujus haereditate pactum est, consenserit, et in eadem voluntate usque ad mortem perseveraverit; *l. fin. C. de pact.*

Sed hoc non obstante dicendum, ejusmodi promissionem de præbenda, seu beneficio viventis non tenere, etiamsi facta sit cum consensu ejus, qui illud obtinet. Sumitur *ex c. nulla* 2. *c. ex tenore* 13. *h. t.* et notat glos. *in c. nulla cit. V. condemnare*, Fagn. *ib. n.* 4. Vivian. *in c.* 13. *eod. princ.* Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 13. *n.* 125. Pirh. *h. c n.* 5. *Ratio est*, quia jura *cit.* promissionem de beneficio viventis absolute irritant, pactum autem de haereditate viventis solum irritatur cum clausula, nisi consentiat ille, de cujus hæreditate agitur.

24

Extenditur autem responsio ista 1. etiamsi per scripturam firmata sit talis promissio; quia actus nullus regulariter per scripturam non validatur; Abb. *in cap. ex tenore cit. n.* 2. Pirh. *hic n.* 6. unde quomodocunque beneficium viventis promissum alteri fuerit, illud, si postea vacaverit, a collatore ordinario liberrime conferri alteri personae potest. Neque auditur, si is, cui promissio hujusmodi facta est, appellare velit, et jus sibi praetendere ad beneficium sibi promissum, ut habetur *cap. relatum* 3. *h. tit.* et tradit *ibid.* gloss. *in casu*, Abb. *n.* 3. Vivian. *ibid. in ration.* Gonz. *n.* 2. Barbos. *n.* 1. *et l.* 3. *jur. eccl. cap.* 13. *n.* 125. Vall. *hic n.* 3. Pirh. *n.* 8. Schamb. *n.* 6. Vvies. *n.* 14. *Ratio est*, quia ejusmodi promissionem habens nullum ex tali promisso adeptus jus est; igitur frustra appellat.

25

Extenditur 2. ut neque delegare episcopus vel alius collator pontifice inferior potestatem conferendi beneficia proxime vacatura possit, prout constat ex *cap. constitutus* 11. *hoc tit.* ubi etiam indicatur ratio; quia posset quispiam tali facultate conferendi beneficium proxime vacaturum abuti in frudem *cap. nulla* 2. *hoc tit.* nam qui obtinere certum beneficium nondum vacans cuperet, posset subornare amicum, ut impetraret ab episcopo facultatem id beneficium conferendi, cum vacaverit, et sic spe fretus, quod amicus ille benecium hoc sibi collaturus sit, desiderare, et machinari mortem beneficiario illi, cui succedere in beneficio cupit; Abb. *in cap. constitutus cit. n.* 5. Vivian. *ibid. princ.* Barb. *n.* 3. Gonz. *n.* 3. 5. *et* 6. Leur. *p.* 2. *for. benef. q.* 788. *n.* 1. Honor. *hic n.* 7. Pirh. *n.* 9. Schamb. *n.* 6. Vvies. *n.* 15. *Excipitur*, si episcopus potestatem conferendi beneficia proxime vacatura committere velit vicario suo generali; nam hoc in genere, et indeterminate potest, non autem in specie, et determinate, sive respectu certi beneficii, aut respectu certae personae; Laym. *in cap.* 3. *n.* 3. *de offic. vicar. in* 6.

26

Extenditur 3. etiam ad patronos; nam neque isti promittere possunt, quod praesentare aliquem ad beneficium vacaturum velint, aut potestatem alteri in specie dare, ut praesentet ad certum beneficium, cum vacabit; et si id faciat, praesentatio non valet; *c. fin. h. tit.* et notat *ibid.* Abb. *n.* 6. Vivian. *in ration. princ.* Gonz. *n.* 2. Vagn. *in exeg.* Passerin. *in cap.* 2. *eod. in* 6. *n.* 4. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 5. *n.* 1. Barbos. *alleg.* 72. *n.* 3. Illsung. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 182. Pirh. *hic n.* 16. Schamb. *n.* 7. Vvies. *n.* 15. et urget paritas rationis, ob quam id prohibitum est episcopo, aut alteri collatori; nam

id periculum subest, et similiter per ejusmodi promissionem, vel commissionem daretur occasio optandae, vel captandae mortis alienae. Dixi autem *in specie*; nam generatim patronatus, praesertim si laicus sit, committere alicui tanquam procuratori facultatem praesentandi ad beneficia, si vacaverint, potest, maxime si causa subsit, ut quia patronus vult peregre proficisci diu abfuturus; Abb. *in cap. fin. cit. n.* 5. Vivian. *ibid. circa fin.* Vagn. *in exeges.* Pirh. *n.* 16. Vveist. *n.* 17. *Ratio est*, tum quia tali casu cessat periculum insidiandi vitae alicujus propter beneficium vacaturum; tum vero maxime quia procuratoris constitutio cuilibet jure communi permissa est, et patrono prohibita nuspiam reperitur.

27

Dub. 4. an valeat promissio de conferendo alicui beneficio in genere, *cum poterit*, *vel cum occasio se obtulerit*? Videtur valida esse hujusmodi promissio; nam 1. aperte pro valore illius militat *cap. accedens* 14. *h. tit.* ubi promissiones hujusmodi tanquam licitae approbantur. 2. modernus usus collatorum, et patronorum, etiam timoratorum, qui clericis sibi commendatis, et charis, cum pro beneficio supplicant, promittere passim solent, se, *cum tulerit occasio*, eos voti compotes facturos, et ad canonicatum, parochiam, vel aliud beneficium, *cum poterunt*, promoturos: imo alicubi talibus promissionibus firmandis adjici solent litterae ad ejusmodi beneficia vacatura, quas *signaturas* nuncupant. 3. ratio; quia cum aliis modis haec promissio impleri possit, e. g. per erectionem novi beneficii, vel divisionem praebendae, per istam promissionem non datur gratia exspectativa, per quam desideretur mors alterius, adeoque cessat ratio prohibitionis; *cap. nulla* 2. *h. tit.*

28

Sed distinguendum inter jus decretalium antiquum, et novum, nam *jure antiquo* hujusmodi promissio erat valida, ut constat ex *cap. accedens cit.* at jure novo *cap. detestanda* 2. *h. tit. in* 6. prohibita, et irritata est omnis promissio de beneficio conferendo, adjecta clausula, *cum potero*, *vel cum se facultas*, *aut occasio obtulerit*, et alia quavis, per quam directe, vel indirecte aperiri via ad beneficia vacatura valeat. *Ratio est*, quia quando prohibitio respicit certum finem, censetur tunc prohibita quaelibet via, per quam directe, vel indirecte ad illum finem prohibitum pervenitur: atqui concilium lateranense, *cap. nulla* 2. *h. tit.* prohibuit, ne beneficia vacatura conferantur, ut tollatur occasio desiderandi mortem alterius; ergo promissiones omnes, quae eo tendunt, sub quovis modo, et forma verborum reprobantur.

29

Neque obstant argumenta opposita *Ad* 1. patet ex modo dictis. Neque contrarium probat usus, et consuetudo, cum vidimus in pluribus Germaniae ecclesiis canonicos supernumerarios recipi, qui futuras praebendas exspectent; quia has non exspectant ex vi promissionis, sed ex vi receptionis in canonicos, quam sub praebendae exspectatione fieri jura *cit.* nequaquam prohibuerunt. *Ad* 2. negatur paritas; nam talibus loquendi modis et signaturis spes sola, non res sive alicujus beneficii, vel collationis, aut presentationis ad id obtinendae jus supplicantibus quaeritur, ut indubitate liquet ex eo, quod aliquando ad eundem canonicatum, vel parochiam signaturae dentur pluribus: et cum postea vacant, quandoque aliis conferantur, non obstantibus ejusmodi signaturis, vel querela eorum, quibus ante promissa fuisse videri poterant. *Ad* 3. licet fortasse non adeo vicinam occasionem optandae, vel captandae alienae mortis hujusmodi genericae promissiones praebeant, praebent tamen non exiguam, talemque, quae pontificem movere potuerit, ad tales etiam promissiones per *cap. detestanda cit.* irritandas.

30

Dub. 5. an non saltem valeat juramentum promissioni beneficii nondum vacantis adjectum? Videtur esse validum. 1. quia est de re licita, et nemini praejudiciosa; potest enim hujusmodi beneficium postea vacans cuicunque clerico idoneo, et ipsi etiam promissario conferri sine alicujus tertii, et propriae animae dispendio, vel praejudicio: atqui juramentum, quod est de re licita, et nemini praejudiciosa, est observandum: ergo etc. 2. si juramentum hoc non teneret, id esset maxime ideo, quia cum praebeat occasionem optandae, aut captandae mortis alienae, bonis moribus adversatur, et cons. servandum non est: atqui hoc nimium probat: probat enim, quod neque pontifex facere hujusmodi promissiones, vel collationes beneficii vacaturi possit: ergo etc. 3. licet promissio de successione viventis bonis moribus adversetur, juramentum tamen illi adjectum obligat, ut cum aliis docet Suar. *l.* 2. *cap.* 23. *n.* 2. ex ea solum ratione, quia sine peccato, et praejudicio tertii servari potest . . . esto promissio beneficii vacaturi inducat votum optandae mortis alienae, non tamen inducit illud per se, sive ex natura, et fine suo; sed per accidens solum ob vitium, et perversitatem eorum, in quorum favorem praestatur, non omnium, sed paucissimorum, qui ita spe obtinendi beneficii obcaecari se patiuntur, ut optare, vel etiam machinari non vereantur mortem eorum, quorum beneficia vacatura exspectant. 5. boni mores, quibus hujusmodi promissio adversatur, non sunt praecepti jure naturali, aut divino cum secundum se spectata inde-

centiam, et turpitudinem non contineat; sed tantum humano: igitur sicut juramentum adjectum pacto de futura successione tenet, ita tenebit etiam adjectum promissioni beneficii vacaturi.

31

Sed adhuc dicendum, juramentum, promissioni beneficii vacantis appositum, viribus, et valore destitui. Ita Abb. *in cap.* 13. *h. tit. n.* 3. Vivian. *ibi. princ.* Gonz. *in cap.* 2. *h. tit. n.* 12. *in fin.* Passerin. *in c.* 2. *n* 3. *eod. in* 6. Sanch. *l.* 7. *moral. cap.* 2. *n.* 33. Pirh. *hic n.* 6. Vviest. *n* 13. *Ratio est*, quia ut promissio haec, ita etiam juramentum promissioni appositum adversatur bono publico, quod unice pontifex in proposito habuit, dum ejusmodi promissionem prohibuit; ergo sicut promissio propterea irrita est, ita et juramentum. *Conf.* quia si hujusmodi juramenta valerent, facile eluderentur saluberrimae cautelae sanctionum canonicarum, quibus pontifex promissiones hujusmodi irritando ambitioni hominum perversorum, aliisque damnis, quae ex praepropera, et praefestina beneficiorum promissione oriri solent, obviare voluit; nam aeque facile juramentum, quam promissio a collatoribus, et patronis extorqueretur, et sic quod una via non admittitur, altera obtineretur contra *regul. cum quid una* 84. *de R. J. in* 6.

32

Ad argumenta opposita non difficulter responderi potest. *Ad* 1. patet ex probatione, quod promissiones hujusmodi de beneficiis vacaturis adversentur bono publico; juramentum autem confirmans actum bono publico adversantem obligatorium esse non potest. *Ad* 2. promissio beneficii non vacantis solum involvit votum alienae mortis occasionaliter: et hinc casu, quo occasio talis voti esse cessat, dispensatione pontificis licita fieri potest, non autem alterius inferioris pontifice, quia hic contra jus commune dispensare non potest. *Ad* 3. negatur paritas; quia promissio beneficii non vacantis repugnat bonis moribus canonicis, sive praeceptis generalium conciliorum, et constitutionum apostolicarum habentium pro fine immediato bonum publicum; at pactiones de haereditate viventis adversantur solum bonis moribus civilibus, seu dispositioni juris civilis, ejusmodi pactis principaliter et immediate privatorum commodum intendentis: et hinc cum quisque favori pro se principaliter introducto renuntiare possit, promissio cum consensu ejus, de cujus futura successione fit, valet; non autem valet promissio de beneficio vacaturo, cum nemo cedere possit favori in bonum publicum immediate, et principaliter introducto. *Ad* 4. periculum hoc causa sufficiens fuit ad irritandum pactum de successione viventis; igitur etiam causa sufficiens erit ad irritandam promissionem beneficii vacaturi, et jura-

menti huic adjecti. *Ad* 5. etiam jus humanum potestatem habet obligandi in conscientia : adeoque non probatur juramentum valere ex eo solum capite, quod promissio beneficii vacaturi solum prohibita sit jure humano.

33

Dub. 6. an et quatenus per Trid. sublatae sint gratiae exspectativae, et mandata de providendo ? *Certum est* per Trid. concilium potestatem pontificis quoad ista non fuisse restrictam, nec potuisse restringi ; poterit igitur ille, ut ante, ita etiam nunc hujusmodi gratias, et mandata de providendo dare ; quia gratiae istae sublatae sunt tantum jure humano, quo superior pontifex est. *Neque obstat*, quod memorata synodus eas sustulerit generaliter ; quia ut eadem synodus *sess.* 25. *cap.* 21. *de reform* declarat, hujusmodi decreta semper ita intelligi debent, *ut salva semper authoritas sedis apostolicae et sit, et esse intelligatur.*

34

Difficultas moveri potest quoad collatores inferiores pontifice ? Nam his etiamnum potestatem gratias exspectativas dandi competere, videtur probari : 1. quia legatus a latere habet potestatem reservandi beneficia vacatura, etiam in favorem, et commodum certae personae, cui reservationi gratia exspectativa non est multum dissimilis. 2. Episcopus, et capitulum recipere aliquem in canonicum, et fratrem possunt sine assignatione praebendae, et sic recepto debetur praebenda proxime vacatura hoc ipso, quod canonia sine praebenda diu non possit consistere; *cap. cum M.* 9. *de constit. et cap. relatum* 9. *de praebend.* ac proin praebenda vacatura a sic recepto revera exspectatur : 3. hodie in quibusdam studiorum generalium universitatibus fieri solent nominationes certarum personarum, ad gradus litterarios promotarum, ad beneficia vacatura, quarum nominationum ea vis est, ut si hujusmodi beneficia postea vacent, alteri conferri nequeant ; ac proinde exspectantur a sic nominato.

35

Sed dicendum gratias exspectativas, et mandata de providendo hoc nulli alteri competere, nisi summo pontifici. Patet ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 19. *de reform.* ubi illas generaliter sustulit.

Nec contrarium probant argumenta allata. *Ad* 1. patet ex responsione *ad* 3. *n.* 22. *Ad* 2. cum gratiis expectativis etiam sublata est potestas creandi canonicum supernumerarium ad futuram, seu proxime vacaturam praebendam, ut declaratum est a sac. cong. card. concil. interpp. teste Gonz. *proem. ad reg.* 8. §. 1. *n.* 64. Ubi Trid. in tanto rigore receptum non est, recipi quidem aliquis

in canonicum cum exspectatione praebendae proxime vacaturae potest; magnum tamen adhuc discrimen est inter gratias exspectativas, et inter receptionem talis canonici cum exspectatione praebendae; nam hanc iste exspectat ex dispositione juris, quo cavetur, ne canonicus diu sit sine praebenda, cum ille, qui gratiam exspectativam habet, eam exspectet ex vi promissionis. *Ad* 3. ab hujusmodi nominatis academicis tristis consilii, aut voti metus non est, et siquis esset, ab utilitate in ecclesias, et remp. christianam ab illis redundante multum superaretur; conceduntur enim hujusmodi nominationes non solum ad promotionem studiorum, sed etiam ad bonum ecclesiarum, et animarum, ut illae idoneos rectores, istae pastores facilius habeant: quae etiam causa est, cur iisdem a Trid. *l. cit.* derogatum non sit, ut declaravit Gregorius XIII. super hoc consultus, teste Vvames. *consil.* 254. *paulo post princ. et* Zoes. *hic n.* 9.

36

Quaeritur 3. intra quod tempus conferri debeant beneficia vacantia? Resp. distinguendum hic esse inter beneficia collativa, seu libera, electiva, et patronata, seu mixta.

Si beneficium vacans sit *collativum*, seu *liberae collationis*, conferri debet intra sex menses; *c. nulla* 2. §. *cum vero h. tit. Ratio est*, quia diuturna vacatio beneficiorum, et officiorum est damnosa ecclesiis, et periculosa animabus; Vivian. *n. in c. nulla cit. vers. et cum vacaverint*, Fagn. *ibid. num.* 24. Gonz. *in c.* 5. *eod. n.* 7. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 13. *n.* 107. Leur. *p.* 2. *for. benef. q.* 789. *n.* 1. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *c.* 5. *n.* 1. Cleric. *de benef. discord.* 80. *n.* 80. *n.* 17. Vall. *hic* §. 3. *n.* 1. Pirh. *n.* 29. *Excipitur* 1. nisi provisio a papa sit exspectanda, ipsi enim nullus praestitutus est terminus ad conferendum, sed cum sit supra jus, potest quocunque tempore providere; Cleric. *discord.* 36. *n.* 27. *Excipitur* 2. legatus a latere, et nuntius sedis apostolicae respectu beneficiorum, quae ipsi conferre possunt; cum enim potestatem a jure habeant conferendi quaelibet beneficia, in sua provincia existentia, tametsi ad sedem apostolicam devoluta sint, non poterit illis currere tempus ad conferendum; quia haec illorum potestas nulla devolutione impeditur; Pal. *tract.* 13. *D.* 3. *p.* 5. *n.* 9. *Excipiuntur* 3. beneficia ecclesiae non numeratae; nam ad haec constitutio *c. nulla cit.* non extenditur, sed conferri possunt, quando id collatori, vel collatoribus libuerit. Imo hi nec ad litteras papae tenentur aliquem ultra ecclesiae facultates accipere; Vvagn. *in cap.* 10. *V. statutum not.* 1. *h. tit.*

37

Si beneficium, dignitas, vel praelatura vacans sit *electiva*, attendendum est, an sit praelatura regularis vel principalis in ecclesia cathedrali, an vero dignitas, officium, aut beneficium aliquod inferius. *Si hoc secundum*, electores etiam ipsi semestre habent, intra quod electionem faciant, prout sumitur ex *cap. dilectus* 12. *h. tit.* et notat *ibid.* Abb. *n.* 2. Garc. *p.* 10. *de benef. c.* 2. *n.* 2. *et* 5. Pirh. *n.* 29. *Si primum*, hujusmodi praelaturae ultra tres menses vacare non debent; *can. obeuntibus* 31. *dist.* 63. *c. ne pro defectu* 41. *de elect. c. dilectus cit.* propter majus periculum, quod animabus ex diuturna pastoris carentia imminet: et hinc qui ultra trimestre electionem episcopi, vel praelati regularis differunt, pro ea vice privantur potestate eligendi, et ea ad proximum superiorem devolvitur; Garc. *l. cit. n.* 3. *et* 4. Vivian. *in c. nulla* 2. *vers. et cum vacaverint h. tit.* Fagn. *ibid. n.* 31. Gonzal. *n.* 8. Vvagn. *vers. sed infra sex menses not.* 1. Pirh. *n.* 29. *cit.*

38

Si denique beneficium vacans sit *patronatum*, videndum est, an sit subjectum patronatui laico, an ecclesiastico; nam *si laico*, quatuor ipsi menses ad praesentandum conceduntur; sex vero, *si ecclesiastico*, ut infra pluribus *tit.* 38. dicetur. Institutioni vero illius, qui ad tale beneficium praesentatus est, certum a jure tempus nullum praefixum est: quod etiam dicendum de confirmatione electi, et collatione beneficii resignati ex causa permutationis; Garc. *p.* 10. *de benef. cap.* 4. *a n.* 1. Si tamen is, ad quem institutio praesentati, confirmatio electi, vel collatio beneficii ex causa permutationis resignati pertinet, id facere diu differat, recurri potest ad ejus superiorem, videlicet ad metropolitanum, vel legatum, aut nuntium pontificium, ut hic illi certum tempus praefigat ad instituendum, confirmandum etc. Potestque praesentatus, si sine causa institutio differatur, a gravamine illato appellare; Abb. *in cap.* 29. *de jur. patron. n.* 1. cum aliis.

39

Dub. 1. quando tempus semestre ad conferendum beneficium a jure praefixum incipiat currere? Videtur currere ignoranti, et impedito, et sic incipere a die vacationis; *arg. l. genero* 8. *ff. de his, qui not. infam.* ubi tempus anni, intra quem mulier post mortem mariti jure civili prohibetur nubere, currit etiam uxori ignoranti mortem mariti. Item *arg. cap. nos quidem* 3. *de testam.* juxta quod potestas exequendi testamentum devolvitur ad episcopum, etiamsi executor illud exequi intra annum non potuerit.

Sed nihilominus dicendum, semestre hoc non currere collatori a tempore, quo beneficium vacaverit, sed tempore, quo collator habuit notitiam vacationis. Ita statuitur *cap. quia diversitatem* 5. *h. tit.* Et hinc 1. non currit ignoranti; Vivian. *in cap.* 5. *citat. vers. nec incipit*; Fagn. *n.* 2. Barb. *n.* 1. *et l.* 3. *jur. eccl. cap.* 13. *num.* 107. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *cap.* 5. *num.* 3. Cleric. *de benef. discord.* 80. *num.* 17. Vallens. *hic* §. 3. *num.* 1. Schamb. *numer.* 11. Pirh. *numer.* 30. Ratio insinuatur *in textu*; quia hoc tempus semestre ad conferendum beneficium statutum fuit contra negligentes; qui autem ignorat, negligens, aut culpabilis dici non potest, ut notat glos. *in c. statutum* 3. *V. numerandum de praebend. in* 6. et is, qui nescit, potestatem experiendi habet, *l. annus* 6. *in fin. ff. de calumn.* ac proinde non debet currere probabiliter ignoranti vacationem.

40

2. Ob eandem rationem etiam semestre istud non currit juste impedito; estque perinde, sive deinde impedimentum istud sit juris, sive facti; *c. quia diversitatem cit. et* Abb. *ib. n.* 3. Imol. *n.* 4. Vivian. *princ.* Barb. *n.* 1. Fagn. *n.* 1. Gonz. *n.* 5. *et seq.* Vvagn. *reg.* 1. Van-Espen. *c.* 5. *cit. n.* 6. Pirh. *hic n.* 31. *not.* 2. *Proceditque hoc*, etsi collator ob propriam culpam in tale impedimentum, v. g. suspensionem inciderit, modo sic suspectus non sit in culpabili mora petendi absolutionem a suspensione. Colligitur ex *cap. quia ad diversitatem cit.* ubi licet episcopus ob propriam culpam suspensus fuerit, tamen pontifex decrevit illi pro collatione beneficiorum tempus servandum integrum. *Ratio est*, quia regulariter non causa mediata, sed immediata respici debet; *arg. can. de occidendis* 8. *caus.* 23. *q.* 5. *Excipitur*, si collatio beneficii ad episcopum, et capitulum simul spectet; tunc enim suspenso, vel excommunicato episcopo, beneficia hujusmodi conferuntur a capitulo, nec exspectanda est absolutio episcopi; *c. un. ne sed. vacant.* Fagn. *in c. quia diversitatem cit. n.* 15.

Ad argumentum *n.* 39. allatum negatur paritas; nam in textibus *cit.* tempus praefixum est, non in odium negligentiæ, sed in favorem uxoris, ne diu impediatur transire ad nova vota; et defuncti, ne executio ultimae voluntatis diu nimis differatur. Unde principium illud, quod ignoranti, vel impedito tempus non currat, intelligendum est, si tempus sit præfixum in odium negligentiæ; nam si praefixum sit in merum favorem alterius, etiam impedito, et ignoranti currit; Abb. *in c.* 5. *cit. n.* 3. Imol. *n.* 4. Pirh. *not.* 3.

41

Dub. 2. quale sit tempus, quod præfixum est collationi beneficiorum, continuum, an utile? Resp. sub aliquo respectu esse utile, sub alio continuum. *Utile est*, quia non currit impedito, et ignoranti, ut hactenus ostensum est. *Continuum autem*, quia currit etiam diebus feriatis; Abb. *in c.* 2. *h. t. n.* 11. Fagn. *ib. n.* 27. *et* 28. Pirh. *n.* 32. *not.* 6. Quare hi sex menses computantur de momento ad momentum, a tempore sc. scientiae, seu notae vacationis: ita, ut si beneficium vacavit, ejusque vacatio fuit nota 1. maji hora 9. antemeridiana, conferri possit usque ad 1. nov. hor. 9. et non post illam; Garc. *p.* 10. *de benef. c.* 2. *n.* 43. Sanch. *l.* 2. *de matr. D.* 24. *n.* 16. Barb. *in c.* 5. *cit. n.* 11. Van-Espen *J.E.U. p.* 2. *t.* 21. *c.* 5. *n.* 5. Pirh. *l. cit.*

42

Porro menses hoc casu computari debent, secundum quod occurrunt, ita, ut quod ex primo mense deficit, accipiendum sit ex ultimo: cons. si beneficium vacat 8. febr. semestre finietur septimo julii, etiamsi annus sit bissextilis; quia in favorabilibus dies duo mensis bissextilis computantur pro uno, prout *l. cit.* advertunt Garc. *n.* 42, Sanc. *n.* 15. *et* 16. Pirh. *l. cit.*

Alleganti autem impedimentum, vel ignorantiam, ut post semestre conferre beneficium possit, incumbit probatio, si sit collator ordinarius; quia cum singulis annis teneatur dioecesim suam visitare, praesumitur habere notitiam beneficiorum in ea vacantium: ac proinde dicti sex menses computari debent ab eo tempore, quo scire potuit, ac debuit collator, seu episcopus ea vacare; Abb. *in c.* 5. *cit. n.* 7. Garc. *n.* 27. *et duob. seq.* Barb. *de offic. episc. alleg.* 58. *n.* 6. Scham. *hic n.* 11. Pirh. *n.* 32. *infin.*

43

Dub. 3. quae sit pœna non conferentium beneficia vacantia intra tempus a jure praescriptum? Resp. Est, quod potestas conferendi pro illa vice devolvatur ad superiorem, qui proinde non tantum conferre ejusmodi beneficium devolutum potest, sed etiam inducere in possessionem illius, vel saltem praecipere, ut provisus in eam inducatur, ut notat Abb. *in c. ex parte* 10. *h. t. n.* 2. Pirh. *hic n.* 42. quia inductio in possessionem accessorie consequitur ad jus per legitimam collationem acquisitum. Neque semestre lapso, amplius licet purgare moram, etiamsi superior jure devolutum nondum contulerit, ut bene aliis *cit.* advertit Fagn. *in c. nulla cit. n.* 26. ex ratione, quia per lapsum temporis in continenti devolvitur potestas ad superiorem: quo fit ut neque liceat petere in integrum restitutionem.

44

Fit autem devolutio ista gradatim ab inferiore ad proximum superiorem; et hinc si collator inferior episcopo sit negligens, devolvetur potestas conferendi ad episcopum, ab isto ad archiepiscopum, ab archiepiscopo ad primatem, vel patriarcham, ab hoc denique ad papam ut dictum est *lib.* 1. *t.* 10. *de suppl. negl. Excipitur* 1. quando superior dolose procuravit illam negligentiam; tunc enim ex negligentia inferiorum ad superiorem potestas non devolvitur; Barbos. *in c.* 15. *h. t. n.* 4. *Ratio est*, quia quando quis ex aliquo eventu praetendit lucrum, eo carere debet, si constet per ejus dolum hunc casum evenisse, et per eum fuisse procuratum. *Excipitur* 2. quando beneficium, vel ecclesia conferenda est exempta, et immediate subjecta summo pontifici; tum enim distinguendum est inter episcopatus, et praelaturas alias, quae nullius sunt diœcesis, et inter beneficia, et ecclesias exemptas sitas in dioecesi alicujus episcopi. Nam *priorum* collatio pro ea vice devolvitur immediate ad summum pont. *cap. cum singula* 32. §. *prohibemus ibi: per sedem apostolicam de praeb. in* 6. *Posteriorum* collatio devolvetur adhuc ad episcopum, tanquam sedis apostolicae delegatum; *Clem. un. de suppl. negl.*

45

Dub. 4. quid requiratur, ut jure devoluto beneficium vacans conferri possit? Resp. 1. requiritur, ut beneficium illud sit vere vacans; et hinc quia beneficia ecclesiae non numeratae non vacant, sed cum beneficiario extinguuntur, in illis etiam non est locus devolutioni, prout sumitur *ex c. ex parte* 10. *h. t.* et notat Fagn. *in c.* 2. *h. t. n.* 30. Pirh. *hic n.* 41.

2 Ut sit superior, non qualiscunque, sed is, ad quem spectat potestas confirmandi electum, vel instituendi praesentatum. Et hinc, quia hodie electos ad episcopatus plerumque non archiepiscopus, sed papa confirmat, jus eligendi ob negligentiam capitularium non ad archiepiscopum, sed ad papam devolvitur, etiam in Germania nostra vi concordatorum, et multo magis in iis regnis, in quibus jus eligendi episcopum capitulis cathedralibus ademptum est; Laym. *de elec. prael. q.* 98. Pirh. *hic n.* 38. *not.* 2.

46

3. Ut tempus collationi a jure praefixum finitum sit; nam si superior papa inferior ante istius finem beneficium vacans conferret, collatio foret nulla ob defectum potestatis in conferente, ita quidem, ut collatio hujusmodi etiam non convalescat, postea facta devolutione: sed necesse erit, ut postquam ad ipsum jus conferendi beneficium devolutum est, illud denuo conferat; quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui dare, vel donare non potest; Azor. *p.* 2. *l.*

6. *c.* 27. *q.* 6. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 31. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 13. *n.* 118. Zoes. *hic n.* 7. Pirh. *n.* 34. *not.* 3. *Proceditque hoc,* etsi is, qui jure devoluto contulit, e. g. episcopus, antequam ad eum jus illud devolveretur, haberet potestatem illud conferendi jure ordinario; adhuc enim collatio jure devolutionis facta invalida est: cujus ratio est, quia, quod potuit, sc. conferre jure ordinario noluit, quod autem voluit, sc. conferre jure devolutionis, adimplere nequivit; *c. cum super* 23. *de offic. deleg. l. multum* 6. *vers. si vero c. siquis alteri, vel sibi etc.* Rebuff. *prax. ben. t. de devolut. n.* 52. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 13. *n.* 118. Pirh. *hic n.* 34. *not.* 3. quamvis alii oppositum teneant apud Azor. *c.* 27. *cit. q.* 15, quia si non fecit quod voluit, certe fecit quod potuit. Plura de devolutionibus vide *lib.* 1. *t.* 10. *de suppl. negl. a n.* 2.

TITULUS IX.

Ne sede vacante aliquid innovetur.

SUMMARIUM

1 *Quœnam causæ, et negotia pertractari a capitulo, sede vacante possint? Rationes dubitandi.*

2 *Deciditur permissa eidem esse omnia, quæ pertinent ad potestatem episcopi ordinariam, nisi excepta sint.*

3 *Non vero illa, quæ episcopo competunt ex speciali privilegio, delegatione, etc.*

4 *Solvuntur objectiones.*

5 *Potestas praelati sede vacante transit ad conventum regularem, quoad ea, quæ pertinent ad disciplinam regularem.*

6 *Quoad cetera, nisi monasterium sit pleno jure exemptum, ad episcopum.*

7 *Capitulum sede vacante debet eligere vicarium generalem, qui spiritualia, et unum vel plures oeconomos, qui temporalia nomine capituli administrent.*

8 9 *Notanda circa horum constitutionem, et officium.*

10 *Penes quem in actu secundo sit potestas competens capitulo regulari vacante sede?*

11 *Capitulum sede vacante non potest conferre beneficia, quorum collatio libera pertinet ad solum episcopum.*

12 *Potest illa, quae pertinent ad collationem episcopi, et capituli simul.*

13 14 15 16 17 *Et alia, quorum collationes sunt necessariae.*

18 19 20 *An capitulum conferre possit beneficium, quod episcopus conferre debet cum consilio, vel consensu capituli?*

21 22 23 24 *An, et quales beneficiorum resignationes admittere?*

25 26 27 *An ecclesias, vel beneficia unire?*

28 *Aut unitas dissolvere?*

29 *Canonicatum, vel praebendam aliquam supprimere?*

30 31 32 33 *Quinam actus in specie vi jurisdictionis ad se translatae eidem competant?*

34 35 36 37 *In quibus actibus episcopo non succedat?*

38 39 40 *An pro morum reformatione constituere possit visitatorem dioecesis?*

41 42 43 *An visitare monasteria monialium exempta?*

44 *Concedere indulgentias?*

45 *Cognoscere de crimine haeresis?*

46 *An capitulum metropolitanae succedat in jurisdictionem archiepiscopi?*

47 *An vocari debeat ad synodum provincialem?*

48 49 50 51 52 *Quid possit circa alienationem bonorum?*

53 54 *An litem super iisdem inchoare, vel prosequi?*

55 56 57 *Quibus casibus?*

58 *An possit bona pertinentia ad mensam episcopalem transferre ad suam?*

59 *An episcopo succedat etiam in jurisdictione feudali?*

I

Quia in dies accidit cathedrales ecclesias suis pastoribus ex hac luce subtractis viduari, ne tempore vacaturae, dum nemo est, qui episcopale jus tueatur, detrimentum patiatur ecclesia vacans, hic pro regula traditur, *sede vacante non esse aliquid innovandum*, sed omnia in suo statu relinquenda usque ad confirmationem novi episcopi. Huic regulae e diametro adversari videtur altera aeque communis, quae desumitur ex *cap. his, quae* 11. *et cap. cum olim* 14. *de major. et obed.* item *cap. ad abolendam* 9. *de haeretic.* quod videlicet sede vacante jurisdictio episcopi transeat in capitulum ecclesiae cathedralis. Unde cum regulae istae sibi contradicere videantur, *titulo praesenti* disquiritur, ad quae tunc temporis potestas capituli episcopum suum repraesentantis extendatur?

Quaeritur 1. quaenam causae, et negotia pertractari a capitulo, sede vacante, possint? Gloss. *in Clem.* 1. *V. capituli de haeretic.* Archidiacon. *in can. pontifices* 4. *caus.* 7. *quaest.* 1. Abb. *in rubric. hic*, Lambertin. *de jur. patron. l.* 1. *p.* 1. *quaest.* 2. *art.* 9. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 2. volunt, capitulo, sede vacante, prohibita esse omnia, quaecunque ei specialiter concessa non reperiuntur: adeoque si capitulum velit aliquem actum exercere, putant ei incumbere onus probandi, quod ille actus sibi sit a jure permissus. *Moventur* 1. generalitate propositae rubricae, *ne sede vacante aliquid innovetur*: quae verba simpliciter prohibitiva sunt, et cons. videntur innuere, sede vacante, circa ea, quae ecclesiam, istiusque praelatum concernunt, nihil innovari, vel mutari a capitulo aut debere, aut posse, nisi quod ipsi a jure expresse concessum est. 2. *cap. novit* 1. *h. tit.* ubi sede vacante innovatio fieri prohibetur ex ratione, quod tum *non sit, qui episcopale jus tueatur*; quae ratio generalis est, et cons. afficit quamcunque innovationem, quae de jure permissa non reperitur. 3. *cap. illa* 2. *eod.* ubi Honorius III. negat a capitulo conferri posse beneficia ad collationem episcopi pertinentia, et addit rationem; quia *nuspiam invenitur cautum in jure, quod capitulum vacante sede fungatur vice episcopi in collationibus praebendarum.* 4. Potestas generalis capituli, dum vacat ecclesia, nec fuit necessaria eidem, nec utilis: necessaria quidem non fuit, quia si in iis, quae a jure specialiter indulta non sunt, aliquid innovari expediat, ad sedem apostolicam recurri, et licentia impetrari potest; *arg. cap. un. de cleric. aegrot. in* 6. utilis non fuit, quia talis concessio ansam praeberet, capitulo protelandi electionem novi praelati cum damno ecclesiarum, et periculo animarum; *cap. ne pro defectu* 41. *de election.*

2

Sed distinguendum est inter ea, quae episcopo competunt jure ordinario, et tanquam episcopo, et inter illa, quae eidem competunt ex speciali privilegio, commissione, vel ut sedis apostolicae delegato. *Illa, quae primi sunt generis,* capitulo, sede vacante permissa censentur omnia, iis duntaxat exceptis, quae eidem expresse prohibita inveniuntur. Ita gloss. *in cap. cum olim* 41. *V. capitulo de major. et obed.* Gutier. *qq. can. l.* 1. *cap.* 11. *n* 10. Molin. *tract.* 5. *de J. et J. D.* 11. *n.* 13. Quarant. *summ. bullar. V. capitulum sede vacante n.* 1. Leo *thes. for. eccl. p.* 1. *cap.* 10. *n.* 8. *vers. capitulum*, Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. §. 4. *n.* 12. Barbos. *l.* 1. *jur. eccl. cap.* 32. *n.* 61. Sperell. *decis.* 111. *n.* 39. Vvagn. *in cap.* 2. *h. tit. not.* 8. Pirh. *tit. de major. et obed. n.* 44. in hoc sibi contrarius, Pignatell. *tom.* 9. *cons.* 159. Leuren. *p.* 3. *for. benef. q.* 391. *n.* 3. Van-Espen. *J. E. U. p.* 1. *tit.* 9. *cap.* 1. *n.* 2. Praepositi. Frising. *tom.* 1. *cons.* 5. *n.* 69. Honor. *hic n.* 6. *et* 7. Engl. *n.* 1. Vviestner *n.* 4. clariss. P. Schmier *p.* 1. *de person. eccl. cap.* 4. *n.* 50. *et* 61. Sumitur 1. ex *cap. his*, *quae* 11. *cap. cum olim* 14. *de major. et cap. un. eod. in* 6. ex quorum textuum, praesertim ultimi, dispositione capitulum praelato, sede vacante, succedit in iis, quae praelato competunt, praeterquam in aliquibus specialiter exceptis. 2. Ex *cap. si episcopus* 3. *et cap. fin. de supp. negl.* ubi casu, quo sedes aut ficte per episcopi captivitatem, aut vere per ejus mortem vacat, capitulo administratio in temporalibus, et spiritualibus aperte adstruitur, nisi ecclesiae a sede apostolica aliter provideatur. 3. Ex trid. *sess.* 24. *cap.* 16. *de reform.* ubi sacra synodus vult, ut a capitulo, sede vacante, constituatur oeconomus, qui temporalia, et officialis, seu vicarius generalis, qui spiritualia nomine capituli administret: cons. supponit in capitulo sede vacante potestatem generalem administrandi quoad omnia non prohibita. 4. Ex *ratione*; quia istud utilitas ecclesiae exigit, ne dum vacat, ipsa in rebus suis, aut animae etiam detrimentum patiantur. 5. Denique quia regula generalis desumenda est ex pluribus. Atqui capitulum, sede vacante, multo plura potest ex iis, quae ad potestatem episcopi ordinariam pertinent, quam ei prohibita inveniantur. Ergo etc.

3

Contra de iis, quae secundi generis sunt, dicendum illa, sede vacante, ad capitulum non transire; sed locum habebit regula, quod sede vacante, nihil sit innovandum, nisi specialiter id sit permissum. Ita Abb. *in cap. cum olim cit. n.* 3. Decius *in cap. quoniam* 14. *de offic. delegat. n.* 3. Quaranta *V. capitulum sed. vac. n.* 1. Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. §. 4. *n.* 14. Barbos. *jur. eccl. l.*

1. *cap.* 32. *n.* 104. Dian. *p.* 8. *tract.* 4. *res.* 2. Van-Espen *p.* 1. *tit.* 9. *cap.* 2. *num.* 1. *Proceditque hoc* 1. etsi delegatio facta sit episcopo ab ipso jure communi canonico, vel concilio generali; gloss. *in cap. ad abolendam* 9. *V. delegatis de haeret.* Franc. *in cap. un. de major. et obed. in* 6. *n.* 6. *not.* 5. Pirh. *tit. eod. n.* 48. quia censetur delegatio talis facta dignitati, in quam capitulum sede vacante non succedit. *Excipitur*, si jurisdictioni episcopi aliquid ita commissum sit, ut ex officio deinceps competat episcopo; nam hoc casu censendum in dubio capitulum succedere episcopo, nisi aliud colligatur ex mente delegantis; Barbos. *l.* 1. *jur. eccl. cap.* 32. *n.* 107. *Ratio est*, quia tunc ejusmodi jurisdictio censebitur accessoria, imo pars totius jurisdictionis episcopalis, cui ita annexa est; cons. cum hac sede vacante transibit ad capitulum. *Procedit* 2. etiamsi alias competeret jure ordinario, si addatur, *episcopum etiam tanquam sedis apostolicae delegatum posse procedere*; quamvis enim particula *etiam* hoc casu videatur involvere utramque potestatem, ordinariam, et delegatam, adhuc tamen tali casu episcopus ex delegata potestate censebitur procedere, cujus indicium est, quod ab ejus sententia hoc casu ad summum pont. indistincte appelletur: cons. potestas hujusmodi actus exercendi non competet vacante sede capitulo. *Excipitur*, si necessitas expetierit; tunc enim etiam in casibus, in quibus episcopus debuisset procedere, ut sedis apostolicae delegatus, ejus vices supplere potest capitulum secundum vulgatum axioma, quod in casu necessitatis recedatur a jure communi, et quod non est licitum in lege, id licitum plerumque necessitas faciat; Engl. *hic num.* 3.

4

Neque contrarium probant argumenta opposita. *Ad* 1. Rubrica praesens se habet instar edicti prohibitorii. Atqui edicto prohibitorio, hoc ipso, quia odiosum est, censentur prohibita tantum illa, quae eodem exprimuntur, cetera autem, quae vel illo edicto, vel aliis juris textibus prohibita non reperiuntur, censentur permissa; *c. cum apud* 23. *de sponsal. l. mutus* 43. §. *cum quaeretur* 1. *ff. de procurat.* gloss. *ibid. V. hoc edictum*, Host. *summ. de sponsal. n.* 9. *pr.* Vviestn. hic *n.* 5. *Ad* 2. ratio adjecta textui satis indicat, prohibitionem illam intelligendam dumtaxat de casu, quo per innovationem episcopo futuro crearetur praejudicium aliquod. *Ad* 3. *ut infra n.* 11. dicetur, beneficiorum collatio specialiter prohibetur capitulo; quia inter episcopalis dignitatis fructus enumeratur, qui ex speciali dispositione juris custodiri, et servari successori debent; *can. haec hujus* 38. *caus.* 12. *q.* 2. *c. cum vos* 4. *de offic. ordin. c. quia saepe* 40. *de elect. in* 6. *Ad* 4. potestas ista necessaria si-

mul, et utilis est: necessaria; quia recursus ad sedem apostolicam, praesertim ex dioecesibus valde remotis ab urbe, est valde difficilis; utilis autem, ut sit, qui in difficultatibus occurrentibus facere decisionem possit. Ceterum non est periculum, ne capitulum ex amplitudine potestatis sibi concessae accipiat ansam protelandi electionis negotium, cum ipsi praefixum sit a jure tempus, ultra quod si electionem, legitimo impedimento cessante, differat, ob negligentiam ejus potestas eligendi ad superiorem devolvitur.

5

Dub. 1. an potestas, et jurisdictio praelati sede vacante etiam transeat ad conventus, et capitula regularia? Resp. affirmative. Ita Innoc. *in c. dilectus* 8. *de consuet. n.* 1. Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 5. *et in c. fin. de stat. monach. n.* 8. *et* 9. Engl. *hic num.* 16. Konig *n.* 7. clariss. Schm. *p.* 1. *de person. eccl. c.* 4. *n.* 53. et apud hunc rota *in recent. p.* 1. *decis.* 346. *n.* 1. *et seqq.* Colligitur 1. ex *c. fin. de regular. in* 6. ubi susceptio monachorum ad professionem, sede vacante, dicitur ad conventum pertinere, si de consuetudine pertineat ad praelatum simul, et conventum. 2. Ex *clem. ne in agro* §. *siquis autem vers. siqui de stat. monach.* ubi collatio beneficiorum, abbate suspenso, tribuitur conventui. 3. Ex *ratione*; quia major est communio jurium, et bonorum inter praelatum, et capitulum regulare, quam inter episcopum, et capitulum cathedrale. Igitur sicut ob istam communionem capitulum cathedrale in jurisdictione administranda succedit episcopo, ita etiam succedet praelato capitulum regulare.

6

Intelligendum autem hoc solum est quoad ea, quae pertinent ad disciplinam regularem; nam quoad cetera distinguendum est inter ecclesias regulares (idem dic de collegiatis) pleno jure exemptas, et inter non exemptas. Nam *in ecclesiis pleno jure exemptis* capitulum sede vacante omnem jurisdictionem, et potestatem habet, quam ordinario jure habebat ipse praelatus, ut notat Pirh. *tit. de major. et obed. n.* 58. *Ratio est*, quia tales ecclesiae acquiparantur cathedralibus. Secus, *si non sint exemptae*; nam in his a praelato sede vacante jurisdictio ad episcopum transit. Estque hoc verum, etsi ejusmodi praelatus jurisdictionem dignitati suae annexam in clericos sibi subjectos obtineat privative, i. e. excluso episcopo, ut cum Felino advertit Pirh. *loc cit. n.* 59. *Ratio disparitatis est*, quia si in exemptis capitulum in jurisdictione non succederet, non adesset alius, qui posset in defectum providere ecclesiae; at in non exemptis adest episcopus, qui providere possit.

7

Dub. 2. an capitulum ea, quae ad jurisdictionem, et administrationem episcopalem pertinent, sede vacante per seipsum, an per alium, et per quem tractare debeat? Resp. Jure antiquo poterat exercere illam per seipsum; at jure novo ex decreto trid. *sess.* 24. *c.* 16. *de reform.* pro administratione temporalium oeconomum unum, vel plures, pro spiritualium vero officialem, sive vicarium constituere, vel existentem confirmare debet, qui nomine capituli administrationem istarum in se suscipiant. Ratio sic statuendi fuit, ne ex capituli administratione communi ecclesia, ut plerumque solet, in rebus suis facile patiatur detrimentum, cum usu compertum sit, naturali quodam vitio ea, quae communiter possidentur, et administrantur, communiter negligi; *l. meminimus 2. princ. vers. naturale C. quand. et quib. quart. deb.*

8

Circa constitutionem, officium, et potestatem sequentia sunt notanda. 1. Vicarius pro spiritualibus a capitulo constitui, vel confirmari debet intra octo dies; alias istius deputatio devolvetur ad metropolitanum, aut si metropolitana ecclesia sit, pro qua constitui debeat, ad antiquiorem episcopum ex suffraganeis, prout statuit Trid. *l. cit.*

2. Deputationi oeconomi nullum certum tempus a concilio statutum est; praxis tamen ordinaria, teste Fermosin. *q.* 15. *n.* 13. habet, ut deputetur etiam ipse intra octo dies a capitularibus ad vicarii electionem deputatis. Idem dicendum de judicibus foraneis, ac pedaneis, aliisque officialibus, et administratoribus, quos regimen dioecesis exposcit.

3. Infra octo illos dies, intra quos vicarius eligi a capitulo, vel confirmari debet, antequam iste eligatur, administratio jurisdictionis residet penes totum capitulum; Quarant. *summ. bullar.* §. *duodecimo quaero vers. primo.* Barb. *de offic. episc. alleg.* 54. *n.* 163. *et jur. eccl. l.* 1. *c.* 32. *n.* 29. Leur. *p.* 2. *for. benef. q.* 715. *n.* 2. *et* teste Barbosa decisum est a s. congreg. concil. *sub die* 19. *sept.* 1620.

9

4. Officium oeconomi in eo situm est, ut res, et jura ecclesiae servet illaesa, sive in eo statu, in quo fuerunt tempore inductae vacationis: item ut colligat, et custodiat fructus, ac reditus ejus, qui decessit, in praelatura successori, cui etiam, si id exigat, administrationis suae rationem tenetur reddere, etsi illam jam reddidisset capitulo, ex *declar. card.* apud Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 7. *n.* 23. *declar.* 11.

5. Eadem obligatio reddendi rationes officii sui, si id successor petat, incumbit vicario generali capituli, et aliis judicibus, ac officialibus, qui sede vacante constituti, vel confirmati sunt. Vide *libr.* 1. *tit.* 28. *n.* 33. *et praecedentes*, ubi plura de officio, et potestate vicarii assumpti a capitulo sede vacante.

10

Dub. 3. penes quem in actu secundo sit potestas competens capitulo regulari vacante sede? Resp. Paritas rationis probat, etiam hanc a capitulo regulari debere exerceri per alium. Sed quemnam illum? an per priorem, praepositum, vel decanum claustralem, an per aliquem de novo eligendum? Puto respondendum cum distinctione, an superiores hujusmodi a solo praelato, an vero etiam a capitulo regulari sint constituti.

Si primum, praescindendo a consuetudine, et inhaerendo juri communi officium, et potestas talis prioris, praepositi, vel decani claustralis praelati regularis morte extinguitur: et hinc ut continuare officium suum possint, opus est, ut a conventu confirmentur, quod etiam plerumque fit. Ratio sumitur ex *c. romana* 1. *de offic. vicar. in* 6. ubi statuitur, quod exspirante, vel suspenso officio judicis superioris, vel principalis, exspiret, et suspendatur etiam officium et potestas eorum, qui *jurisdictionem tantum recipiunt ab eodem*, ut textus loquitur.

Si secundum, officium illorum nec praelati morte exspirat, nec suspensione suspenditur; Abb. *in cap.* 1. *h. tit. n.* 5. Tambur. *tom.* 2. *de jur. Abb. D.* 1. *q.* 4. *n. ult. in fin.* clariss. P. Schmier *p.* 1. *de person. eccl. c.* 4. *n.* 53. *et seqq.*

11

Quaeritur 2. an, et quae potestas capitulo sede vacante competat circa beneficia? *Et* 1. *quidem dubitatur*, an, et quando ea possit conferre? Resp. hic videndum, an ea sint collationis liberae, an vero necessariae. *Si liberae collationis sint*, iterum distinguendum, an collatio illorum competat soli episcopo, an vero spectet ad episcopum, et capitulum simul. *Si primum*, conferre illa capitulum sede vacante nequit; *c. illa* 2. *h. tit. c. un. eod. in* 6. *et c. etsi* 1. *de instit. in* 6. sed eorum collatio per *reg.* 2. *cancell.* est reservata summo pontifici, in Germania vero per concordata ad episcopum successorem pertinet. *Ratio est* 1. quia collatio libera beneficiorum est gratia, et donatio quaedam, *c. fin. de offic. vicar. in* 6. saltem quatenus uni potius, quam alteri clerico fit, a donationibus autem capitulum sede vacante abstinere debet, ut *infra n.* 50. dicetur: ergo etc. 2. Collatio libera inter episcopalis dignitatis fructus connumeratur, ut notat gloss. *in c. cum olim* 14. *V. capitulo de major. et obed.* sed ca-

pitulum sede vacante fructus, qui ad dignitatem episcopalem pertinent, non potest distrahere, sed eos fideliter custodire, et futuro successori servare debet; *cap. cum vos* 4. *de offic. jud. ordin. et cap. quia saepe* 40. *de elect. in* 6. 3. Ea tantum, sede vacante, potest capitulum, quae fieri possunt sine praejudicio episcopi successoris. Atqui talis collatio libera necessario cederet in praejudicium episcopi successoris, saltem ibi, ubi *regul. 2. cancell. cit.* non viget; ergo etc.

12

Si secundum contingat, et collatio beneficii pertineat ad episcopum, et capitulum simul, potest capitulum, episcopo mortuo, vel a collatione beneficiorum suspenso, illa conferre, sicut vicissim conferre eadem episcopus potest, si capitulum suspensum sit, aut prior capitularium pars excommunicatione ligata, vel aliter impedita, ut habetur *c. un. princ. h. tit. in* 6. *Ratio est*, quia episcopus, et capitulum quoad ea, quae ab ipsis simul, seu communiter facienda sunt, unum corpus esse censentur; *c. novit.* 4. *de his, quae a praelat.* et ideo uno illorum deficiente, vel facto inhabili ad actum conferendi, jus conferendi devolvitur ad alterum; gloss. *in c. un. cit. V. etiamsi in addit. Procedit autem hoc* solum casu, quo episcopus, vel capitulum est in mora, et intra tempus a jure collationi beneficii vacantis praefixum non obtineret absolutionem ab excommunicatione, vel suspensione, cum posset; cum enim nec episcopus, nec capitulum tempus pro beneficii collatione indultum abbreviare possint, aut se invicem urgere ad citius conferendum, non antea ab episcopo suspenso, vel excummunicato ad capitulum, aut vicissim ab hoc ad illum devolutio fiet, quam si ultimo tempore ad conferendum concesso adhuc duret suspensio, vel excommunicatio, ut recte notat Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 11.

13

Dub. 2. quid capitulum sede vacante possit quoad collationes beneficiorum necessarias? Resp. In his succedit episcopo, ut proinde exspectare non debeat tempus sedis implendae; *c. cum olim* 14. *de major. et c. etsi* 1. *de instit. in* 6. *Ratio est*, quia ejusmodi collationes sunt actus jurisdictionis necessariae, quae vacante sede penes capitulum residet, ut exploratum est apud omnes. Et hinc capitulum sede vacante potest

1. Praesentatos sibi a patrono clericos instituere; electos confirmare, vel etiam electionem infirmare; *c. cum olim, et c. etsi cit.* Abb. *in c. 2. h. tit. n.* 6. Barbos. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 32. *n.* 95. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 29. *n.* 9. Leur. *p.* 2. *q.* 170. *n.* 1. Van-Espen *p.* 1. *tit.* 9. *c.* 2. *n.* 3. *Proceditque hoc* etiam casu, quo plures simul, aut successive a patrono laico ad idem beneficium prae-

sentati sunt : item casu , quo patronus neminem praesentavit , sed capitulo potestatem concessit conferendi beneficium vacans, cui voluerit. *Neque refert*, quod tali casu exerceat actum gratiae , et liberalitatis ; hoc enim facit per accidens , et ex concessione saltem tacita ipsius patroni, qui plures , vel nullum praesentando censetur in capitulum transtulisse potestatem deligendi , quem ex praesentatis voluerit. Ita Pal. *n.* 9. *cit.* Gonz. *in c.* 2. *h. tit. n.* 5. Vallens. *hic n.* 4. Honor. *n.* 17. contrarium tamen defendit Lotter. *l.* 2. *q.* 2. *num.* 34.

14

2. Potest conferre beneficia , quae vi institutionis , seu fundationis debentur alicui certae personae , v. g. clerico seniori ex familia fundatoris ; quia talium beneficiorum collatio respectu ejusmodi personae necessaria est; et gratia est non tam episcopi conferentis, quam ipsius fundatoris talem clericum praeferentis extraneo, vel remotiori; Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 7. *n.* 73. Dian. *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 26. Gonzal. *in c.* 2. *h. tit. n.* 5. Van-Espen *c.* 2. *cit. n.* 3. Pirh *de major. et obed. n.* 54. Vvies. *hic n.* 28. Aliud esset, si beneficium non certae personae, sed certo tantum personatum generi, e. g. familiae certae deberetur ; hujus enim beneficii collationem , cum libera, et respectu collatarii gratiosa sit, capitulum sede vacante non potest facere, ut notat Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 45. *n.* 19. Pal. *p.* 29. *cit. n.* 13. Vvies. *n.* 28.

15

Potest probabiliter conferre beneficia, quae propter negligentiam, seu culpabilem moram collatoris inferioris ad episcopum sunt devoluta; Lambertin. *l.* 2. *de jur. patron. p.* 3. *q.* 2. *art.* 8. *n.* 6. Molin, *tr.* 5. *de just. D.* 11. *n.* 12. Zerol. *prax. episcop. p.* 1. *V. capitulum* §. 5. Dian. *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 27. Vvagn. *in c.* 2. *h. tit. not.* 6. Passerin. *in c. un. eod. in* 6. *n.* 14. Leur. *p.* 2. *for. benef. q.* 712. *n.* 1. Zypaeus *in analys. hic n.* 7. Honor. *n.* 17. Engl. *n.* 5. Konig *n.* 6. Vvies. *n.* 29. *Ratio est*, tum quia beneficii devoluti collatio videtur esse actus jurisdictionis necessariae ; tum quia non est proprius fructus episcopatus , sed eidem per accidens advenit , et episcopo data est non tam in favorem episcopi , quam in bonum ecclesiarum , et animarum. Contrarium tamen defendunt Garc. *c.* 7. *cit. n.* 42. Pal. *p.* 29. *n.* 10. Barb. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 32. *n.* 110. *vers. verum*, Pirh. *de major. n.* 54. Zoes. *hic n.* 3.

16

Potest conferre beneficia vacantia ex causa permutationis, quando haec necessaria est, vel quando illorum ex tali causa resignationem jam admisit episcopus, sed morte praeventus ea conferre non

potuit, ut *infra tit.* 19. statuetur, et notat Leur. *p.* 2. *q.* 713. *n.* 1. Vallens. *hic n.* 8. Vviest. *n.* 29. quia hujusmodi collatio est actus jurisdictionis necessariae. Aliud foret, si resignatio nondum fuisset acceptata ab episcopo defuncto: tunc enim collatio talis beneficii permutati reservari deberet episcopo successori; quia etsi beneficium ita permutatum necessario conferri debeat ei, cum quo permutatum est, necessitas tamen haec non absoluta, sed consequens solum est ex permutatione acceptata; Leur. *q.* 713. *cit.*

17

5. Potest capitulum, vacante sede, beneficii vacantis curam, et administrationem alicui clerico idoneo, assignato illi stipendio congruo, ad sex menses commendare: quod tempus etiam, si intra illud episcopus non eligatur, vel confirmetur, prorogare ulterius valet, donec beneficium ab episcopo futuro conferatur alicui; Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 4. *n.* 13. Barbos. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 32. *n.* 94. Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 22. Leur. *p.* 1. *q.* 171. *n.* 2. *fin. et p.* 2. *q.* 711. *n.* 2. Vallens. *hic n.* 4. Pirh. *n.* 11. Vviest. *n.* 29. *Ratio est*, quia hoc ad ordinariam, quin et necessariam jurisdictionem, et ecclesiae gubernationem spectat, ut in beneficiis vacantibus interim, dum beneficiarius constituatur, cura, et administratio commendetur alteri.

18

Dub. 3. an capitulum sede vacante conferre possit beneficium, quod ad collationem episcopi quidem spectat, sed non omnino liberam, quod in erectione illius cautum sit, ut illud episcopus conferat cum consilio, vel consensu capituli? Resp. negative. Ita statuitur *c. un.* §. *cum vero h. tit. in* 6. et notat Alagon. *ibidem* Vivian. *in ration.* Franc. *n.* 4. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 29. *n.* 8. Barbos. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 32. *n.* 110. Passerin. *in c. un. cit. n.* 18. Vvagn *in c.* 2. *h. tit. not.* 5. Leur. *p.* 2. *q.* 708. *n.* 2. Honor. *hic n.* 16. Zeos. *n.* 4. Pirh. *n.* 14. Schamb. *n.* 7. Konig *n.* 6. *vers. dicitur tertio.* Vviest. *n.* 26. *Ratio est*, quia consensus iste vel consilium non efficiunt provisionem beneficii communem cum capitulo.

19

*Procedit*que *hoc*, etiam de beneficio, quod vacat tempore suspensionis episcopi, nisi hic in petenda relaxatione suspensionis culpabilem moram traheret: tunc enim distinguendum erit, an collatio beneficii jure proprio ad episcopum spectet, an jure devoluto. *Si proprio jure*, post elapsos sex menses ob negligentiam episcopi potestas conferendi devolvitur ad capitulum; *c. quia diversitatem* 5. *de concess. praeben.* quod potest episcopi negligentiam in conferendo supplere, licet ejus defectum, seu inhabilitatem ad conferendum, ut

quia suspensus est, supplere non possit, ut patet *ex* §. *cum vero cit.* et notat *ibid.* gloss. *V. in mora*, Vivian. *vers. nisi sit mora*, Honor. *n.* 16. *hic* Pirh. *n.* 14.

20

Si vero jure devoluto, quia sc. inferiores collatores negligentes fuerunt, tunc casu, quo episcopus moram traxerit in petenda suspensionis relaxatione, collatio beneficii sic devoluti non ad capitulum, sed proximum superiorem episcopi, videlicet archiepiscopum, vel papam devolvetur; *arg. c. ne pro defectu* 41. *de elect. Ratio est*, quia major est communicatio inter episcopum, et capitulum in his, quae ad episcopum jure proprio pertinent, quam quae jure devoluto, vel aliunde obveniunt; Vivian. Pirh. *l. cit.*

21

Dub. 4. an capitulum sede vacante possit admittere resignationes beneficiorum, quae ad collationem episcopi pertinent? Negant gloss. *in c. fraternitatem* 5. *V. licentiam dist.* 71. Flamin. *de resign. l.* 7. *q.* 23. *n.* 37. *et* 38. Rebuff. *prax. tit. de devol. n.* 94. Quarant. *sum. bullar. V. capitulum sed. vac. n.* 1. *q.* 9. *limit.* 5. Pirh. *de major. et obed. n.* 57. *arg.* Fundantur 1. quia receptio resignationum videtur esse actus jurisdictionis voluntariae. 2. Quia capitulum sede vacante non potest talia beneficia conferre secundum dicta *n.* 11. ergo nec resignationes illorum admittere. 3. Quia resignationis admissio est beneficiati quaedam destitutio. Destituere autem nequit, qui nequit conferre; *arg. c. cum ex injuncto* 12. *in fin. de haeretic.* ubi institutio, et destitutio sacerdotum eidem tribuitur.

22

Sed his non obstantibus, verius est resignationes admitti a capitulo, sede vacante, posse. Ita Flamin. *l.* 7. *de resign. q.* 23. *a n.* 20. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 29. *n.* 15. Barb. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 32. *n.* 96. Leuren. *p.* 2. *q.* 714. *et p.* 3. *q.* 391. *n.* 3. Vviest. *hic n.* 32. *Ratio est*, quia plus est destituere invitum, quam destituere volentem, quod fit per admissionem resignationis; atqui capitulum, sede vacante, potest destituere invitum, prout habetur *extrav. execrabilis Joannis XXII. vers. ceterum de praebend.* ubi recipiens secundum beneficium curatum, primum etiam invitus dimittere cogitur in manibus ordinarii, h. e. episcopi, aut capituli, sede vacante, ut ibi declarat pontifex; ergo etc. *Conf.* quia capitulum, sede vacante, succedit episcopo in omnibus, quae sunt jurisdictionis ordinariae, nisi quae sunt specialiter excepta, ut dictum est *n.* 2. atqui receptio resignationum pertinet ad jurisdictionem episcopi ordinariam, et nuspiam inter casus exceptos ponitur; ergo etc.

23

Proceditque hoc 1. non tantum in resignatione, quae fit in poenam, utpote cujus admissio est justitiae, sed etiam in aliis factis mere voluntariae; quia etiam harum admissio ad jurisdictionem episcopi ordinariam pertinet; Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 3. *n.* 258. citans Sbroz. Pavinum etc. *Procedit* 2. in beneficiis etiam patronatis, si patronus id sciat, et resignationi non contradicat: qui etiam eo ipso consentire videtur, si post factam a capitulo receptionem resignationis praesentet aliquem a capitulo instituendum; Leuren. *p.* 3. *q.* 391. *n.* 4. *Procedit* 3. etsi tale beneficium pertineat ad collationem solius episcopi; nam etiam horum resignationes capitulum, sede vacante, potest recipere, quamvis alteri conferre nequeat; Pal. *p.* 29. *cit. n.* 15. Leuren. *p.* 2. *q.* 714. Et hinc postquam capitulum beneficii, quod ad collationem episcopi solius pertinet, resignationem receperit, ne diu nimis vacare illud contingat, commendare illud clerico idoneo debet, qui ejus curam et administrationem gerat, donec a novo episcopo confirmato alicui in titulum perpetuum conferatur, Dian. *resol.* 4. §. *major.*

24

Neque contrarium probant argumenta partis adversae. *Ad* 1. imprimis admissio resignationis ex justa causa factae est actus jurisdictionis necessariae: et sic, esse actum voluntariae jurisdictionis, etiamsi haec penes capitulum, sede vacante, residet, prout advertunt Garc. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 2. Molin. *tr.* 5. *de just. D.* 11. *n.* 5. et alii praecipui nominis DD. teste P. Vviest. *hic n.* 31. *Ad* 2. conferre beneficia, et recipere resignationes illorum sunt duo diversa, potestque ad unum spectare receptio, ad alium, etiam inferiorem, collatio. *Ad* 3. ut patet ex probatione responsionis *n.* 22. datae, capitulum sede vacante etiam potest destituere.

25

Dub. 5. utrum capitulum, sede vacante, possit unire ecclesias, et beneficia? Negant Pavinus *p.* 2. *q.* 3. *n.* 17. Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 38. *q.* 9. et quidam alii. 1. Quia capitulum derogare nequit juri episcopi; *c. novit* 1. *h. tit.* per unionem autem eidem derogatur, cum ea facta pro duabus collationibus tantum facere possit unam. 2. Capitulum, sede vacante, non potest conferre beneficia; *c. illa* 2. *h. tit.* atqui major est potestas uniendi, cum non competat praelatis inferioribus, quantumvis habeant potestatem beneficia conferendi. 3. Per unionem beneficium, quod unitur alteri, supprimitur, vel extinguitur, aut alienatur. At capitulum supprimere, extinguere, vel alienare beneficium non potest; ergo etc.

26

Sed melius potestatem uniendi beneficia capitulo, sede vacante, adstruunt Felin. *in c. cum olim* 14. *de major. n.* 9. Petr. de Perusio *tr. de union. eccl. c.* 5. *n.* 26. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 9. in hoc sibi contrarius, Garc. *p.* 12. *de benef. c.* 2. *n.* 67. Barbos. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 32. *n.* 98. Leur. *p.* 3. *for. benef. q.* 908. *n.* 3. Pirh. *tit. de major. et obed. n.* 56. Vviest. *hic n.* 34. et alii plures ab his *cit.* modo unio non fiat in favorem capituli, eaque jus episcopi non diminuatur, quod fieret, si huic subjecta ecclesia, vel beneficium uniretur alteri non subjectae ecclesiae, vel beneficio. *Ratio est*, quia unio est actus jurisdictionis ordinariae, non gratiosae, et voluntariae, ut collatio, sed necessariae, cum nonnisi exigente necessitate, vel utilitate suadente fiat.

27

Argumenta allata in contrarium difficultate carent. *Ad* 1. adhuc episcopus etiam post unionem providere utrique ecclesiae potest, ut recte observat Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 12. igitur beneficia per unionem conjungi possunt, quin aliquod jus episcopale pereat. *Ad* 2. esto, potestas uniendi sit major, quam conferendi, adhuc tamen est dispar ratio, propter quam praecipue potestas conferendi prohibetur capitulo vacante sede. *Ad* 2. distinguendum inter extinctionem beneficii, quae fit extra unionem, et inter eam, quae fit per unionem: prior, ut *n.* 29. *infra* dicam, episcopis conceditur sub nomine dignitatis, et propterea ad capitulum sede vacante non transit; illa vero, quae fit per unionem, ad jurisdictionem episcopi ordinariam pertinet, cons. cum ista transit in capitulum.

28

Dub. 6. an capitulum, sede vacante, ecclesias unitas possit dissolvere? *Ratio dubitandi est*, quia vacante ecclesia cathedrali, ut *n.* 26. dictum est, potest fieri ecclesiarum unio. Ergo etiam dissolutio. *Conf.* nam *omnis res*, *per quascumque causas nascitur*, *per easdem dissolvitur* juxta *reg.* 1. *de R. J.* igitur si capitulum potest unionem facere, etiam poterit eamdem solvere.

Sed tenenda est sententia negativa, quam etiam defendit gloss. *in c. novit* 1. *in casu h. tit.* Barbos. *ibid. n.* 1. Pirh. *n.* 5. *et* 6. et colligitur ex *c. novit. cit.* ubi etiam insinuatur ratio; quia *sede episcopali vacante*, *non debet aliquid innovari*, *cum non sit*, *qui episcopale jus tueatur.*

Ad rationem dubitandi negatur *cons.* nam per unionem consulitur utrique ecclesiae, illi, quae unitur; quia paupertas ejus per unionem sublevatur: ei autem, cui unitur, quia per ejusmodi unionem status ejus fit amplior. Contra per dissolutionem unionis utrique

affertur praejudicium ; nam dissoluta unione ecclesiae , cui unio facta est , dignitas , et amplitudo minuitur ; ecclesia unita autem vel in pristinam paupertatem relabitur , vel saltem amittit privilegia , quae per unionem cum digniore obtinuit. Ex quo etiam patet ad *conf.*

29

Dub. 7. an ad capitulum , sede vacante , transeat facultas supprimendi canonicatum , vel praebendam , ut per hujus reditus augeantur proventus aliarum praebendarum , quae ad sustentationem beneficiati sufficientes reditus non subministrant ? Videtur posse; nam etiam episcopus potest , prout eidem conceditur a trid. *sess.* 24. *c.* 15. *de reform.* Sed leve hoc argumentum est ; quia potestas haec episcopo concessa est sub nomine dignitatis , cujus indicium est , quod illa negetur abbatibus, et aliis praelatis tam saecularibus, quam regularibus etiam exemptis , quamvis jurisdictionem ordinariam , et quasi episcopalem habeant : atqui ea , quae sub nomine dignitatis episcopo concessa sunt , ad solos in episcopatu successores transeunt: ergo etc.

Hinc retinenda est negativa sententia , quam etiam defendunt Azor *p.* 1. *l.* 3. *c.* 38. *q.* 9. Barbos. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 32. *n.* 99. *et* 112. Praepos. Frising. *cons.* 20. *n.* 29. Vviest. *hic n.* 35. et declaratum est *a sacr. congr. card. trid. interpp.* apud Joann. Gallemart. *ad trid. c.* 15. *cit. n.* 3. *Ratio est* , quia ea suppressio est quaedam species alienationis , quae ut dicetur *infra n.* 50. capitulo, sede vacante , non permittitur.

30

Quaeritur 3. quinam actus in specie vi jurisdictionis ad se translatae capitulo sede vacante competant ? Respons. Istos recensent Barbos. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 32. *a n.* 61. Sperell. *decis.* 111. *a n.* 39. Pignat *tom.* 5. *consult.* 25. *n.* 3. Vallens. *hic a n.* 9. Zoes. *n.* 4. *et* 5. Engl. *a n.* 4. Honor. *n.* 5. *et seqq.* Konig *a n.* 5. Vviest. *a n.* 7. et alii passim. Et 1. quidem potest capitulum sede vacante condere statuta, modo iis dignitati , vel mensae episcopali non praejudicetur : obligabuntque statuta haec dioecesim totam , ita tamen , ut episcopus illa revocare , sicut quivis antecessorum suorum statuta possit ; quia par in parem imperium , et potestatem non habet ; *cap. innotuit* 20. *vers. quamvis de elect. et l. nam et magistratus* 4. *ff. de recept. qui arbitr.*

Potest cognoscere de omnibus causis ad episcopale solum pertinentibus, etiam beneficialibus, decimalibus , matrimonialibus, et criminalibus. *Neque obstat* , quod istae causae a trid. *sess.* 24. *cap.* 20. *vers. adhaec de reform. episcopi tantum examini* , *et jurisdictioni relinquendae* dicantur ; nam *episcopi* nomine ibi intelliguntur omnes illi , qui jurisdictionem episcopalem ordinariam penes se residen-

tem habent, qualem etiam habet capitulum sede vacante; Quarant, *Summ. bullar. V. capitulum sed. vacant. n.* 1. *q.* 5.

31

3. Potest in crimina, et excessus, eorumque authores, si de illis diffamati, aut indiciis gravati sint, per viam inquisitionis procedere, et si de illis convicti sint, commeritas poenas iisdem infligere, censuras ferre, et ab his absolvere omni casu, quo absolutionem istam impertiri episcopus jurisdictione ordinaria potest.

4. Potest dispensare in irregularitatibus, ac suspensionibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et aliis ad forum contentiosum deductis; quia haec potestas episcopo jure communi competit, et ad ordinariam ejus jurisdictionem pertinet, ut patet ex trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.*

5. Potest assistere contractui matrimonii, et licentiam assistendi dare aliis sacerdotibus, dispensare in ejus contrahendi denuntiationibus, in votis, et juramentis, non tamen in reservatis, in defectu natalium ad ordines minores, et beneficia simplicia, in petitione debiti conjugalis, in observatione festorum, et jejuniorum, et aliis casibus, quibus ob difficultatem recursus ad sedem apostolicam dispensatio episcopo est permissa.

32

6. Potest dare licentiam novitiis disponendi de suis bonis, monialibus egrediendi ex suis monasteriis, et aliis ea ingrediendi, clerico subdito ex peregrinationis, vel alia justa causa a loco beneficii sui recedendi ad tempus, imo et perpetuo ad aliam dioecesim transeundi, aedificandi ecclesiam, vel fundandi beneficium ecclesiasticum, et sic acquirendi jus patronatus.

7. Potest approbare, et exponere sacerdotes pro excipiendis poenitentium confessionibus, constituere confessarium, qui absolvat a peccatis, et censuris episcopo reservatis easdem facultates, et approbationes, etiam ab episcopo obtentas revocare.

33

8. Potest ex manifesta, et rationabili causa exigere subsidium charitativum, beneficiatis, et pensionariis assignare congruas portiones, compellere clericos sibi subditos ad ostendendos titulos suorum beneficiorum, eosdem, si duo, vel plura incompatibilia simul obtineant cogere ad exhibendas legitimas dispensationes super pluralitate impetratas, licet triennio illa possederint pacifice, ut sic constet de bona fide, et an beneficiarius habeat titulum coloratum.

9. Potest exigere rationes ab administratoribus piorum locorum, exequi defunctorum ultimas voluntates in casibus, in quibus eas exequi potest episcopus, in ceteris executores ad earum executionem faciendam cogere; illas, justa causa poscente, commutare etc.

Quorum omnium una, eademque ratio est, quia haec omnia pertinent ad potestatem, et jurisdictionem episcopi, in quam omnem, iis solum exceptis, quae specialiter prohibentur juxta *n.* 2. vacante sede, succedit capitulum.

34

Dub. 1. in quibus actibus capitulum, sede vacante, episcopo non succedat? Resp. Plures hujusmodi actus enumerantur. Nam 1. non potest dioecesanis suis ad ordines ab extraneo episcopo suscipiendos concedere litteras dimissorias intra annum a die inductæ vacationis, nisi ratione beneficii recepti, vel recipiendi arctati sint: et si secus fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subjacet interdicto; Trid. *ses.* 7. *c.* 10. *de ref.*

2. Non potest concedere licentiam aedificandi novum monasterium, ut cum Diana, Fermosino, et aliis advertit P. Vvies. *hic n.* 45. et de vicario capituli, sede vacante, declaratum est *a s. congreg. card.* 19. *jan.* 1633. *Ratio est*, quia episcopalis licentia constituit formam, quae novi monasterii erectioni praescribitur a Greg. XIII. *in bulla*, quae incipit *quoniam edita* 23. *julii* 1603. formae autem constitutiva per aequipollens adimpleri nequeant; *arg. l. qui per salutem* 33. *ff. de jurej.*

35

3. Non admittitur ad electionem imperatoris, vel regis romanorum, etsi archiepiscopus, cujus sedes vacat, ob dignitatem electoratus istud posset, ut pluribus probant, et praejudiciis relatis ostendunt Herman. Herm. *fasc. jur. publ. c.* 6. *n.* 51. Bernard. Mulz. *in repraes. majest. p.* 3. *c.* 16. §. 4. *n.* 48. praenob. D. de Bassis *disp. jurisd. de jurisdict. th.* 44. *n.* 3. *et th.* 45. *n.* 1. quos refert, et sequitur claris. P. Schm. *de pers. eccl. p.* 1. *c.* 4. *n.* 73. *Ratio est*, quia ut ex Domin. Arumeo de comitiis tradit Laym. *in c. unic. h. t. in* 6. jus eligendi romanorum regem archiepiscopis electoribus competit ratione dignitatis, eorum ex speciali jure, et privilegio, in his autem, quae episcopo, seu praelato ex jure speciali competunt, non succedit capitulum.

36

4. Non succedit in potestate, quam variis casibus in exemptos episcopus, praecise tanquam sedis apostolicae delegatus, a jure habet; Garc. *p.* 5. *de ben. c.* 7. *n.* 47. Barbos. *all.* 92. *n.* 17. Engl. *hic n.* 2. Vviest. *n.* 47. Dixi *tanquam sedis apostolicae delegatus*; nam aliquando potestas in exemptos a jure conceditur episcopo, non per modum delegationis, sed jurisdictionem, quam alias non habebat, prorogando, et extendendo ordinariam illius potestatem, ita, ut in eos episcopus procedat jure proprio, et tanquam ordinarius: et in hac

recte succedit vacante sede capitulum; Garc. *l. cit. n.* 48. Quomodo autem potestas in exemptos episcopo concessa sit, in dubio colligi potest ex eo, ad quem a sententia illius in tali casu contra exemptos lata appelletur; nam si appellari debeat ad pontificem, signum est, quod competat jure delegato; si ad metropolitanum, ordinario.

37

5. Et generaliter facere nihil eorum potest, quae ex speciali privilegio, et jure episcopo competunt, nisi casu, quo id, quod ita concessum episcopo reperitur, in ordinariam illius potestatem transit; nam in tali potestate, quae episcopis jure speciali, non mere delegato, sed ordinario competit, succedit capitulum, ut contra Suar. *de cens. D.* 41. *s.* 2. *c.* 3. advertit Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 2. *n.* 10. Sper. *dec.* 111. *n.* 43. Van-Espen *J.E.U. p.* 1. *t.* 9. *c.* 1. *n.* 3. Pirh. *t. de major. et obed. n.* 43. Honor. *hic n.* 5. Konig *n.* 11.

38

Dub. 2. an capitulum, sede vacante, pro morum reformatione constituere possit dioecesis visitatorem? Negant Joan. Monach. *in c. fin. de suppl. negl. in* 6. *a n.* 5. Boetius *dec.* 2. *n.* 29. Fuschus *l.* 1. *de visit. c.* 2. *n.* 20. Moventur 1. textu *c. obitum* 16. *dist.* 16. ubi s. Gregorius M. Barbaro vicino episcopo visitationem solemniter delegavit, eo quod sedes episcopalis episcopo destituta fuerit. 2. *c. fin. cit.* cujus principio Bonifacius VIII. *ecclesiae cathedrali*, inquit, *vacanti visitator, ab alio quam romano pont. deputari non potest.* 3. *c. is cui* 42. *de elect. in* 6. ubi idem pontifex ait, soli sedi apostolicae competere ecclesiae administratorem dare in spiritualibus, et temporalibus, qualis est ejus visitator generalis. 4. Capitulum sede vacante tantum potest necessaria; glos. *in Clem.* 1. *V. capituli de haeret.* atqui dioecesis visitatio non videtur esse necessaria ita, ut differri nequeat in tempus plenae sedis futurae. 5. Si capitulum deputare posset visitatorem, hic posset exigere procurationes, quae nomine, et ratione visitationis debentur: has autem visitator a capitulo deputatus non potest exigere; quia ut habetur *c. conquerente* 16. *de offic. ord.* inter fructus episcopales censentur, qui futuro successori servari debent; *c. cum vos* 4. *in fin. t. eod.*

39

Sed dicendum capitulum sede vacante ad correctionem morum posse visitationem decernere, et ad hanc obeundam personam idoneam constituere. Ita glos. *V. capituli cit.* Abb. *in c. cum olim* 14. *de maj. n.* 2. *dub.* 4. Sylvest. *V. capitulum q.* 4. Rebuff. *prax. tit. de devolut. n.* 65. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 37. *q.* 14. Molin. *tr.* 5. *de just. D.* 11. *n.* 7. Barb. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 32. *n.* 67. *et duob. seq.* Konig *hic n.* 9. Vviest. *n.* 13. *Proceditque hoc*, prout plerique ex *cit.* DD.

notant, non tantum, quando in particulare aliquod crimen, vel personam est procedendum, sed etiam cum in generali, nullo crimine, vel persona expressa, correctio morum est promovenda. *Ratio est*, quia capitulo, sede vacante, competit omnis jurisdistio episcopalis, praesertim necessaria, praeter casus specialiter exceptos, ut dictum est *n.* 2. atqui visitatio ad jurisdictionem episcopi ordinariam, et quidem necessariam pertinet: quia fit ex necessitate juris, et est fere praecipuum medium extirpandi errores, inducendi sanam doctrinam, tollendi abusus, et pravos mores, promovendi cultum divinum, atque animarum bonum etc. ergo etc.

40

Argumenta in contrarium non sunt efficacia. *Ad* 1. ibi dicitur quid factum fuerit, non quod fieri debuit, aut potuit. *Ad* 2. textus ille potius servit nostrae sententiae; statuitur enim, quod ecclesiae cathedrali vacanti visitator deputari possit a summo pont. non autem ab alio, etiam archiepiscopo, nisi capitulum in temporalibus et spiritualibus negligenter, et perperam administret: igitur, ut recte Abb. *l. cit.* infert idem capitulum per se, vel per vicarium a se constitutum dioecesim visitare poterit, ne ab archiepiscopo negligentiae argui, et alius visitator constitui possit. *Ad* 3. *c. is cui cit.* solum negatur, quod capitulum non possit constituere administratorem cum plena, et libera potestate exequendi omnia, quae potest episcopus confirmatus: et hoc clarum est; quia, ut dicitur *reg.* 79. *in* 6. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*: atqui capitulum non potest haec omnia exequi, ut patet ex hactenus dictis: ergo nec demandare illa visitatori, aut cum tali potestate istum constituere. *Ad* 4. aliquando periculum in mora est, praesertim si a visitatione ultima longius tempus lapsum sit, neque appareat, quando ecclesiae de novo pastore sit providendum. Accedit, quia per visitatorem capitularem sede vacante saepe deteguntur, et reformantur, quae illa plena occulta, vel intacta manserunt. *Ad* 5. solae illae procurationes inter fructus episcopales censentur, quae praestandae sunt episcopo dioecesim visitanti personaliter; ceterae, quae aliis visitationem obeuntibus exhibentur, ipsis visitantibus cedunt; *c. procurationis* 23. *et ibi* glos. *V. personaliter de censib.*

41

Dub. 3. an capitulum visitare etiam possit monasteria monialium exempta. Affirmativam defendunt Rodriq. *to.* 1. *regul. q.* 6. *ari.* 9. Molin. *tr.* 5. *D.* 11. *n.* 8. Barb. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 32. *n.* 107. et alii complures magni nominis DD. ex duplici fundamento 1. quia potestas ista episcopis committitur a jure, et in perpetuum; *clem. fin. de stat. monach.* et trid. *ses.* 25. *c.* 9. *de regul.* igitur ad ordinariam

illorum potestatem spectat; cons. ad capitulum sede vacante transit 2. quia si capitulum sede vacante monasteria monialium exempta visitare non posset, istae toto tempore, quo sede vacante gubernat capitulum, tam salubri praesidio carere deberent, non est autem verisimile, quod concilii mens fuerit eas tamdiu praesidio isto privare :

42

Nihilominus, spectato jure, dicendum videtur, jus visitandi monasteria monialium exemptarum ad capitulum, sede vacante, non transire. Ita Frid. de Senis *cons.* 291. Pavin. *p.* 1. *q.* 7. *et de visit. p.* 2. *n.* 32. Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 6. *n.* 45. Franc. Leo *thes. for. eccl. p.* 1. *c.* 10. *n.* 8. *vers. decimo*, Pirh. *de major. et obed. n.* 48. Konig *hic n.* 11. Vviest. *n.* 15. qui etiam pro se allegant rotae decisiones. *Ratio est*, quia potestas a papa alicui sub nomine dignitatis delegata non transfertur ad eos, qui tali dignitate carent: atqui visitatio monialium exemptarum a papa episcopis delegata est sub nomine dignitatis, ut eam obeundo non jurisdictionem suam ordinariam, sed delegatam a papa, istiusque authoritate, et nomine exerceant, ut patet ex trid. *l. cit. ibi ab episcopis, tanquam dictae sedis delegatis*; ergo etc.

43

Neque contrarium probant argumenta opposita. *Ad* 1. solum illa in potestatem episcopi ordinariam transeunt, quae eisdem committuntur simpliciter; non vero ea, quae ipsis committuntur ut sedis apostolicae delegatis, quippe quae non proprio, sed alieno, sc. ipsius papae committentis jure, exercent. *Ad* 2. hujusmodi moniales exemptae tempore sedis vacantis visitari possunt a praelatis suis exemptis, a legatis apostolicis, imo si necessitas urgeat, ab ipso capitulo ex jurisdictione sua ordinaria; nam etiam episcopus, antequam potestatem a jure delegatam acquireret, in casu urgentis necessitatis visitare illas potestate ordinaria poterat.

44

Dub. 4. an capitulum, sede vacante, succedat episcopo in concessione indulgentiarum? Affirmant Sylv. *V. capitulum q.* 10. Azor. *p.* 2. *c.* 37. *q.* 9. Zerol. *prax. episc. V. indulgentia n.* 2. Molin. *tr.* 5. *de just. L.* 11. *n.* 6. Barb. *alleg.* 88. *n.* 1. *et l.* 1. *jur. eccl. c.* 32. *n.* 91. et probabile esse asserit Pirh. *t. de major. et obed. n.* 49. Rationem dant, quia concessio indulgentiarum non est actus ordinis sed jurisdictionis episcopalis, neque ullus canon extat, in quo hujus facultatis transmissio ad capitulum vacante sede prohibeatur. *Conf.* quia indulgentiarum istarum carentia dioecesanis subditis difficilis foret.

Sed merito facultatem istam capitulo negant Archidiac. *in c.* 1. *de poenit. et remis. n.* 6. Sot. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 4. §. *hinc fit*

Suar. *D.* 55. *de poenit. n.* 5. Laym. *in c. cum olim* 14. *de maj. n.* 8. Fagn. *in c. illa* 2. *h. t. n.* 14. Pirh. *t. de major. et obed. n.* 49. Vviest. *hic n.* 44. *Ratio est*, quia capitulum non succedit episcopo in jurisdictione, quae specialiter conceditur ipsius dignitati episcopali, atqui ita ipsi conceditur facultas concedendi indulgentias, ut colligitur ex *c. accidentibus* 12. *de exc. praelat.*

Unde corruit fundamentum opinionis contrariae: cujus infirmitatem agnoscunt ipsimet adversarii; nam etsi potestatem istam capitulo adstruant, tutius tamen esse dicunt, si hoc alicui episcopo committat facultatem nomine suo indulgentias concedendi; Quarant. *sum. bullar. V. capitulum sed. vac. n.* 1. *q.* 12. *Ad Conf.* Carentia indulgentiarum episcopalium sede vacante non debet esse difficilis dioecesanis subditis; tum quia illis non diu carent, tum quia interea frui possunt liberaliter concessis a papa, et episcopis antecedentibus, quippe quae horum morte non exspirant, ut cum aliis notat p. Vviest. *hic n.* 44. *cit.*

45

Dub. 5. an, sede vacante, capitulum cognoscere etiam possit de crimine haeresis? Affirmant indistincte Socin. *in c. ad abolendam* 9. *de haeret. n.* 44. et Zabarel. *in clem.* 1. §. *duo de haeret. n.* 60. Sed melius distinguitur inter subditos dioecesanos, et exemptos: *De prioribus* concedendum est, quod in illos procedere capitulum, sede vacante, possit ex crimine haeresis; *de posterioribus* vero stricto jure spectato, id negandum. Ita Abb. *in c. ad abolendam cit. n.* 17. Jo. Andr. *ib. n.* 15. Decian. *tr. crim. l.* 5. *c.* 21. *n.* 14. Petra *to.* 3. *comm. f.* 166. *n.* 14. Vviest. *hic n.* 10. *Ratio est*, quia ut saepe dictum est, ad capitulum sede vacante sola potestas, et jurisdictio ordinaria episcopi, non vero delegata transit: atqui ex crimine haeresis episcopus potestate ordinaria tantum procedit in subditos dioecesanos, in exemptos autem ex delegata, ut patet ex *c. ab abolendam cit. ibi, a lege dioecesana jurisdictionis exempti etc.* et confirmatur etiam ex eo, quia a sententia interlocutoria episcopi lata contra exemptos non ad metropolitanum, sed ad papam appellatur, quod non fieret, si potestas ista episcopo competeret ex jurisdictione ordinaria. Dixi *stricto jure spectato*: nam ut Petra *l. cit.* cum aliis monet, etiam quoad exemptos hoc casu praxis stat pro episcopo.

46

Dub. 6. an, et qualis jurisdictio, sede vacante, competat capitulo ecclesiae metropolitanae? Lotter. *de benef. l.* 1. *q.* 9. *n.* 47. Marchet. *de vicar. cap. p.* 2. *t.* 12. *n.* 16. putant ad illud transire solum jurisdictionem, quae competit archiepiscopo, ut episcopo non vero ut archiepiscopo. Sed contrarium defendunt card. de Luca *disc.* 19. *n.* 6.

de praeb. Jo. Emerix *dec.* 731. *et* 764. *n.* 10. Petra *to.* 1. *comm. f.* 278. *n.* 38. juxta quos capitulum, sede archiepiscopali vacante, archiepiscopo suo succedit in omnibus, praeterquam in iis, quae jure speciali sunt prohibita, vel commissa personaliter archiepiscopo: cons. superioritatem habet in ecclesias suffraganeas, prout colligitur *extrav. Salvator* 5. *de praeb. ubi vers. et quia* eximit papa ecclesiam tholosanam ab omni jurisdictione, et subjectione archiepiscopi, et capituli ecclesiae narbonensis, et sic supponit jurisdictionem capituli in ecclesias suffraganeas. *Neque obstat*, quod non possit congregare concilium provinciale; quia hoc inde evenit, quod concilium trid. id demandet archiepiscopo, et, eo non valente, episcopo antiquiori: cons. est casus exceptus.

47

Dub. 7. an capitulum, sede vacante, debeat vocari ad synodum provincialem? Resp. affirmative: potestque eo casu mittere vicarium generalem capitularem cum speciali mandato; Quarant. *Summ. bull. V. concilium provinciale n.* 3. *q.* 4. Et tunc sede episcopali vacante capitulum habet votum decisivum, quia repraesentat episcopum, licet sede plena tantum habeat consultivum; Petra *to.* 1. *comm. f.* 471. *n.* 35. et apud hunc Prosper de Augustinis, Piasecius.

48

Quaeritur 4. quid capitulum, sede vacante, possit circa alienationem bonorum, et rerum ecclesiae? Resp. distingui debere inter bona, quae servando servari possunt, et inter ea, quae servando servari nequeunt, sed tempore interitura sunt.

Posteriora capitulum, et ab hoc deputatus oeconomus ex justa causa, sede vacante, alienare potest, neque opus est, ut interveniat authoritas superioris; Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 7. Vivian. *ib. vers. si tamen*, Fagn. *n.* 31. Pirh. *hic n.* 2. Engl. *n.* 7. *not.* 6. Konig *n.* 13. Vvies. *n.* 36. et sumitur *arg. l. lex quæ* 22. *in fin. C. de administr. tut.* ubi hujusmodi res pupillares distrahere, et alienare permittuntur tutores. *Ratio est*, quia si tales res sedis vacantis tempore non permitterentur distrahi, alienationis prohibitio, quae in ecclesiarum favorem est introducta, in earum dispendium detorqueretur contra *reg. quod ob gratiam* 61. *in* 6.

49

De bonis prioris ordinis videlicet iis, quae servando servari possunt, iterum est adhibenda distinctio, an ad ecclesiam cathedralem pertineant, an vero spectent ad ecclesiam aliquam inferiorem, v. g. regularem, vel collegiatam subjectam episcopo. *Si hoc secundum*, capitulum seu conventus, sede inferiore, seu praelatura vacante, una cum episcopo, qui immediati praelati vicem subit, praece-

dente tractatu, et causa cognita, alienationem facere potest, dummodo causa sit valde gravis, ob quam exspectari non possit, dum novus praelatus constituatur; alioquin ordinarie exspectandum est; Abb. *in c. fin. h. t. n.* 5. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 4. *n.* 15. Engl. *hic n.* 7. *not.* 6. *vers. item*, Pirh. *n.* 3. *ib.* Konig *n.* 8. cum aliis.

50

Si primum, capitulum, sede vacante, alienare illa regulariter non potest sine apostolicae sedis authoritate, ut clare satis colligitur ex *c. novit* 1. *h. t.* et docet *ib.* Abb. *n.* 7. Laym. *n.* 15. *cit.* Engl. *n.* 7. *not.* 5. Pirh. *n.* 3. Konig *n.* 8. Vviest. *n.* 37. *Ratio est*, quia cum judicium, cujus eventus dubius est, contra ecclesiam vacantem non permittatur, *ut infra n.* 33. dicetur pluribus, multo magis prohibitam esse oportuit alienationem rerum, quae sonat in malam partem, et reipsa videtur esse damnosa. *Proceditque hoc*, etsi talis ecclesia vacans administratorem habeat, nisi a papa expresse ad hunc effectum sit datus; quia administrator ecclesiae cathedralis vacantis, generaliter solum, etiam cum plena et libera potestate in spiritualibus, et temporalibus constitutus, bona immobilia ecclesiae alienare non potest; *c. is cui* 42. *de elect. in* 6. quamvis alienatio mobilium, etiam pretiosarum, tali administratori ex justa causa videatur esse concessa secundum glos. *ibid. V. immobilium.*

51

Idem dicendum est de ecclesia exempta, et immediate subjecta romano pontifici: cui etiam, si tempore, quo vacat videatur facienda alienatio aliqua bonorum illius, a papa dandus est curator, seu defensor bonorum; Pirh. *n.* 3. cum aliis; a quo si alienatio aliqua facta sit, erit postea in arbitrio electi positum, an velit contractus, et alienationes sic factas a capitulo vel infirmare, vel si, in ecclesiae utilitatem cedere videantur, confirmare, prout colligitur ex *can. si quae de rebus* 42. *caus.* 12. *q.* 2. Abb. *in cap.* 1. §. *cit. n.* 7. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 4. *n.* 13.

52

Dixi autem, *regulariter a capitulo*, *sede vacante*, *bona ejusmodi sine apostolica authoritate alienari non posse*; excipitur enim casus urgentis valde magnae necessitatis, ita, ut neque alienatio differri ad futurum successorem, neque pro alienandi licentia ad sedem apostolicam recurri possit; tunc enim, praemisso tractatu, et cognita causa, alienatio ei permissa foret; quia necessitas licitum facit, quod alias de jure non est permissum; *arg. c. licet* 3. *de feriis.* Ob eandem causam valde magnae necessitatis, aut evidentis utilitatis potest etiam capitulum, sede vacante, accipere mutuo pecunias, eoque nomine ecclesiam obligare, licet tali causa seclusa, istud

non possit: et obligabitur eo casu successor episcopus, quippe cujus negotium utiliter gestum fuit; gloss, *in c. cupientes* 16. §. *adhaec V. aliunde de elect. in* 6.

53

Dub. 1. an capitulum, sede vacante, judicium, sive litem super ecclesiae bonis, et juribus inchoare, aut a praelato defuncto ante obitum jam inchoatam sive agendo, sive respondendo prosequi possit? Resp. Iterum hic distinguendum est, an ecclesia vacans sit cathedralis, an cathedrali inferior, et episcopo subjecta.

Si cathedralis est, aut inferior quidem cathedrali, sed exempta, capitulum, sede vacante, litem super ecclesiae bonis, et juribus nec inchoare, nec antea inchotam prosequi potest, prout habetur *c. fin. h. tit.* ubi Honorius III. tanquam invalidas reprobat depositiones testium, quae receptae sunt, vacante, et legitimo defensore destituta ecclesia. *Ratio est*, quia ecclesia fungitur vice, et gaudet jure minoris; *c. requisivit* 1. *et c. auditis* 3. *de in integr. restit.* sed judicium, et sententia lata contra minorem, tutore, aut curatore carentem, ac indefensum, non tenet; *l. acta* 45. §. *fin. et l. contra pupillum* 34. *ff. de re jud.* ergo etc. Et hinc, ut judicium, et sententia lata contra ecclesiam vacantem teneat, visitatorem, aut administratorem ad effectum agendi a papa eidem dari necesse est; *arg. cap. is cui* 42. *de elect. in* 6. Abb. *in cap. fin. h. tit. n.* 5. Vivian. *ibid. vers. si tamen*, Barb. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 7. *et* 8. Vvies. *n.* 40.

54

Si vero sit ecclesia inferior cathedrali, et subjecta episcopo, videndum est, an ecclesia illa sit collegiata, vel conventualis, an non; nam *si hoc secundum*, ejusdem jura et res, praesertim si diutius vacet, tueri episcopus potest: et quia potestas ista jure ordinario eidem competit, ab hoc transibit ad capitulum, sede vacante: quod proin etiam alienationes a tali ecclesia faciendas approbare poterit, ut bene Pirh. *tit. de major. et obed. n.* 51. *Si primum*, ejusdem vacantis jura, interveniente authoritate episcopi, tanquam superioris, et praelati sui immediati, ipsum capitulum, vel conventus in judicio agendo, et respondendo tueri poterit, si ita exigat necessitas aliqua, aut vacatio sit diu duratura; secus enim in his ecclesiis expectandum videtur, donec novus praelatus eligatur, et confirmetur, *arg. c. ne pro defectu* 41. *de elect.* Abb. *in c. fin. h. tit. n.* 5. *in fin.* Engl *hic n.* 17. Pirh. *n.* 8. Vviest. *n.* 40.

55

Dub. 2. an de nullis ecclesiae cathedralis vacantis juribus, et rebus judicium agitari possit? Resp. hic distinguendum esse, an agatur de juribus, ac bonis propriis episcopi, seu praelati exempti, an

de communibus praelato, et capitulo, an de iis, quae propria sunt capitulo, et divisa a praelaturae bonis, ita, ut capitulum quoad illa administrationem separatam habeat.

Si hoc tertium, capitulum super iis convenire, et conveniri per procuratorem, vel syndicum, sede etiam vacante, potest, ut colligitur ex *c. cum ecclesia* 3. *de caus. possess. et propr.* et tradunt omnes. Imo tali casu non admittitur praelatus ad agendum sine mandato, vel nisi de rato caveat; Engl. *hic n.* 14. Pirh. *n.* 8.

56

Si primum, et secundum, super iis capitulum, sede vacante, actionem, vel defensionem judicialem suscipere non potest, per rationem *supra* allatam: quae confirmatur etiam ex eo, quia jus agendi ad administrationem pertinet; administratio autem quoad bona propria episcopo, vel praelato, et illi cum capitulo communia potius ad praelatum, quam capitulum pertinet. Igitur dum praelato, seu defensore ecclesia destituta est, capitulum de iis bonis in judicio non potest agere; Abb. *in cap. fin. h. tit. n.* 5. Engl *hic n.* 14. *cit.*

57

Excipitur casus magnae, et notoriae necessitatis; cum enim hac urgente, capitulum, sede vacante, rem ecclesiae immobilem alienara valeat, multo magis pro ea agere, vel respondere in judicio potest; gloss. *in c.* 21. *V. debeant de rescr.* Talis neccessitas foret, si testes in causa ecclesiae vacantis audiendi essent senes, aut valetudinarii, vel alio discessuri, nec reversuri, tunc enim illorum depositiones, etiam sede vacante audiri deberent, ne quod in bonum ecclesiariarum est introductum, in damnum illarum cedat; Joan. Andr. *in c. fin. hoc tit. n.* 2. Abb. *ibid. n.* 4. Pirh. *hic n.* 8. Konig. *n.* 14.

58

Dub. 3. an capitulum, sede vacante, bona ad mensam episcopalem pertinentia, ad suam, sive capitularem mensam transferre sine sedis apostolicae authoritate possit? Resp. non posse; cujus ratio est jam supra assignata, quia praelatura, seu dignitas episcopalis vacans legitimo defensore caret; praecipue autem, quia sic capitulum in proprio facto, sive in commodum, et utilitatem propriam sibi authoritatem praestaret contra reg. *c. fin. de instit. l. pupillus* 5. *princ. ff. de author. tutor.* et praesertim *Clem.* 2. junct. gloss. *V. mensae de reb. eccl. non alien.* et ibi interprep. aliique DD. juxta quos hujusmodi derivatio, et approbatio est omnino invalida. Idque verum est, tametsi quivis capitularium etiam juramento se obligasset, se staturum hac translatione, ubi ipse ad cathedram vacantem electus fuerit.

59

Dub. 4. an capitulum, sede vacante, succedat etiam in jurisdictione feudali? Resp. distinguendo, an hujusmodi feudum spectet ad solum episcopum, an ad hunc, et capitulum simul. *Si primum*, non succedit: cons. nec de controversia super re feudali orta cognoscere, illamque definire, nec casu, quo id aperiatur, reinfeudare, seu novum vasallum super tali feudo investire potest; *cap. verum* 7. junct. gloss. *V. mota q. de for. compet. et ibid.* Joan. Andr. *n.* 9. Abb. *n.* 8. Pirh. *tit. de major. et obed. n.* 52. et ratio est, quia in iis, quae episcopo speciali et extraordinario jure competunt, non succedit capitulum. *Si secundum*, capitulum, sede vacante, de illo cognoscere, et infeudare potest, si ex consuetudine feudum iterum conferri soleat; *arg. cap. un. h. tit. in* 6. quod multo magis verum est, si feudum spectet ad solum capitulum; Rosenthal. *tr. de feud. cap.* 4. *concl.* 26. *n.* 2.

TITULUS X.

De his, quae fiunt a praelato sine consensu capituli.

SUMMARIUM

1 *Ex iis, quae geri a praelato possunt, aliqua geri debent cum consensu capituli, aliqua cum consilio ejusdem.*
2 *Cum consensu fieri debet alienatio rerum ecclesiasticarum.*
3 *Praesentatio, et collatio beneficiorum.*
4 *Unio ecclesiae, vel beneficii vacantis.*
5 *Constitutio pensionis, aut certae portionis fructuum in alia ecclesia.*
6 *Secundum aliquos applicatio quinquagesimae, aut centesimae partis pro ecclesia construenda, dotanda etc. quod reprobatur.*
7 *Processus contra aliquem, vel aliquos de capitulo ad poenam commissi delicti.*
8 *Conventio, qua obligetur ecclesia, et quodcumque aliud negotium, in quo praejudicium ecclesiae, vel successoribus generari possit?*
9 *Actus, qui fieri debent cum consilio capituli.*
10 *Casus excepti.*
11 *Inter quos etiam est consuetudo.*
12 *An, cum de novo monasterio erigendo agitur, episcopus ad hoc opus habeat consensu capituli, vel solo ejusdem consilio.*
13 14 15 *Quid intersit inter consilium, et consensum?*
16 17 *An actus cum consilio alterius celebrandus, si hoc omittatur, sit ipso jure nullus?*

1

Sicut capitulum, sede vacante, circa administrationem rerum ecclesiae multa non potest, ne praejudicet ecclesiae, vel praelato futuro, ita, et praelato soli plura non licent, ne ipse praejudicet capitulo. Hinc ad pleraque alicujus momenti negotia, ut ea gerere praelatus possit, ss. canones voluerunt capituli consilium, et aliquando etiam consensum accedere. Dubium *praesenti titulo* examinandum triplex est; 1. ad quosnam actus requiratur consensus capituli? 2. ad quos consilium ejusdem? 3. quid intersit inter consilium, et consensum? Proinde

2

Quaeritur 1. quinam actus a praelato exerceri debeant cum consensu capituli? Resp. Plures hujusmodi actus a DD. passim enumerantur. Et 1. quidem talis est *alienatio rerum ecclesiarum*; haec enim, si fiat *absque collaudatione, et subscriptione clericorum*, i.

c. absque consensu canonicorum cathedralis ecclesiae, irrita omnino est, ut dicitur *c. irrita* 1. *h. tit.* et communiter explicant *idem* DD. quae tamen constitutio ut locum habeat, tria haec requiruntur. 1. ut bona, de quorum alienatione agitur, sint immobilia, vel mobilia pretiosa; nam res mobiles non praetiosae, et quae servando servari nequeunt a praelato libere, et sine solemnitate alienari possunt, ut pluribus dicetur *infra tit.* 13. 2. ut bona illa sint ipsius ecclesiae cathedralis; nam ad alienationem bonorum ecclesiae inferioris existimant aliqui sufficere consensum praelati, et canonicorum illius ecclesiae, si est collegiata, aut si collegiata non est, pastoris, seu rectoris, nisi ipse episcopus author alienationis foret: tunc enim juxta communem opus foret consensu canonicorum cathedralium: quod iterum examinabitur *tit.* 13. *cit.* 3. ut ecclesia, cujus praelatus, vel rector alienationem intendit facere, habeat capitulum, nam si tale non habeat, ejusdem rector solus rem etiam immobilem ejusdem, exigente necessitate, aut suadente evidenti utilitate, cum superioris sui consensu alienare potest: quae omnia discutientur fusius *tit.* 13. *cit.*

3

Praesentatio, vel collatio beneficiorum ecclesiasticorum, prout habetur *c. ea noscitur* 6. *h. tit.* et notant *ibid.* Alagona *princ.* Vivian. *in ration.* Barbos. *n.* 5. Gonzal. *n.* 6. Vallens. *hic n.* 4. Zypaeus *n.* 1. Zoes. *n.* 1. Engl. *n.* 3. Pirh. *n.* 6. et 7. Schamb. *n.* 3. Vviest. *n.* 19. et alii passim. An vero consensus iste expressus esse debeat, vel sufficiat, si tacitus sit, nonnulli dubitant: Sed dubium istud ope distinctionis solvitur; vel enim praesentatio, aut collatio communiter pertinet ad praelatum, et capitulum, vel ad solum praelatum, ita tamen, ut facienda sit cum consensu capituli. *Si hoc secundum*, sufficit, consensus tacitus, qui praesumitur, quando capitulum scit praesentationem, vel collationem a praelato fieri, et non contradicit, cum tamen actum posset impedire, aut se opponere; gloss. *in c. ea noscitur cit. V. contradicunt*, Abb. *ibid. n.* 8. Pirh. *n.* 7. Schamb. *n.* 3. *Si primum*, requiritur consensus expressus, ut recte Sylv. *V. consensus qu.* 1. Abb. *l. cit. in fin.* Estque hoc ita verum, ut hujusmodi praesentatio, vel collatio sine capituli, vel conventus consensu facta sit ipso jure irrita, ut colligitur ex *cap. ea noscitur cit. Neque obstat*, quod pontifex *cap. cit.* utatur verbis *convenit evacuari*, quae videntur indicare talem praesentationem esse irritandam per sententiam; nam ut Barbos. *ibid. n.* 5. notat, explicanda sunt, quod conveniat eas praesentationes vacuas pronuntiari.

4

3. *Unio ecclesiae, vel beneficii vacantis*; nam in hac, si fiat alicui collegio, monasterio, vel etiam canonicatui, consensus capi-

tuli est necessarius. *Proceditque hoc*, etiamsi ecclesia talis, vel monasterium habeat jus patronatus in ecclesia, vel beneficio, de quo uniendo agitur, prout sumitur ex *c. tuae nuper* 8. *cap. pastoralis* 9. *hoc tit. clem. fin. de reb. eccl. non alien.* Ratio indicatur *in cap. tuae cit.* quia hujusmodi unio, sive perpetua concessio est quaedam alienatio, cum per eam ecclesia alteri unita statum suum, et proprium rectorem amittat, et hoc ipso, quod vacatura nunquam sit, jura conferendi, et praesentandi eam spectantia extinguantur: atqui ad alienationem, ut *n.* 2. dictum est, necessarius est capituli consensus: ergo etiam requiretur ad unionem. Imo moderno jure trid. *sess.* 24 *cap.* 13. *vers. in unionibus de reform.* ejusmodi uniones beneficiorum curatorum episcopus etiam de capituli consensu facere non amplius potest, sed necessarius est consensus papae, nisi, ut limitant Barbos. *ad cap.* 13. *trid. cit. n.* 10. *et seq.* P. Engl. *hic n.* 3. clariss. P. Schmier *p.* 1. *de person. eccl. c.* 4. *n.* 110. unio fiat pro fundatione, augmento, vel conservatione collegiorum, et aliorum piorum locorum, ad fidei catholicae propagationem, et defensionem bonarumque artium cultum. Multo minus potest episcopus beneficium aliquod unire mensae suae, vel capituli, qualecumque illud sit, sive simplex, sive curatum, etiam de consensu capituli; *Clem. fin. de reb. eccl. non alien.* ne in rem propriam sibi authoritatem praestet contra regulam deductam ex *l. quanquam* 1. *princ. ff. de auth. tutor.* Clericat. *de benef. discord.* 76. *n.* 22.

5

4. *Constitutio pensionis, aut certae portionis fructuum in alia ecclesia*; hos enim episcopus ab ecclesiis parochialibus separare, et monasteriis, vel religiosis conferre sine authoritate papae, vel saltem sine capituli consensu nequit; *c. pastoralis* 9. *h. tit. Ratio est*, quia etiam hujusmodi proventuum concessio, et a parochiis ad monasterium translatio quaedam alienatio est, et ideo capituli consensu indiget; Alagon. *in cap. pastoralis cit.* Vivian. *ibid. in ration.* Vvagn. *in exeges.* Pirh. *hic n.* 9. Schamb. *n.* 3. Vviest. *n.* 22. *Proceditque hoc* 1. etsi talium ecclesiarum rectoribus, vel vicariis relinquatur sustentatio congrua, prout constat ex *c. cit.* ibi *sustentatione vicarii reservata. Procedit* 2. etsi patronus ecclesiae in hujusmodi translationem consentiat; *c. cit.* ibi *consentiente patrono*; quia patronus non potest statum ecclesiae mutare, aut res ecclesiae, cujus patronus est, alienare; Vivian. Vvagn. *l. cit.* Barbos. *ibid. n.* 1. Honor. *hic n.* 15. *Dubium moveri potest*, an hoc casu consensus capituli sufficiat, vel necessaria insuper sit authoritas papae? Videtur consensus capituli sufficere, *arg. c. pastoralis cit.* per sensum contrarium; prohibet enim ibi pontifex, ne episcopi hujusmodi collationes faciant sine capituli

sui consensu : igitur videtur significare , quod cum capituli sui consensu id possit episcopus. Sed clarus est textus *c. prohibemus* 7. *de censib.* quo universaliter prohibetur , ne ecclesiae imponantur pensiones novae , aut veteres augeantur : quod capitulum cum sit concilii generalis , videlicet lateranensis, sub Alexandro III. decretum , sequitur in eo episcopum dispensare non posse. *Hinc ad rationem dubitandi* dicendum est , quod argumento a sensu contrario non sit locus , quando aliud expressum jure est , prout expressum est in casu nostro.

6

5. Quando episcopus quinquagesimam partem reditnum , aliarumque rerum ecclesiae suae impendere vult ad ecclesiam de novo construendam , aut constructam dotandam , convertendam in regularem etc. nam ut hoc possit , gloss. *in can. bonae* 74. *caus.* 12. *q.* 2. Vvagn. *in c. pastoralis* 9. *h. tit.* et alii quidam volunt opus esse consensu capituli , et indicari videtur *can. si episcopus* 73. *caus. et quaest. cit.* ibi *de consensu concilii sui habeat licentiam faciendi.* Sed melius defenditur negativa , pro qua etiam stant Abb. *in c. pastoralis cit. n.* 4. Alagor. *ibid.* Vivian. *ration. in fin.* Fagn. *n.* 6. *et seqq.* Vallens. *n* 1. *hic* , Honor. *n.* 5. Pirb. *n.* 10. *not.* 4. Vviest. *n.* 24. et colligitur ex *c. pastoralis cit.* nam ibi pontifex facit regulam, ut episcopus , nisi de licentia romani pontificis, praeter capituli sui voluntatem , non possit religiosis de novo conferre aliquam portionem , et ab hac regula excipit donationem quinquagesimae , vel centesimae , secundum canonicam constitutionem applicandam ecclesiae de novo construendae, vel constructae dotandae: igitur hanc sine capituli consensu dare episcopus poterit. *Conf.* quia ecclesiae constructae dotatio necessaria est ex praecepto juris, quo ad eam dotandam obligatur , qui ecclesiam , vel monasterium construit , *can. piae* 26. *caus.* 16. *q.* 7. *can. nemo* 9. *dist.* 1 *de consecr. c. cum sicut* 8. *de consecr. eccl. vel altar.* atqui alienatio rerum ecclesiae, quae jure praecipiente fit, solemnitates alias requisitas non exigit, cons. neque consensum capituli. Poterit ergo episcopus libere in hoc procedere: idque verum est, etiamsi juramentum de non alienando praestitisset; quia juramentum hoc sortitur naturam et conditiones actus, cui adjicitur. *Ad can. si episcopus* allegatum pro parte contraria dicendum , ibi duntaxat sermonem esse de ecclesia parochiali convertenda in regularem , non vero de quinquagesima, vel centesima separanda in usus praedictos.

7

6. Quando contra aliquem, vel aliquos de capitulo est procedendum ad poenam commissi delicti ; hoc enim casu a trid. *sess.*

35. *c.* 6. *de reform.* constitutum est, ut in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, si ab ordinaria episcopi jurisdictione exemptae sint, capitulum initio cujusque anni eligat ex capitulo duos, de quorum consilio, et assensu episcopus, vel ejus vicarius procedere teneatur, ita tamen, ut utriusque capitularis votum pro uno tantum habeatur, et alterum sit ipsius episcopi. Quodsi uterque ab episcopo dissenserit, tertius eligatur, et juxta eam partem, cum qua iste tertius convenerit, discordia terminetur; Zypaeus *in analys. hic n.* 2. Vallens. *n.* 5. Engl. *n.* 4. Dixi, *si ab ordinaria episcopi jurisdictione exemptae sint*; nam in aliis non exemptis episcopus potest authoritate propria contra singulares de capitulo cum consilio aliorum procedere; Honor. *hic in fin.* Engl. *l. cit.* et ratio est, quia non reperitur textus, qui in processu contra aliquos de capitulo consensum reliquorum exigat. Addidi *contra aliquem, vel aliquos*; nam si totum capitulum deliquisset, contra illud, sive jam exemptum id sit, sive non exemptum, potest tunc episcopus procedere sine adjunctis capitularibus, ut decisum est a *s. congr.* teste Barbos. *ad c.* 6. *trid. cit. Excipitur*, nisi delictum esset in personam episcopi, vel contemptus ejus, vel ubi episcopus habet interesse; tunc enim ex eadem card. decisione facultas procedendi contra capitulum ad superiorem devolveretur; Engl. *n.* 5. *in fin.*

8

7. Quando praelatus sive per contractum mutui, sive per aliam conventionem intendit obligare suam ecclesiam; haec enim, nisi major pars capituli consentiat, obligari nequit; *c. quod quibusdam* 4. *de fidejussor. c. si quorundam* 2. *de solution.* et decidit *rot. recent. p.* 14. *decis.* 42. *per tot.* teste R. P. Schmier *p.* 1. *de person. eccl. cap.* 4. *n.* 112.

8. Quando versatur commodum, et emolumentum capituli qua talis, veluti si agatur de augendo, vel supprimendo numero canonicatuum, de susceptione canonicorum, vel religiosorum etc. *c. cum accessissent* 8. *de constit. c. cum in ecclesiis* 33. *de praeb. in* 6. Vall. *hic n.* 4. Engl. *num.* 3. *vers. tertio quando arg. c. fin. h. tit.* et facit huc *regula* 29. *in* 6. *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.*

9. Denique in omnibus negotiis, in quibus ecclesiae, et successoribus notabile praejudicium generari potest: quaeque ad praelatum, et capitulum simul spectant; Abb. *in c.* 4. *h. tit. num.* 7. Vvagn. *in c.* 5. *ibid. not.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *cap.* 7. *num.* 9. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 3. *cap.* 5. §. 2. 14. Eyp. *in analys. hic n.* 1. Vall. *n.* 4. Pirh. *n.* 16. Vvies. *n.* 23.

9

Quaeritur 2. quinam actus fieri debeant cum consilio capituli? Resp. Istos recensent Host. *in summ.* §. *in quibus consilium h. tit.* Honor. *hic n.* 4. Zoes. *n.* 2. P. Konig *n.* 6. P. Schmier *p.* 1. *c.* 4. *n.* 132. *et seq.* Et hos inter consilium capituli de jure necessarium est: 1. in condendis statutis; *cap. quanto* 5. *h. tit.* 2. institutione, et destitutione clericorum; *cap. novit.* 4. *eod.* 3. in corrigendis, et puniendis eorundem defectibus; *c. quanto cit.* 4. in rerum ecclesiasticarum administratione extra alienationem; *c. novit, et quanto cit.* 5. in dando consensu ad alienationem rerum pertinentium ad ecclesiam aliquam inferiorem per textus *cit.* 6. in convocanda synodo; quia in hoc consilium capituli de forma requiritur; Monacell. *p.* 1. *formul. legal. tit.* 5. *n.* 10. et hoc teste non semel declaravit s. congr. concil. praesertim *in s. Marci synodi* 10. *maji* 1666. *in Rovensi synodi* 1680. 7. in ceteris alicujus momenti negotiis, ut habetur ex iisdem textibus, ubi si quid ejusmodi fiat, non requisito consilio capituli, ubi deberet, declaratum est esse irritum, tanquam factum contra ss. canones; Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 9. Ratio datur *cap. novit. cit.* quia episcopus cum canonicis suis unum efficit corpus, cujus ipse est caput, et illi membra: et ideo non decet, ut praelatus, omissis membris, aliorum consilio in tractandis negotiis ecclesiae utatur, cum id honestati, et ss. patrum constitutionibus sit contrarium.

10

Dub. 1. in quibus casibus episcopus negotia tractare possit sine capituli consilio? Resp. 1. si hoc suadeat justa, et rationabilis causa, ut si agatur de controversia orta inter episcopum, et consanguineos canonicorum capitularium; quia tunc periculum esset, ne isti consanguineis suis secreta revelent; Host. §. *in quibus consilium cit. fin.* Abb. *in c.* 4. *h. tit. n.* 6. Vvagn. *in cap.* 5. *eod. not.* 2. Passer. *in cap. un. ne sed. vac. in* 6. *n.* 42. Pirh. *hic num.* 15. Schamb. *n.* 5. 2. Si belli, vel contagionis metu capitulares omnes diffugerunt, et actus, circa quem interrogandi essent, differri non posset; quia ubi consiliarius absens est, ejusque praesentia in brevi haberi non potest, lex obligans ad petendum alicujus consensum, vel consilium non obligat; Passerin. *l. cit. n.* 43. 3. Si sint negotia exigua, et minoris momenti; quia horum tractatio proventi ex administratione, et cura generali ecclesiae, quae principaliter ad solum praelatum spectat; esseteque nimis difficile interrogare quoad omnia; Abb. Vvagn. *l. cit.* 4. In causis notoriis, et quando manifestum est, quid sit agendum; nam tunc etiam inquisitio-

ne, et consultatione opus non est; Abb. *n.* 7. *in fin.* Passer. *n.* 44. 5. in iis, quae episcopus agit jure, et potestate ad se devoluta, v. g. ob negligentiam, aut delictum praelati inferioris; tunc enim non ex necessitate, sed ex honestate solum, et aequitate est capituli consilium petere, ut tradit gloss. *in cap. ne pro defectu* 41. *V. consilio de elect.* Laym. *in cap.* 7. §. *fin. eod. n.* 6. Pirh. *hic n.* 15. *in fin.* quia ad praelatum solum devolvitur ea potestas, et non ad capitulum.

11

Dub. 2. an consuetudine induci possit, ut episcopus, vel alius praelatus negotia ecclesiae tractet, et jurisdictionem exerceat, non requisito consilio, vel consensu capituli? *Ratio dubitandi* sumitur ex *c. novit.* 4. *h. tit.* ubi dicitur id esse honestati contrarium. Sed respondendum est affirmative. Ita Abb. *in cap. ea noscitur*, 6. *hoc tit. n.* 6. Host. *in summ.* §. *in quibus requiratur h. tit.* Stephan. Gratian. *discept. for. c.* 100. *n.* 66. Passer. *in cap. non est* 3. *de consuet. in* 6. *n.* 8. Barbos. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 5. Vvagn. *in cap.* 5. *eod. not.* 1. Engl. *hic num.* 5. Pirh. *num.* 15. Schamb. *n.* 4. Konig *n.* 3. Vviest. *n.* 26. Sumitur ex *c. ea noscitur, et c. non est cit.* patetque ex praxi; nam passim episcopi negotia ecclesiae suae, etiam aliquando ardua, ut est destitutio majorum clericorum, et praelatorum, peragunt sine capitulo, ut observat Zerola *prax. episc. p.* 1. *V. capitulum n.* 8. De tempore, quantum illud esse debeat ad introducendam consuetudinem hanc, controversia est apud DD. Honorius *hic n.* 11. putat non requiri certi temporis lapsum, sed sufficere frequentatos actus. Sed melius distinguitur cum P. Engl. *n.* 5. *hic*, inter casum, quo dubitatur, an in actu aliquo specifico consensus requiratur, vel consilium, et inter casum, quo id jure decisum est: *in primo casu* concedi potest sufficere frequentatos actus, quia est consuetudo legis interpretativa; *in secundo* negatur, sed eo casu concurrere debebunt illa, quae alias de consuetudine contra legem introducendam requiruntur. *Ad rationem dubitandi* consuetudo hujusmodi contraria honestati tum solum est, quando ecclesiae damnosa, et sine justa, ac rationabili causa inducta est.

12

Dub. 1. an, cum de novo monasterio erigendo agitur, episcopus ad hoc opus habeat consensu capituli, vel solo ejusdem consilio? Resp. sufficere, si adhibeat illius consilium: cons. cum ut *infra n. seq.* dicetur, necesse non sit consilium sequi, valebit consensus episcopi pro novo monasterio erigendo datus, si de hoc cum capitulo suo deliberavit, etiamsi hoc contradixerit, et adversus hanc

erectionem sit protestatum. Ita clariss. P. Schmier *p.* 1. *de person. eccl. c.* 4. *num.* 138. *et seq. Ratio est*, quia, ut pro regula tradit Engl. *de princ.* Vvex. *Ariad. p.* 5. *tr.* 3. *cap.* 5. §. 2. *n.* 14. et hoc teste declaratum est *a s. congr.* consensus capituli episcopo solum necessarius est, quando id expressum est jure, in ceteris autem, in quibus jura consensum nominatim non exigunt, si res gravis, et majoris momenti sit, consilium sufficit. Atqui, ut Gonzal. *in cap. apostolicae* 9. *de donat. n.* 4. *prope fin.* advertit, nuspiam in jure reperitur expressum, quod ad novi monasterii erectionem necessarius sit consensus capituli; ergo etc. Neque obstat *can. si episcopus* 73. *caus.* 12. *q.* 2. ibi *de consensu concilii sui habeat licentiam faciendi*; nam ut *supra n.* 6. dixi, canon iste solum loquitur de ecclesia parochiali convertenda in regularem: quae conversio cum alienatio quaedam sit, mirum non est ad eam requiri consensum capituli.

13

Quaeritur 3. quid intersit, an capituli consilium dumtaxat exigatur, an vero ejusdem consensus? Pasqualigus *controv. int. episc. et regular. p.* 1. *q.* 22. *n.* 408. existimat nihil interesse, et propterea sive consilium, sive consensum praelatus exquirere debeat, utroque standum. *Rationem* dat, quia jura praescribunt, ut episcopus procedat in talibus casibus cum consilio capituli. Atqui si consilium sibi a capitulo datum non sequitur, non procedit cum, sed contra illius consilium; ergo etc. Addit, quia si sequi consilium capituli non teneretur, frustra hoc peteretur.

Sed latum inter utrumque discrimen est; nam qui facere aliquid debet cum alterius consensu, non tantum hunc requirere, sed etiam sequi debet. At vero, qui praecise aliquid agere debet cum consilio alterius, debet quidem istud exquirere, et debito tempore exspectare, regulariter tamen necessario illud sequi non tenetur. Ita gloss. *in c. cum consuetudinis* 9. *V. consensu de consuet.* Host. *in summ.* §. *in quibus consilium vers. sed quae est differentia, hoc tit.* Vivian. *in c.* 4. *eod.* Vvagn. *in c.* 5. *not.* 2. Gonzal. *in c. cum in veteri* 52. *de elect. n.* 8. Passer. *in c. un. ne sed. vac. in* 6. *n.* 45. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 2. *n.* 14. Honor. *hic n.* 12. Zoes. *n.* 2. Pirh. *n.* 18. Schamb. *n.* 6. Engl. *n.* 1. Vviest. *n.* 27. et sumitur ex *c. cum in veteri cit. c. cum olim* 7. *de arbitr. et cap. in ecclesiis* 1. *de capell. monach. Ratio est*, quia talis est natura consilii, ut nullam inferat necessitatem ea, quae consilio suggesta sunt, exequendi juxta textus *can. fin. caus.* 14. *q.* 1. *et l. mandatum* 2. §. *fin. ff. mandati*: et hinc praecepto juris, jubentis procedere cum consilio alterius, vel aliorum, satisfactum cen-

sebitur sola petitione consilii, et exspectatione responsi congruo tempore.

14

Dixi autem *regulariter*; nam plures casus enumerat Passerin. *in un. cit. n.* 46. in quibus lex, aut mandatum obligans ad petendum consilium, etiam obligat ad illud sequendum. 1. Si in lege, vel mandato fuit expressum: at expressum censetur, si dicatur, ut aliquid fiat *secundum consilium*, *vel juxta consilium alterius*. 2. Quando is, a quo peti consilium debet, non deputatur mere ut consultor, sed ut collega officii, ut cum judex est, vel in alio officio ita particeps, ut nullus in solidum possit agere. 3. Quando ex subjecta materia colligitur, mentem imponentis obligationem ad petendum consilium esse, ut consilium non solum petatur, sed etiam secundum illud sit operandum. 4. Si ex aliquo alio jure sit necessarius consensus ejus, a quo peti consilium debet, ut si mandato providetur alicui de beneficio, adhibito consilio patroni. 5. Si consilium petendum sit ab eo, a cujus potestate principaliter pendet actum fieri, vel non fieri. 6. Quando consilium petendum est ab eo, de cujus potestatis praejudicio agitur, si fiat actus, ut dum clericus prohibetur prorogare jurisdictionem alterius judicis sine consilio sui episcopi; nam ibi consilium pro consensu accipitur, quia aliter prorogatio cederet in praejudicium episcopi. 7. Quando consilium petendum est ab aliquo non praecise, ut consiliario, sed ut praebente authoritatem actui.

15

Neque contrarium probat argumentum Pasqualigi; dicendum enim aliud esse debere procedere *cum consilio*, aliud *juxta*, *vel secundum consilium*; nam cum consilio procedit, qui illud adhibet, licet id non sequatur. *Ad conf.* non frustra exigitur consilium capituli, etsi praelatus id non teneatur sequi; cum enim plus videant oculi, quam oculus, et magis integrum sit praejudicium, quod plurium interventu perficitur, *cap. prudentiam* 21. *princ. in fin. de offic. deleg.* ea inde exurget utilitas, ut praelatus consulentium rationibus instructus cautius, et utilius, et cum majori efficacia suscipiat geratque negotium. Et hinc etiam pontifex negotia, et res graviores tractat cum consilio cardinalium suorum, licet quod isti suaserint, tanquam suprema in terris potestas, sequi non teneatur.

16

Dubitatur, an quando ex lege, vel mandato imponitur alicui obligatio ad agendum cum consilio alterius, actus factus non requisito consilio sit semper nullus? Resp. negative. Patet in casu, quo ordinario, habenti aliunde jurisdictionem, et potestatem ad agendum,

praecipitur, ut agat aliquid de consilio alterius; nam tunc nisi addatur decretum irritans factum sine consilio, mandatum superioris censetur duntaxat datum ad excitandum ordinarium, non vero ad impediendam, vel diminuendam ejus potestatem, aut jurisdictionem, et talis ordinarius censetur agere ex jure suo, et potestate, quam habebat, unde licet tunc puniri possit propter inobedientiam, actus tamen factus non requisito consilio erit validus; Passerin. *in c. un. ne sed. vac. in* 6. *n.* 49. et alii apud ipsum.

17

Porro irritus ipso jure erit actus aliquis, non requisito consilio, quod requiri debebat, celebratus in sequentibus casibus, quos enumerat Passerin. *l. cit. n.* 47. Si requisitio consilii sit conditio, sine qua non actus subsistat. 2. Si in dispositione sit additum decretum irritans actum casu, quo non requiratur consilium. 3. In commissione delegata, in qua sine subio mandati forma servari debet. 4. Quotiescumque ab initio datur potestas etiam ordinaria cum obligatione petendi consilium. 5. Si casu, quo ordinarius non adhibito consilio, quod adhibere debuit, procedat ad actum, consiliario, vel alteri potestas detur, ut ipse actum commissum perficiat. 6. In omni casu, in quo consilium includit consiliarii consensum, et sic utrumque injungitur, ut actus non fiat sine consilio, et consensu alicujus.

TITULUS XI.

De his, quae fiunt a majore parte capituli.

SUMMARIUM

1 *Quid sit capitulum?*
2 *Quotuplex?*
3 4 5 *Quinam pertineant ad capitulum?*
6 7 *An omnes canonici in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, et omnes professi in monasteriis?*
8 9 10 *An casu, quo certa aetas est constituta, debeat illa esse completa?*
11 *Quis convocare capitulum debeat?*
12 *Quando convocari, et in quo loco convenire?*
13 *Utrum vocandi omnes?*
14 *In quibus casibus absentes?*
15 16 *Quam necessaria sit eorum, qui capitulo interesse possunt, praesentia.*
17 *Quid si statutum extet, quo jubentur vocari omnes, cum clausula, quod aliter tractata futura sint irrita?*
18 *Quid sentiendum de talis statuti valore?*
19 *Quot canonicorum consensus esse debeat, ut sit legitimus?*
20 *Quaenam censeatur esse pars major?*
21 *Quae sanior?*
22 *Casus, in quibus suffragia majoris partis non sufficiunt.*
23 *Cum negotium tractatur a capitulo, ad minus duae partes adesse debent.*
24 *Casu, quo numerus suffragiorum est impar, ad actum capitularem sufficit consensus partis dimidia tantum voce minoris.*
25 *Etiam casu, quo unum votum supra medietatem espresse requiritur.*
26 *Praelatus, vel episcopus, nisi simul sit canonicus, non potest assensu suo vota majora facere.*
27 28 *Ut majora dicantur pro aliqua parte esse, connumerari etiam debent contempti.*
29 *Quae sit vis majoris partis in actibus capitularibus?*
30 *Quando pars minor contradicere decreto partis majoris possit?*
31 *Quomodo debeat contradicere, expresse, an tacite?*
32 *An etiam possit appellare?*
33 *An necesse sit appellare?*
34 35 36 37 *An pars major capituli decernere aliquid in praejudicium partis minoris valeat?*

Dictum est *tit. praec.* quod pleraque alicujus momenti negotia tractari a praelato debeant cum consilio, et aliquando etiam consensu capituli. Dubitari adhuc poterat, quorumnam consensus, vel consilium exquiri debeat, et quot sentire oporteat, ut dici possit capitulum consensisse: quod ipsum praestatur hoc titulo.

1

Quaeritur 1. quid sit *capitulum*? Resp. *Capituli* nomine intelligitur *congregata universitas, sive collegium clericorum, qui sub uno praelato, ut membra sub uno capite, degunt; et cum eo unum corpus constituunt.* Ita Gonz. *in cap.* 1. *h. tit. n.* 4. et quoad rem passim DD. reliqui. Substantialia capituli sunt, 1. ut constituatur ex pluribus personis; debet enim esse universitas, ad quam constituendam ad minimum tres personae consociari debent; *l. Neratius* 85. *ff. de V. S.* ut personae istae sint ecclesiasticae, quia hactenus per capitulum non quaelibet communitas, aut universitas, sed ecclesiastica solum designata fuit, saltem in jure canonico. 3. ut personae istae unum corpus cum praelato suo constituant: et hinc oportet, ut leges, res, et jura communia habeant; alias magis *singularitas*, quam *communitas* appellabitur. 4. ut habeant arcam, seu aerarium, et cassam communem, ad communes necessitates paratam. 5. commune sigillum, quo negotia, et acta capituli qua talis expediantur. 6. actorem communem, seu syndicum, per quem jura, et res capituli gerantur, et defendantur; Gonz. *l. cit. n.* 4. clariss. P. Schmier *p.* 1. *de person. eccl.* 4. *a. n.* 1.

2

Dub. 1. quotuplex sit capitulum? Resp. Capitulum dividitur in saeculare, et regulare. *Saeculare est*, quod constituitur ex clericis saecularibus; *regulare*, quod ex regularibus. Prius subdividitur in cathedrale, et collegiale. *Cathedrale* est, quod in ecclesia cathedrali, *collegiale*, quod in collegiata, et cathedrali inferiore est constitutum. Si ecclesia cathedralis sit metropolis, capitulum illius *metropolitanum* dicitur. Convenit autem capitulum regulare cum saeculari in omnibus fere, quae de potestate, et jure capituli tum sede vacante, tum praelato vivente a ss. canonibus traduntur. Disconvenit in eo, quod capitulum saeculare ordinarie habeat bona ab episcopo, vel praeposito distincta, cum tamen capitulum regulare propter votum paupertatis, quo tam religiosi privati, quam superiores eorum ligantur, omnia bona cum praelato suo regulari communia habeat.

3

Dub. 2. quinam pertineant ad capitulum? Resp. Ad capitulum saeculare pertinent soli canonici, ad regulare soli professi. Adeoque 1. a capitulo regulari excluduntur *novitii*, a saeculari *clerici portionarii*, et ceteri beneficiati in eadem ecclesia, nisi vocem in capitulo obtinuerint speciali statuto, vel consuetudine, quae tamen ipsa stricte interpretanda erit, et quoad eos duntaxat actus, pro quibus consuetudo est introducta; Abb. *in c.* 1. *n.* 11. *de elect.* Pignatell. *tom.* 9.

cons. 86. *n.* 3. Van-Espen. *J.E.U.p.* 1. *tit.* 7. *c.* 5. *n.* 3. Jacob.Emerix *dec.* 491. *n.* 1. clericat. *de benef. discord.* 14. *n.* 6. Pirh. *hic n.* 1. Vviest. *n.* 2.

4

2. *Dignitates*, quarum possessores non sunt simul canonici; nisi enim ex earum fundatione, seu erectione expresse, aut ex antiqua consuetudine secus obtineat, de jure communi non habent vocem, aut sedem in capitulo; Van-Espen *c.* 5. *cit. n.* 4. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 54. *n.* 9. *Excipitur* decanus; nam hic, licet praebenda canonicali careat, nec specialem canonicatum obtineat, capituli tamen nomine continetur: prout sumitur ex *c. post electionem* 7. *de concess. praebend.* ubi licet decani in litteris ad capitulum directis mentio non sit facta, is tamen comprehensus censetur, et ratio est, quia decanus est caput canonicorum, eorumque curam gerere debet, capitulo intervenire, eique praesidere consuevit, nisi forsan, quando de rebus temporalibus, seu praebendis, in quibus non participat, tractetur; gloss. *in c. post electionem cit. V. mentio*, Abb. *ibid n.* 8. Pirh. *de major. et obed. num.* 41. Honor. *hic n.* 5. Van-Espen *l. cit. n.* 5. Petra *fol.* 54. *cit. n.* 10. et hoc teste resolvit *s. congr. conc.* 31. *jan.* 1688. *et* 14. *maji* 1689.

5

3. *Episcopus*, vel *praelatus*; Abb. *in c. post electionem cit. n.* 9. Barbos. *ib. n.* 3. Pign. *tom.* 5. *cons.* 24. *n.* 1. Petra *tom.* 1. *fol.* 54. *n.* 9. *et* 11. Honor. *hic n.* 4. Pirh. *n.* 1. Konig *n.* 2. Vvies. *n.* 2. P. Reiffenstuel *n.* 5. P. Schmier *p.* 1. *de person. eccl. c.* 4. *n.* 24. *et seqq.* Patet ex rubrica tit. praec. *De his, quae fiunt a praelato sine consensu capituli*: ubi praelatus a capitulo distinctus ponitur; et ratio est, quia praelatus tanquam caput, et capitulum tanquam membra unum corpus efficiunt; caput autem distinguitur a membris reliquis: ergo etc.

6

Dub. 2. an omnes canonici in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, et omnes religiosi in monasteriis ad capitulum pertineant? Resp. Hic distinguendum est inter jus antiquum, et novum. Jure antiquiori, capitulum constituerunt, sive vocem activam, et suffragium habebant omnes canonici in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, et omnes professi in monasteriis religiosorum; *can. fin. caus.* 16. *q.* 7. *can. Abbatem* 3. *etc. caus.* 18. *q.* 2. *c. nullus* 1. *de elect.* Hodierno tamen jure communi vox activa, sive jus ferendi suffragii in capitulo iis dumtaxat canonicis, et professis competit, qui in majoribus sunt constituti, juxta *clem.* 2. *de aetat. et qualit.* et Trid. *sess.* 22. *cap.* 4. *de reform.* cujus decreti ratio fuit, ut sic

clerici ad ss. ordines suspiciendos excitarentur, et caveretur, ne, postquam ecclesiasticis proventibus se ditassent, retrocederent, et statui clericali vale dicerent; Vivian. *in clem. cit.* Pignatell. *tom.* 8. *cons.* 115. *n.* 1. Van-Espen *part.* 1. *tit.* 7. *cap.* 3. *n.* 7. Engl. *hic n.* 6. Konig *n.* 4. Vviest. *n.* 3. Sufficit autem, spectato jure communi, si talis canonicus, vel religiosus sit constitutus in ordine subdiaconatus, ut habetur *in clem. et trid. cit.*

7

Dixi *hodierno jure communi*, intellige, nisi privilegio, statuto speciali, aut consuetudine aliud obtentum sit; nam in aliquibus ecclesiis saecularibus, et religiosorum familiis ad capitulum admittuntur soli patres, seu sacerdotes, ut notat Donat. *tom.* 2. *prax. regul. p.* 1. *tr.* 2. *q.* 8. In aliis requiritur certa aetas, vel anni a possessione canonicatus apprehensa, vel ordine sacro suscepto. In quibusdam respectus fit ad negotia, et ad ordinaria quidem tractanda vocantur ii tantum, qui in majore aliquo ordine constituti sunt, ad ea vero, quae magni sunt momenti, convocandi sunt etiam professi juniores. Hinc mos singularum communitatum, et specialia earum statuta attendi debent. *Neque obstat* clem. et Trid. *cit.* ubi iis, qui subdiaconatum non habent, vox in capitulo generaliter adimitur, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, et statutis; nam ut Zypaeus *in analys. h. tit. n.* 2. Engl. *hic n.* 7. Konig. *n.* 4. advertunt, et declaratum est *a s. congr. concil.* patres istius synodi non voluerunt immutare statuta religiosorum ordinum a fundatoribus condita, et a sede apostolica approbata. Hinc, *cit.* trid. decretum, et *clem.* intelligi solum debent de ecclesiis regularibus, in quibus a fundatoribus nihil constitutum, aut perpetua, et immemoriali consuetudine receptum est.

8

Dub. 4. an casu, quo in aliqua ecclesia statuto vel consuetudine receptum est, ut qui vocem in capitulo habent, sint aetatis 24. annorum, admissionem ad illud petere possit ille, qui annum vigesimum quartum non implevit? Resp. hic attendendum esse, quae sit observantia talis statuti; nam hujus optimus interpres est usus; *c. cum dilectus* 8. *de consuetud.*

Difficultas est, quid tenendum, seclusa speciali observantia? Affirmativa videtur suaderi. 1. Quia statutum tale, quo pro admissione ad capitulum requiritur annus vigesimus quartus, est ultra jus commune; nam per hoc sufficit aetas, quae ad subdiaconatum suscipiendum sufficit. Atqui statuta a jure communi deviantia in dubio sic accipi debent, ut a communi jure, quantum fieri potest, recedant minimum; *arg. cap. cum expediat* 29. *de elect. in* 6. *et l.*

praecipimus 32. §. *fin. C. de appel'at.* minus autem receditur, si annus 24. inchoatus sufficiat, quam si requiratur completus: ergo etc. 2. Quia in dubio melior est conditio possessoris antiquioris, quam junioris. Atqui canonicus, qui annum 24 aetatis inchoavit, est in possessione antiquiore juris ad accessoriam canonicatui suo praebendam, et alia jura capitularia prae illis, qui post ipsum recepti sunt. Igitur in hoc dubio casu praeferri his debet. 3. Quia in ceteris casibus, ubi de favore tractatur, annus coeptus habetur pro completo, prout Faenut. *de momen. temp. c. ult. in fin.* Surd. *dec.* 178. et Antonell. *l.* 4. *de temp. legal. c.* 1. *n.* 19. advertunt.

9

Sed dicendum cum P. Vviest. *hic n.* 8. spectato jure communi, et seclusa speciali observantia talis statuti, talem canonicum, antequam 24. aetatis annum impleverit, admissionem ad capitulum jure suo non posse petere, ex sequentibus rationibus. 1. Quia talis canonicus admissionem ad capitulum jure non potest petere, nisi quando verum est, quod sit 24. annorum. Atqui hoc verum non est, quamdiu 24. aetatis annum nondum implevit; tamdiu enim est adhuc minor 24. annis. 2. Esse 24. annorum, et non esse minorem 24. annis sunt duae phrases synonimae, igitur quod ad unum verificandum requiritur, requiritur etiam ad verificandum alterum. Atqui ut verum sit, quod aliquis non sit minor 24. annis, requiritur, ut ille annus sit completus; nam propterea, ut Mandos. Garc. Less. et alii DD. communiter docent, et saepius a s. congr. est declaratum, in assumendis ad personatus, et dignitates non curatas exiguntur 22. anni completi, quia trid. *sess.* 24. *c.* 12. §. *ad ceteras de reform.* dicit eos, qui ad illas assumuntur, debere esse viginti duobus annis non minores; ergo etc. 3. Verba hujus statuti, et cujuscunque alterius secundum modum loquendi alias in jure usitatum accipienda sunt. Atqui juxta istum, quando in dispositione certum tempus requirente numerus cardinalis ponitur, tempus illud usque ad ultimam diem debet esse completum, ut patet ex variis instantiis; sic enim unius anni non est, qui ad 365. dierum ultimum non pervenit; *l. annículus* 132. *et* 134. *ff. de V. S.* nec aetatis annorum 16. qui nondum decimi sexti, *l. non putabam* 48. *ff. de condit. et demonstr.* aut 25. annorum, qui non vigesimi quinti diem ultimum saltem attigit; *l. denique* 3. §. *minorem* 3. *ff. de minor. et l. his* 5. *C. quand. dies legat. ced.* igitur neque aetatis 24. annorum, quam statutum capitulare exigit, erit ille, qui ad anni 24. diem ultimum non pervenit. Quae omnia confirmantur clarissimo textu *l. si cui* 49. *princ. ff. de legat.* 1. ubi Ulpianus, *si cui lege-*

tur, inquit, *cum quatuordecim annorum erit, certo jure utimur, ut tunc sit quatuordecim annorum, cum impleverit.*

10

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. statuta a jure communi deviantia ad jus commune sunt reducenda, quando aliud non colligitur ex verbis statuti: in nostro casu verborum, *nisi sit aetatis* 24. *annorum*, vis explorata est; ut proinde aliunde, quam ex usu, et consuetudine, quae statuto huic derogare possit, interpretationem nullam accipiant. *Ad* 2. ejusmodi canonicus ratione prius apprehensae possessionis canonicatus ante alios postea et canonicatu provisos jus petendi admissionem ad capitulum habet non absolutum, sed conditionatum, sc. sub conditione, *si sit aetatis* 24. *annorum*, et cons. pendet tamdiu, quamdiu pendet conditio. *Id* 3. imprimis regula illa, qua dicitur, quod annus inchoatus pro completo haberi debeat, fallit in pluribus casibus: deinde, ut adversarii volunt, locum dumtaxat habet in casibus dubiis, qualem non esse casum quaestionis ex probationibus allatis liquet.

11

Quaeritur 2. quid notandum in convocatione capituli? *Et* 1. *quidem dubitatur*, quis debeat convocare capitulum? Resp. Potestas hoc convocandi principaliter spectat ad praelatum ecclesiae, videlicet ad episcopum, Abbatem etc. qui si rem majoris momenti capitularibus suis proponendam habeat, id non aliis committere, sed ipse tractatui personaliter interesse, vota singulorum exquirere, et secundum ea concludere debet. Quodsi vero sedes vacaverit, aut negotium fuerit tale, quod in commodum, et utilitatem praelati redundat, vel praecise concernit capitulum, jus convocandi illud non ad vicarium, seu officialem episcopi, sed ad unum ex capitulo, ad quem de jure, vel consuetudine spectat, v. g. praepositum, decanum, vel seniorem illa potestas convocandi capituli pertinebit; Trid. *ses.* 25. *c.* 6. *de ref.* Barb. *ib. n.* 42. Honor *hic n.* 17. Engl. *n.* 1. Konig *n.* 3. Reinfest. *n.* 7. P. Schmier *p.* 1. *de person. eccl. c.* 4. *n.* 28. Quorum omnium ratio est, quia omnino decens est, ut capitulum convocetur ab eo, qui ex interfuturis eidem praecipuum locum obtinet: atqui cum deliberatur de communibus ecclesiae negotiis, eidem interesse debet episcopus ex dec. Trid. *cit.* in iis autem, quae vel ad commodum ejusdem spectant, vel praecise capitulum concernunt, interesse illi non potest; quia priori casu author sibi fieret in rem propriam, in posteriori interesse non habet, nisi simul sit canonicus. Ergo in communibus ecclesiae negotiis capitulum convocabit episcopus, in ceteris dignior de capitulo.

12

Dub. 2. quando convocari, et in quo loco convenire capitulares debeant? Resp. Episcopus potest capitulum convocare pro libitu, dummodo non proponat causam ad commodum suum, suorumque spectantem, ne, ut *n. praec.* dixi, author fiat in rem propriam. Similiter capitulum ipsum se congregare valet, quandocunque voluerit, dummodo id fiat solitis, et destinatis diebus, nec eo tempore, quo divina officia celebrantur, nisi causa urgens dilationem non pateretur; Barb. *de canon. et dignit. c.* 35. *per tot.* Convenire autem debent in loco solito, nisi alium capitulares pro suo conventu elegerint, est enim in eorum arbitrio, ut eligere possint quemcumque, modo locus ille sit honestus, tutus, et non clandestinus, et mutatio non fiat in fraudem; Fagn. *in c. quia propter n.* 63. *et* 69. *de elect.* Vinc. Petra *to.* 1. *fol.* 58. *n.* 21. quia ubi est capitulum, ibi fit actus capitularis, ut bene Rota *dec.* 36. *par.* 2. *rec. et dec.* 31. *n.* 8. Proceditque hoc etiam nulla urgente causa; nam sic limitare capitulum in majore parte potest etiam tempus praefixum actui, vel electioni; Petra *l. cit.* Semper autem necessarium est, ut convocentur, et conveniant ad locum unum; nam quae separatim aguntur a singulis, non censentur agi capitulariter; Engl. *hic n.* 5.

13

Dub. 3. utrum ad actus capitulares, v. g. ad tractatum de rei immobilis alienatione convocari, et convenire debeant omnes capitulares? Resp. Ordinarie requiritur, et sufficit, si ad eos vocentur omnes, qui in loco praesentes, aut non procul absentes sunt; Honor. *hic n.* 21. Pirh. *n.* 12. Schamb. *n.* 7. Vvies. *n.* 12. Vinc. Petra *to.* 1. *f.* 66. *n.* 41.

Dixi 1. *requiritur*; quia in actibus capitularibus suffragii jus competit omnibus capitularibus: ac proinde nemo illius usu, et exercitio sine justa causa privari debet. Accedit, quia jus de alienatione tractandi, eamque consensu suo approbandi capitularibus communiter competit; *arg. can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. q. 2. quando autem jus de re aliqua tractandi pluribus communiter competit, res illa communibus suffragiis, et omnibus, quorum interest, et qui interesse volunt et possunt, praesentibus tractari debet; *l. de unoquoque* 47. *ff. de re judic.*

Dixi 2. *sufficit*; nam spectato jure communi, et ordinarie, ac generatim loquendo, ad tractatus, vel alios quosvis actus collegii, et universitatis non sunt vocandi procul absentes, seu illi, qui vel cum difficultate vocantur, vel cum periculo exspectantur; *arg. can. ea enim* 2. §. *hoc jus porrectum ibi majore parte ibi servientium consentiente caus.* 10. *q.* 2. Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 15. Monacel. *p.* 1. *form.*

legat. t. 1. *n.* 7. Praepos. Frising. *to.* 1. *cons.* 19. *n.* 47. Engl. *hic n.* 2. clariss. P. Schm. *p.* 1. *de person. eccl.c.* 4. *n.* 31. *et* 32.

14

Dixi 3. *ordinarie*; nam quibusdam casibus etiam absentes vocari debent. Et quidem 1. quando praelatus est eligendus; *c. quia propter* 42. *de elect.* 2. Quando recipiendus est aliquis in canonicum, aut facienda collatio praebendarum, vel beneficiorum; *c. cum in ecclesiis* 33. *de præb. in* 6. 3. Cum indicenda est cessatio a divinis, *c. quamvis* 8. *de offic. ord. in* 6. 4. Quando aliud negotium arduum, et magni momenti est pertractandum, nec periculum est in mora, ob paritatem rationis, quae in dispositione juris ecclesiæ favorabili extensionem facile admittit. 5. Quando decernendum aliquid, quod in singulare singulorum praejudicium tendit; tunc enim praesentes nihil statuere possunt, licet duae partes praesentes sint, sed omnes necesse est consentire; *arg. l. per fundum* 11. *ff. de servit. praed. rustic.* 6. Si ex consuetudine legitime praescripta etiam absentes vocari debent; *arg. c. fin. de consuet.* Videatur Abb. *n.* 15. *cit.* Honor *hic n.* 21. Engl. *n.* 2. Pirh. *n.* 12. Schamb. *n.* 7. Konig *n.* 5. Vviest. *n.* 13.

15

Dub. 4. quam necessaria sit eorum, qui capitulo interesse possunt, praesentia? Resp. distinguendo: vel enim vocati sunt, et non comparent, quia non volunt, vel neglecti sunt, et non vocati. *Si primum*, iis sponte non comparentibus, ceteri in negotio possunt procedere; ut notat gloss. *in c. quia propter* 42. *V. qui volunt de elec.* Abb. *ib. n.* 4. Sylv. *V. electio* 1. *n.* 6. Vvagn. *in c.* 1. *h. t. not.* 1. præpos. Frising *to.* 1. *cons.* 19. *n.* 48. *Proceditque hoc* probabilius, etiamsi plus, quam tertia pars capitularium venire nollet; quia tunc tota facultas statuendi, ac decidendi resideret penes praesentes, et sibi imputare absentes debent, quod non comparuerint, et sic juri suo pro illa vice renuntiaverint; Konig. *n.* 9. Estque hoc ita verum, ut hi ad comparendum etiam compelli nequeant; *arg. c. quia propter cit. ibi, qui volunt interesse. Excipitur casus*, quo ipsorum absentia ecclesiae damnosa, aut praesentia valde utilis esset, aut speciali jure receptum, ut omnes compareant, qui possunt.

16

Si secundum, iterum distinguendum, an unus, vel aliqui tantum contempti, seu non vocati sint, an vero plus quam tertia pars vocandorum. *Si unus, vel aliqui tantum*, id, quod a reliquis in eorum absentia gestum est, jure quidem subsistit, neglecti tamen, vel neglectus in irritum illud revocare possunt; *c. cum in ecclesiis* 33. *de praeb. in* 6. *quod sicut* 28. *c. bonae* 36. *in fin. de elect.* Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 16. Fagn. *ib. n.* 6. Engl. *n.* 4. Konig *n.* 7. Vviest.

n. 14. Petra *to.* 1. *f.* 66. *n.* 41. præpos. Frising *to.* 1. *cons.* 19. *n.* 47. Ratio datur *c. bonae cit. quia plus in talibus consuevit contemptus unius obesse, quam multorum contradictio in praesenti.*

Quodsi autem plus, quam tertia pars vocandorum contempta sit tractatus, et in eo decreta ipso jure sunt irrita ob defectum potestatis ad aliquid decernendum sufficientis; nam vis, et potestas capitulari in duabus capitularium partibus residet; Abb. *l. cit.* et ceteri canonistae. Atque hoc non tantum in materia electionis, sed universim in omnibus actibus, ubi consensus capituli exigitur, observari debet, ut notat cum aliis Engl. *n.* 7. *hic.*

17

Dub. 5. an casu, quo statutum extat, quo ad pertractanda saltem graviora ecclesiae negotia capitulares omnes in loco praesentes vocari jubentur, cum clausula, quod aliter tractata, decretaque sint habenda pro nullis, si deinde contra illud statutum aliqui, vel aliquis ex capitularibus non vocentur, tractata, et decreta a ceteris adhuc sint valida? Resp. adhuc esse valida, licet, si quidam vocati non sint, rescindi possint. *Procedítque hoc*, etsi statutum illud singulorum canonicorum juramentis, in sua receptione praestitis, sit confirmatum. *Ratio est*, quia hujusmodi statuta, et juramenta iisdem addita interpretationem recipiunt a jure communi. Atqui jure communi secundum dicta *n.* 16. invalida sunt ea dumtaxat, quae tractata, et acta sunt, non vocata plusquam tertia parte eorum, qui interesse debent, volunt, et commode possunt; ergo etc.

18

Extenditur responsio etiam ad casum, quo per statutum ejusmodi expresse annullarentur omnia, quae, quibusdam contemptis a ceteris tractata, et acta fuerint; nam ut aliis *cit.* recte advertit P. Vvies. *hic n.* 16. potius statutum tale irritum foret. Et ratio est, quia episcopus etiam cum capitulo non potest condere statuta juri communi contraria; *can. institutionis* 7. *caus.* 25. *q.* 2. *c. quod super* 9. *de major. et obed. et clem. ne romani* 2. *de elect.* atqui statutum tale capitulare contrarium foret juri communi ecclesiae, juxta quod ita acta, et decreta sunt quidem rescissioni obnoxia, non vero invalida: ergo etc.

19

Quaeritur 3. qualis, et quot canonicorum consensus debeat esse, ut sit legitimus? *Et* 1. *quidem dubitatur*, an requiratur, ut consentiant omnes, qui capitulo intersunt? Videtur respondendum affirmative ex constitutione Leonis magni ibi: *totius cleri consensu.* Sed retinenda est negativa sententia; et dicendum, sufficere regulariter, si capitularium major, et sanior pars suffragiis suis id, quod ab iis-

dem in capitulo actum est, probet, dummodo duae partes eorum, qui adesse debent, possunt, et volunt, sive in loco praesentium, et vocandorum fuerint congregatae. Ita Vivian. *in c. cum in cunctis* 1. *h. t. princ.* Franc. *ib. n.* 2. Gonz. *n.* 2. Vvag. *not.* 2. Vall. *hic n.* 1. *et* 3. Honor. *n.* 11. *et* 12. Zoes. *n.* 1. *et* 2. Engl. *num.* 8. *et* 10. Konig. *t. de his, quae a praelat. num.* 4. Petra *to.* 1. *comm. fol.* 60. *num.* 24. *et* 25. et sumitur ex *c. cum in cunctis cit. ibi*: *ut . . . praevaleat semper, et suum consequatur effectum, quod a majori, et saniori parte capituli fuerit constitutum.* Estque consensus majoris partis hoc casu ea vis, ut minorem obliget etiam invitam; *c. fin. h. tit. Ratio est*, quia quod major pars capituli facit, totum capitulum fecisse censetur. Accedit, quia impossibile fere est, ut in negotiis, praesertim dubiis, omnes semper consentiant; imo ejusmodi consensus omnium est de raro contingentibus. Igitur ne omnia indecisa maneant, pars aliqua debet sufficere. Si autem pars aliqua sufficere debet, merito attenditur major, et sanior: ergo etc.

20

Dixi 1. *Pars major capituli*; talis censetur esse, quae numero personarum excedit, habito respectu ad totum capitulum, sive collegium, et non tantum ad alias partes in diversa abeuntes; Vvagn. *in c.* 1. *h. tit. not.* 1. Vallens. *hic n.* 2. Engl *n.* 9. Konig *n.* 10. Vviest. *n.* 20. clariss. P. Schmier *p.* 1. *de person. eccl. c.* 4. *n.* 114. Et hinc si in tractatu de alienatione praedii ex duodecim capitularibus in ejus venditionem consentiant quatuor, in locationem quinque, in retentionem tres, non censetur major pars capituli consentire in venditionem, sed debent in eam consentire saltem septem. Item si ex decem canonicis suffragatoribus quinque suffragium suum dent Titio, tres Cajo, duo Sempronio, nondum habetur canonica electio, sed ut talis sit, Titius habere debet sex saltem suffragia. *Ratio est*, quia sex in primo casu, et quinque in secundo sunt tantum major pars, respectu habito ad singulas partes reliquas, non vero ad totum collegium. Aliud dicendum, quando plures vota sua dant ut singuli, e. gr. plures patroni in praesentatione clerici ad beneficium vacans; nam tunc sufficit habere majorem partem: cons. si ex sex patronis tres praesentent Titium, unus Sempronium, et duo Maevium, tres praevalebunt, et instituendus erit Titius ab his praesentatus; Vallens. *hic n.* 2.

21

Dixi 2. *Et sanior pars*; ut electio sit canonica (et idem est de aliis negotiis) major, et sanior pars in eandem debet consentire. Et hinc regulariter prohibentur dari suffragia per lupinos, vel lapillos, sed quilibet suam mentem viva voce edicere debet, vel etiam in

scriptis, si justa causa intersit, ne palam vota edicantur, ut sic non tantum, quae pars major, sed etiam quae sanior sit, appareat; Honor. *hic n.* 12. Engl. *n.* 10. Porro sanior pars censetur illa, quae dignitate, integritate, et zelo honoris divini, ac boni publici praevalet; Vallens. *l.* 1. *de benef. tit.* 6. §. 4. *n.* 3. Vagn. *in c.* 1. *h. tit. not.* 1. Konig. *hic n.* 10. Vviest. *n.* 24. In dubio pars, quae major est, etiam sanior censeri debet, praesertim si duae partes capituli consentiant; Vivian. *in c. cum in cunctis* 1. *h. tit.* Fagnan. *ibid. n.* 4. Gonzal. *n.* 6. Vvagn. *not.* 2. Pirh. *hic n.* 3. Scamb. *n.* 2. Konig. *n.* 10. Vviestn. *n.* 25. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 60. *n.* 25. Et hinc in quibusdam monasteriis, et aliis congregationibus regularibus, cum suffragia feruntur, solummodo attendi solet ad numerum suffragantium, et quod major eorum pars judicaverit, etiam a saniori parte judicatum censetur. *Ratio est*, quia regulariter praesumitur pro pluralitate, praesertim in viris religiosis ob notam integritatem, et zelum, quem nullo pravo effectu corruptum habere praesumuntur. Haec tamen praesumptio non est de jure; quia admittit probationem in contrarium; Zoes. *hic n.* 2.

22

Dixi 3. *Regulariter*; nam plures sunt casus, in quibus non sufficit consensus partis majoris, et sanioris. Et 1. quidem, si potestas eligendi capitulo competens in unum, vel plures sit transferenda per compromissum, aut decernenda admissio clericorum extraneorum ad suffragium in electione ferendum; nam hujusmodi admissione singulorum capitularium suffragia fiunt minus efficacia. Compromisso autem potestas suffragandi omnino transfertur: cons. juxta *reg. quod omnes* 29. *et reg. in re communi* 55. *in* 6. ad ea decernenda omnium consensus requiritur. 2. In actibus voluntariis, et facultativis; et si agatur de re pertinente ad singulos ut universos; *c. fin. de major.* Felin. *in c. cum omnes* 6. *n.* 17. *fall.* 1. *de constit.* Vincent. Petra *tom.* 1. *fol.* 60. *n.* 28. Unde donativa, et hujusmodi nequeunt fieri, nisi concursu omnium; Dian. *tom.* 7. *tr.* 6. *resol.* 31. *et* 35. *in fin. Excipitur*, si adsit praeceptum legitimi superioris, aut evidens ecclesiae utilitas; Felin. Petra *l. cit.* 3. Si papa sit eligendus; nam in hujus electione, ut canonica sit, non sufficit major pars, sed requiritur, ut duae partes tertiae cardinalium eligentium in unum conveniant; *c. licet* 6. *de elect.* 4. Si coadjutor episcopo amenti dandus; nam hoc faciendum est suffragiis vel totius capituli, vel duarum ejusdem partium; *c. un. vers. si vero de cler. aegrot. in* 6. 5. Si electio concurrat cum postulatione; nam hoc casu duarum saltem partium suffragia postulandus habere debet, alias electio postulationi praevalet, modo in eligendum conspirent plus-

quam tertiae partis suffragia, licet pauciora haec sint, quam illa, quae stant pro postulando, ut dictum est *lib.* 1. *tit.* 5. *n.* 19. *et* 20. 6. Si alicujus collegii speciali statuto, vel consuetudine, ut decreta a capitulo legitima sint, exigantur duae suffragiorum partes; *arg. l. nulli* 3. *ff. quod cujusq. univ. nom.*

23

Dixi 4. *dummodo duae partes eorum, qui adesse debent, possunt, et volunt, fuerint congregatae*; quia dum negotium tractatur a capitulo, ad minus duae partes adesse debent; *l. nulli* 3. *et l. seq. ff. quod cujusq. univers. nom.* non quod exigatur, ut duae partes idem decernant, sed quia in his vis capitularis consistit; Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 5. Ex quo sequitur, nisi duae saltem partes congregentur, et ex his major suffragantium pars consentiat, acta fore irrita; Abb. *in c.* 1. *cit. n.* 16. Engl. *hic n.* 3. *Excipitur*, nisi contrarium alicujus loci consuetudine introductum sit; potest enim induci consuetudine, ut necesse non sit convenire duas partes, sed sufficiat convenire majorem. Item potest consuetudine induci, et, ut Zypaeus *in anal'ys. hic n.* 1. refert, sic consuetudine defacto passim receptum est, ut ratum sit, atque vigorem habeat, quod decretum est per majorem partem saltem respective ad alias minores; quod P. Vviest. *hic n.* 23. concedit in collegiis minoribus, non vero in majoribus, aut electionibus praelatorum. Nunquam vero induci consuetudine, vel statuto speciali potest, ut requiratur consensus omnium de capitulo; quia talis consuetudo, vel statutum non esset rationabile, quippe quod ecclesiam, vel monasterium exponeret periculo maximo, ne ob difficultatem obtinendi vota capitularium omnia, cuncta manerent indecisa; Alagon. *in c.* 1. *h. tit.* Schamb. *hic* 3.

Ex his patet responsio ad textum ex constitutione s. Leonis *n.* 19. pro contraria sententia allegatum; quia si major pars consentiat, jam consentire censetur totum capitulum, quippe quod per majorem partem repraesentatur: et hinc non dicitur *omnium de clero.*

24

Dub. 1. an, ut censeatur major pars capituli consensisse, sufficiat, si ex 15. capitularibus consentiant octo, vel ex 43. viginti duo? *Ratio dubitandi est*, quia ad majoritatem suffragiorum videtur requiri unum supra medietatem. Atqui quando ex 15. consentiunt octo, ex 43. viginti duo, non habetur unum votum supra medietatem, cum numeri quindenarii medietas sint septem cum dimidio, numeri 43. viginti duo, et dimidium, cons. in casu nostro tantum obtinetur dimidium votum supra medietatem: ergo etc.

Sed dicendum, seclusa speciali consuetudine, vel statuto, casu, quo capitularium, seu suffragiorum numerus impar est, ad actum

capitularem sufficere consensum partis dimidia tantum voce majoris. Ita Abb. *in c. cumana* 50. *de elect. n.* 9. Anton. *de Butrio ibid. n.* 15. Passerin. *de elect. c.* 19. *n.* 18. Donat. *tom.* 2. *prax. regul. p.* 1. *tr.* 5. *q.* 44. *n.* 8. *et tr.* 6. *q.* 1. *n.* 2. P. Vviest. *hic n.* 21. clariss. P. Schmier. *p.* 1. *de person. eccl. c.* 4. *n.* 117. *Ratio est*, quia ut actus a collegio, sive universitate positus sit legitimus, jure communi plus non exigitur, quam ut positus sit consensu majoris partis capituli. Majorem autem partem ex 15. jam constituunt octo, et ex 43. viginti duo : ergo etc. *Conf.* ex usu, et praxi generali saltem Germaniae nostrae, ubi actus, et electiones ad praelaturas ecclesiarum tam saecularium, quam regularium indubitate pro canonicis habentur, et ut tales etiam a sede apostolica confirmantur, in quibus pars eligentium, aut suffragantium major minorem dimidio solum suffragio superat.

25

Proceditque hoc, etiamsi ecclesiae alicujus, vel ordinis regularis statuto cautum esset, ut ad actum capitularem legitime gestum unum suffragium exigatur supra medietatem, vel uno major suffragiorum numerus ; nihilominus enim dicendum, quod pars dimidio suffragio superior altera obtinere debeat, ut recte P. Vviestner. *n.* 21. *cit.* P. Schmier *n.* 118. *Ratio est*, quia ordinationes, et statuta particularia, condita in materia juris, interpretationem recipiunt a jure communi ; et ita sunt intelligenda, ut ab isto, quoad fieri potest, non recedant. Atqui jure communi, ita interpretante consuetudine, sufficit medietas ultra dimidium ; quia haec ob divisibilitatem suffragii, cujus medietas est, jam habetur pro uno suffragio integro : ergo etc.

Ex quo cadit ratio dubitandi in contrarium.

26

Dub. 2. an si capitularium vota sint paria, atque ex 20. e. gr. decem consentiant in alienationem, decem dissentiant, praelatus suo consensu majorem partem possit efficere ? Affirmat cum nonnullis Leur. *p.* 1. *J. E. U. tit.* 8. *c.* 3. *n.* 8. ex ratione, quod hoc modo per accessum praelati, concurrant vota undecim, et sic obtineatur votorum pluralitas.

Sed respondendum est negative cum gloss. *in c. un. V. assensu. ne sed. vac. in* 6. Passerin. *ibid. n.* 20. P. Konig *hic n.* 4. P. Schmier *p.* 1. *de person. eccl. c.* 4. *n.* 120. *Ratio est*, quia praelatus, cum non sit de numero, et nomine capitularium, non habet votum in capitulo, ut colligitur ex Trid. *sess.* 25. *c.* 6. *de reform. ibi, episcopi* jubentur *capitulum convocare*, *vota exquirere*, *et juxta ea concludere*, et nihil dicitur, quod vota etiam dare vel

accessu suo majoritatem illorum complere possint. Accedit, quia in actibus, quibus praelatus tenetur adhibere assensum partis majoris de capitulo, capitulum consideratur, quatenus est aliquid distinctum, et separatum a praelato; alias dum jubetur adhibere consensum capituli, juberetur adhibere partialiter consensum sui ipsius.

Excipitur, nisi aliter per statuta particularia cautum, vel consuetudine introductum sit. Item nisi episcopus etiam ipse sit canonicus, et qua canonicus, seu membrum capitulo interesset; nam eo casu votum episcopi efficeret majorem partem, quippe quod daret, non ut episcopus, sed ut capitularis. Ad rationem oppositam patet ex dictis.

27

Dub. 3. an connumerari etiam debeant ii, qui contempti sunt, seu non vocati, cum vocari ad capitularem actum debuissent, et commode potuissent? Resp. affirmative, ut recte Innoc. *in c. in genesi* 55. *de elect. in fin.* Abb. *ibid. n.* 11. Passerin. *de elect. c.* 11. *n.* 112. Vviest. *hic n.* 22. Et hinc si collegium constet duodecim capitularibus, et ex his ad electionem, vel tractatum de alienatione vocati sint decem, duo contempti, ut casu isto dici possit pro aliqua parte stare majora vota, non sufficit, si ex decem vocatis, et congregatis in eam conspirent sex, sed requiruntur septem; quia etsi sex sint major pars respectu decem vocatorum, non tamen sunt major respectu vocandorum, et capitulum de jure constituentium, qui erant duodecim.

28

Causa sic statuendi fuit; quia alias si contempti non deberent connumerari, via aperiretur maximis fraudibus, et ansa praeberetur ab electionibus, et aliis actibus capitularibus excludendi illos, qui suffragiis suis adversaturi timentur. *Conf.* quia ex injuria is, qui eam passus est, pati non debet damnum, nec is, qui illam intulit, reportare commodum. Atqui contempti, seu non vocati non nisi per injuriam absunt, cum de jure pertineant ad capitulum: ergo ect.

29

Quaeritur 4. quae sit vis majoris partis in actibus capitularibus? Resp. Si major simul, et sanior sit, trahit ad se partem minorem, ita, ut ii, qui hanc tuentur, a capitulo, vel superiore illius immediato compelli possint ad obediendum decreto, seu ordinationi factae a majore parte, cum pro illa stet praesumptio aequitatis, tanquam facta communi, aut plurium consensu, ut docet Innoc. *in c.* 1. *h. tit. n.* 3. Vivian. *ibid. in ration.* Laym. *disp. canon. de rer. eccl. alien. thes.* 18. Pirhing *hic n.* 4. cum aliis.

Dixi, *si simul sit sanior;* nam si ex gravitate virorum, et allatis per hos momentis rationum constet, quod minor pars sanior sit, obedire decreto majoris partis non debet, sed potius impedire illud; nomine tamen capituli ipsa decernere nihil potest, nisi pars numero major suffragandi potestate privata esset; Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 11. Pirh. *hic n.* 3. Vviest. *n.* 27. *Ratio est,* quia in minore parte capitulum non repraesentatur.

30

Dub. 1. quando pars minor contradicere decreto partis majoris possit? Resp. distinguendum, an rationabiliter decretum sit, vel irrationabiliter. *Si primum*, non potest contradicere, sed accedere, ut dictum est *n. praec.* parti majori debet, ac judicium illius habere ratum. *Si secundum*, contradicere ordinationi, vel decreto partis majoris, et se opponere ad impediendam executionem illius potest etiam unicus, modo afferat causam rationabilem, et hanc coram superiore capituli, vel electis arbitris probet, ut colligitur ex *cap. cum in cunctis* 1. *h. tit.* et docet *ibid.* Vivian. *in ration.* Fagn. *n.* 7. Vall. *hic n.* 4. Honor. *n.* 11. Engl. *n.* 10. Pirh. *n.* 4. Konig *n.* 10. et novissime Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 60. *n.* 25. *et* 26.

31

Dub. 2. quomodo contradicere pars minor debeat, quod id, quod a majore parte decretum est, in damnum collegii, vel ipsius contradicentis, aut alterius tertii tendit? Resp. cum distinctione; nam si ad actus alicujus valorem necessario requiratur consensus expressus, ut ad electionem, vel rei ecclesiasticae alienationem, non tenetur expresse contradicere; tenetur tamen si sufficiat consensus tacitus; Innoc. *in c.* 1. *h. tit. n.* 4. And. *ibid. n.* 4. Abb. *n.* 13. Pirh. *hic. Ratio est*, quia in primo casu tacens non potest haberi pro consentiente, potest autem, et debet pro consentiente haberi tacens in secundo, et cons. nisi contradicat, cum sperat se contradicendo impedire iniquitatem decreti posse, particeps fit ejusdem peccati, et poenae cum aliis expresse contradicentibus.

32

Dub. 3. an contradicens appellare etiam ad superiorem possit? Resp. hic considerandum, an decretum a majore parte vergat in detrimentum ecclesiae, vel singulorum, qui sunt de capitulo, an vero solum tertiae cujusdam personae. *Si primum, et secundum* appellare contradicens ad superiorem potest; nam unus se opponere pro defensione ecclesiae suae potest, ut dicit gloss. *marg. in can. nicaena* 12. *dist.* 31. *Si vero tertium*, cum nihil intersit contradicentis, appellare non potest, tamen peccatum capitularium evange-

lice denuntiare superiori, ut emendentur, et puniantur; Vivian. *in c. 3. h. tit.* Vagn. *in cap. 1. eodem not. 2.* Pirh. *hic n. 5.*

33

Dub. 4. an casu, quo appellari a contradicente potest, necesse sit appellare? Resp. negative, sed satis est contradicere, sive tractetur de praejudicio ipsius contradicentis, sive universitatis; Abb. *in c. 1. h. tit. n. 13.* qui etiam dat rationem, quia cum universitas procedit extrajudicialiter, non transeunt hujusmodi gesta in rem judicatam: unde potest quis ex sola contradictione coram superiore prosequi, ut id, quod minus rationabiliter gestum est per majorem partem, retractetur; Pirh. *n. 4.* Duplex tamen, si appellaverit, commodum refert. *Unum est*, quod appellatione interposita non amplius poterit cogi ad obediendum decreto partis majoris, quippe cum ea pendente nihil sit innovandum. *Alterum*, quod etsi non obstante tali provocatione, pars major ad executionem decreti sui possit procedere, si tamen appellatio postea rationabilis, et legitima fuisse cognoscatur, acta post illam revocari, rescindique debeant; Joan. Andr. *in c. 1. cit. n. 3.* Abb. *n. 6.* Pirh. *n. 4. cit.*

34

Quaeritur 3. an major pars capituli decernere aliquid in praejudicium partis minoris valeat? *Rationem dubitandi* faciunt *c. fin. h. tit. et reg.. quod omnes 29. in 6.* quae se invicem videntur evertere; nam *c. fin. cit.* firmitas adstruitur illi, quod a majori parte collegii in praejudium minoris statutum est; in *reg. cit.* autem petitur, ut *quod omnes tangit, ab omnibus approbetur.*

Sed conciliari contrarietas ista ope distinctionis potest. Vel enim id, de quo consultatur, est in bonis ipsius collegii, seu universitatis, vel contra in bonis singulorum. *Si primum*, valet decretum partis majoris, etiam contradicente parte minore; quia cum pars major censeatur, tota universitas censetur disponere de bonis propriis.

35

Si secundum, adhibenda est *secunda distinctio*, et videndum, an id, de quo consultatur, sit in bonis singulorum patrimonialibus, vel quasi, an vero intuitu ecclesiae quaesitum sit. *Si prius*, major pars collegii, vel communitatis non potest aliquid statuere in praejudicium partis minoris, hac contradicente; Fagn. *in c. 1. h. tit. n. 13.* Pirh. *hic n. 8. not. 4.* Konig *n. 12.* Vviest. *n. 30.* Vincent. Petra *tom. 1. comment. fol. 60. n. 27.* et colligitur *arg. l. per fundum 11. ff. de servitut. praed. rust.* ubi habetur, quod in fundo communi pluribus jus eundi per illum *non aliter meum fiat, quam si omnes cedant. Ratio est*, quia pars major collegii, seu universitatis non habet jurisdictionem in partem minorem: et hinc

non potest aliquid statuere de personis, vel bonis ad singulos pertinentibus jure proprio, ipsis contradicentibus.

36

Si posterius contingat, et id, de quo consultatur, pertineat quidem ad singulos de capitulo, sed intuitu ecclesiae ab ipsis acquiratur, quales sunt reditus ecclesiastici, applicanda est *distinctio tertia*, et considerandum, in quem finem bona hujusmodi separare, et applicare decreto suo pars major velit; nam si applicanda sint in bonum ecclesiae, ex qua promanant, vel collegii, aut universitatis, cujus sunt membra, v. g. pro fabrica conservanda, vel reparanda, cum aliunde sumptus necessarii desint, vel pro erigendo seminario, ex quo ecclesiae idonei clerici aliquando subministrandi sint etc. hoc casu pars major contra minorem, et in hujus praejudicium potest decernere, ut portio aliqua redituum singulis detracta ad usum ejusmodi applicetur; Alagon. *in c. fin. h. tit.* Vivian. *ibid. in ration.* Abb. *n.* 7. Barb. *n.* 1. Schambog. *hic n.* 4. Engl. *n.* 12. et haec est decisio *c. fin. cit. Ratio est*, quia canonicis ecclesiastici redditus assignari videntur cum onere, et obligatione, ut quando illud necessitas exigit, ad reparationem ecclesiae suae, istiusque bonum aliter promovendum concurrant. Et hinc si evidenter constet, capitularem mensam habere abundantes reditus, fabricam vero ecclesiae necessitatem pati, solus episcopus compellere capitulum potest, ut ex superfluis suis reditibus fabricae indigenti subveniat; Pirh. *hic n.* 8.

37

Quodsi vero a majore parte in praejudicium minoris aliquid decernatur pro opere quidem pio, sed extraneo, sive quod ad ecclesiam, vel capitulum non multum spectet, distinguendum est *quarto* an opus illud sit specialiter necessarium, vel utile, an non. *Si primum*, potest major, et sanior pars capituli, ad hujusmodi opus pium necessarium, vel utile (quia utilitas necessitati comparatur, ut recte advertit Pirh. *hic n.* 8. *not.* 1.) quamvis ecclesiam, cujus canonici sunt, immediate non concernat, ut pro pauperibus, studiosis etc. etiam contradicente minori parte, statuere aliquid cum diminutione redituum singulorum. *Si secundum*, eo casu potest minor pars, vel etiam unicus se opponere, et impedire decretum factum a majori parte capituli, praetendendo proprium, seu singulare esse suum juxta *reg.* 29. *cit.* et ratio est, quia decisio *c. fin. cit.* fundatur super opere pio, et necessario: ergo cessante causa necessaria, et pia, non potest major pars capituli disponere aliquid in praejudicium partis minoris; Abb. *in c. fin. cit. n.* 4. Laym. *disp. can. de rer. eccl. alien. thes.* 21. Pirh. *hic not.* 1. *cit.* Scamb. *n.* 5. Kon. *n.* 12. Vviest. *n.* 29. et noviss. Vinc. Petra 1. *comm. f.* 60. *n.* 27.

TITULUS XII.

Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur

SUMMARIUM

1 *Rubrica hæc regulam, et jus facit.*
2 *Pensionis definitio, et varietas.*
3 4 5 *Non venit nomine beneficii?*
6 *Eas imponere beneficiis potest pontifex, et episcopus, hic tamen temporalem dumtaxat.*
7 *An etiam duraturam ad vitam pensionarii? Rationes dubitandi.*
8 *Decidítur pro affirmativa.*
9 *Solvuntur objecta.*
10 *Amplissimam potestatem pensiones imponendi habet pontifex.*
11 *Qui propterea etiam consensu beneficiarii, et patroni in beneficio patronato non indiget.*
12 *Ut episcopus rite imponat pensionem, opus est justa causa.*
13 *Moderatione a jure præscripta.*
14 *Consensu beneficiarii, in cujus beneficio constituitur pensio.*
15 *Patroni, si imponatur ad vitam pensionarii.*
16 *Alia quædam notanda.*
17 *In quibns beneficiis possit constitui pensio, et in quibus eorum proventibus?*
18 *Quando?*
19 *Qua forma?*
20 *Temporalis pensio concedi etiam laico potest, sed a solo pont.*
21 *Ecclesiasticæ ut capax aliquis sit, debet esse clericus.*
22 *Non conjugatus, non bigamus, non excommunicatus, vel suspensus, non religiosus, si beneficium, in quo constituitur, sit sæculare.*
23 *Aetas probabiliter sufficit, quæ sit major septennio.*
24 *Irregularitas ad eam non facit inhabilem.*
25 *Hinc illegitimus dispensatus ad primam tonsuram alia dispensatione ad obtinendam pensionem non indiget.*
26 *Beneficiarius tenetur sub gravi pensionem solvere.*
27 *Pensionarius vero recitare officium parvum B. V.*
28 *Deferre habitum, et tonsuram.*
29 *Pro rata fructuum concurrere ad onera annexa beneficio.*
30 31 32 33 *An successor in beneficio teneatur solvere pensiones non solutas ab antecessore?*
34 35 36 *An beneficiarius pensionem beneficio suo impositam possit radimere, vel pensionarius eandem vendere?*
37 38 39 40 *An, et qua ratione pensio ab una persona transferri in aliam possit?*
41 42 43 44 45 *Quibus modis extinguatur?*
46 47 *Quid circa reservationem fructuum sit jure cautum?*
48 *Quibus casibus illam facere episcopus possit?*
49 *Requisita, ut rite fiat.*
50 51 52 *Utrum episcopus ex justa causa reservationem istam facere possit mensæ suæ aut capitulari?*
53 54 *Quando episcopus numerum præbendarum diminuere, aut beneficia ecclesiastica omnino possit extinguere?*

1

Inter actus capitulares non infimus est beneficiorum collatio, quippe quae vel communiter ad episcopum, et capitulum pertinet, vel si episcopus solus collator est, cum consilio capituli expediri debet, ut patet ex hactenus dictis. Quia vero non raro contigit, in conferendi modo errari, hinc titulo praesenti praescribitur collatori, et pro eo regula generalis traditur, *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*. Et merito quidem: cum enim beneficium detur propter officium, *c. fin. de rescr. in* 6. aequum est, ut ubi transit ad successorem officium, et hujus obligatio, etiam beneficium, seu jus percipiendi reditus ecclesiasticos integre, et sine diminutione transeat; alias periculum foret, ne his reservatis, aut diminutis, vel nullus idoneus inveniatur, qui onus, et officium beneficio sic diminuto adhaerens acceptare vellet, vel si qui acceptarent, in ministerio ecclesiastico negligentius agerent. Porro beneficium diminui sex omnino modis potest, videlicet per beneficii unionem, divisionem, dismembrationem, suppressionem, fructuum reservationem, et pensionis impositionem. De prioribus tribus modis actum est *supra tit.* 5. *de praeb.* tres reliqui hic examinabuntur.

2

Quaeritur 1. quid sit *pensio*? *Resp. Pensio*, sic dicta *a pendendo*, *est jus percipiendi portionem*, *aliquam fructuum ex beneficio alieno*, *alicui justa de causa sive ad tempus, sive in perpetuum concessum*. Ita quoad rem Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 5. *q.* 1. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 1. Leur. *p.* 3. *for. benef. q.* 429. *n.* 2. Cleric. *de pension. discord.* 8. *n.* 5. Honor. *hic n.* 3. Scham. *n.* 6. Konig *n.* 36. et alii passim. Alia est laica, seu temporalis, alia clericalis, seu ecclesiastica.

Laica dicitur, quae datur ob ministerium temporale, et laico etiam conferri potest: qualis est, quae datur ecclesiae patrono in recognitionem fundationis, defensori ejusdem, oeconomo, procuratori, aedituo, cantori, et similibus ecclesiae ministris, vel alias de ea bene meritis in remunerationem laborum.

Clericalis, *seu ecclesiastica* dicitur, quae in pensionario, seu illo, cui conceditur, statutum clericalem exigit. Haec iterum duplex est, una *simpliciter spiritualis*: quia datur clerico ob ministerium spirituale, v. g. coadjutori episcopi, concionatori, vicario, vel cooperatori parochi etc. Altera *media*, *seu mixta*, quae fundatur quidem in statu clericali, adeoque non nisi clericis dari potest, non tamen propter ministerium spirituale confertur, sed ob aliam causam, e. g. parocho seni, aut alteri clerico pauperi ad necessariam, vel commodiorem substentationem; vel ei, qui pingue beneficium cum te-

maiore commutavit, in favorem alterius resignavit, lite beneficiaria cessit etc. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 5. *q.* 5. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 2. Jo. Cabassut *in jur. can. thor. et prax. l.* 5. *c.* 7. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 8. Konig *n.* 36. Vvies. *n.* 7.

3

Dub. 1. an pensio sit beneficium, aut saltem, nomine beneficii veniat? Clarum est, quod *pensio temporalis*, seu *laicalis* non sit beneficium, neque nomine beneficii venire possit, cum nec statum clericalem, nec officium spirituale exigat. Unde controversia solum est *de pensione ecclesiastica*. Affirmant Gambar. *de offic. leg. l.* 6. *n.* 309. Paul. Roman. *de pens. c.* 6. *n.* 34. *et c.* 7. *n.* 16. Andr. Barbat. *in c. ad audientiam* 31. *de rescr.* Moventur 1. *c. ad audientiam cit.* verbis ibi: *Recipientes annuas pensiones, seu beneficia alia*; nam *dictio alia* similia denotat, prout constat *ex l. si fugitivi* 3. juncta glos. *fin. ibid. c. de servis fugit vis. quae* ait *alia poena, scilicet similis*: ergo denotat pensiones beneficia esse. 2. Pensio subrogatur in locum beneficii, subrogatum autem sapit naturam ejus in cujus locum subrogatur; *arg. l fil'ae* 28. §. *Alfia* 1. *ff de condit. et demonstr.* 3. beneficium ecclesiasticum definitur, quod sit jus spirituale percipiendi fructus; tale jus est pensio ecclesiastica: ergo etc.

4

Sed his non obstantibus dicendum pensionem nec beneficium esse, nec beneficii nomine comprehendi. Ita Abb. *in c. ad audientiam cit. n.* 2. Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 3. Flam. *l.* 1. *de resign. q.* 10. *n.* 69. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 5. *q.* 2. *et l.* 8. *c.* 5. *q.* 4. Hier. Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 5. §. 5. *princ.* Emm. Gonz. *in c.* 21. *de praeb. n.* 6. *circa fin.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 1. *n.* 4. Leur. *p.* 3. *for. eccl. q.* 440. *n.* 3. Matth. *offic. cur. eccl. c.* 36. *n.* 15. Emerix *decis.* 1117. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 7. Vvies. *n.* 9. et ceteri DD. passim. Sumitur *c. quamvis* 4. *de praeb. in* 6. ibi, *eis non in pensione, sed in beneficiis ecclesiasticis tantum volumus provideri*; et ex Trid. *sess.* 21. *c.* 2. *de reform.* ubi deciditur, quod *ordinari possint obtinentes* beneficium, non vero *pensiones*, *nisi illi, quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum suarum*: qui textus clare indicant, pensionem opponi beneficio. *Ratio est*, quia beneficium suapte natura perpetuum est, et spiritualitatem in officio spirituali fundatam habet; pensio autem ad tempus fere, et aliquando alio, quam spiritualis officii intuitu conceditur: ac proinde ejusdem spiritualitas non tam in officii, quam in personae spiritualis qualitate fundatur.

5

Ad argumenta contraria facilis est responsio. *Ad* 1. dictio *alia* tum solum eandem qualitatem denotat, quando materia subjecta dictionis ampliationem admittit: quod non semper fit, uti patet ex illo *Luc.* 23. *v.* 32. *ducebantur alii duo nequam cum eo*, *et can. Novatianus* 6. *caus.* 7. *q.* 1. ibi, *ille super eos creare alios pseudo episcopos audet*, cum prius sermo fuerit de veris episcopis. *Ad* 2. etsi pensio subrogetur beneficio, non tamen sequitur, quod sit beneficium; alias enim patrimonium beneficium foret, quia et ipsum subrogatur in locum beneficii ad ordines suscipiendos: et ratio est, quia sicut patrimonium, ita et pensio beneficio tantum subrogatur quoad alimenta, quae clerico praebet. *Ad* 3. Beneficium non est qualecunque jus spirituale percipiendi fructus, sed perpetuum esse debet, et fundatum in titulo officii spiritualis: quorum utrumque pensioni deest; primum, quia fere, ad tempus conceditur, et cum vita beneficiarii extinguitur; alterum, quia etsi pensionarii ex constit. Pii V. ut *infra n.* 27. dicam, obligentur ad recitandum officium parvum B. V. non tamen propterea iisdem datur, sed in subsidium alimentorum. Aliud dicendum de pensione concessa clerico in titulum v. g. vicariae, aut commendae perpetuae, cum enim in hanc requisita pro beneficio concurrant omnia, dicendum erit eam esse vere et proprie dictum beneficium, prout bene advertunt Garc. *c.* 5. *cit. n.* 164. Leur. *p.* 440. *cit. n.* 1. Emerix *citat. decis.* 1117. *n.* 2.

6

Dub. 2. quis imponere pensiones beneficiis possit? *Certum est* 1. quod imponere illas possit pontifex, easque non temporales solum, sed etiam perpetuas: et hoc ob plenissimam, quam obtinet, potestatem disponendi de beneficiis, aliisque juribus ecclesiasticis; *c. licet* 2. *de praeb. in* 6. *et clem.* 1. *ut lit. pend. Certum est* 2. quod imponere pensionem saltem temporalem, et quae ad vitam pensionarii duret, possit etiam episcopus, prout de casu, quo bonum pacis, et concordiae inter duos de beneficio litigantes faciendae id petit, clarum est ex *c. nisi essent* 21. *de praeb.* quod communiter DD. extendunt ad casum alterius etiam rationabilis, et justae causae, quae utilitatem ecclesiae concernat, et colligitur ex *c. nisi essent cit. et c. extirpandae* 30. §. *qui vero de praeb.* ubi episcopis solum prohibetur, ne pensio designetur *in fraudem*; igitur cessante fraude, (quod fit, si justa, et rationabilis causa id exigat) ab episcopo constitui pensio ex proventibus alterius beneficii potest. *Certum est* 3. non posse episcopum, et quemcunque alium praelatum papa inferiorem imponere pensionem perpetuam; nam ita unanimiter DD. juxta quos ex differentiis inter pensionem a papa im-

positam, et inter eam, quae ab episcopo constituta est, haec praecipua fere est, quod illa possit esse perpetua, non ista.

7

Controversia est, an episcopus imponere possit pensionem beneficio ad vitam pensionarii, seu ejus, cui pensio solvitur, ita, ut si beneficiarius, in cujus beneficio constituta est, moriatur ante pensionarium, onus solvendae pensionis ad successorem transeat? Negant Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 6. *q.* 1. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 206. Sanch. *l.* 7. *moral. c.* 29. *n.* 99. Fagn. *in c. nisi essent cit. num.* 40. Vvagn. *ibid. in exeg.* Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 28. *c.* 5. *num.* 14. *et seqq.* card. de Luca *de pension. disc.* 40. *n.* 5. Cleric. *de pension. discord.* 1. *n.* 29. Fatinell. *de translat. pens. c.* 1. *n.* 2. Fundantur 1. quia, ut *n.* 1. dictum est, regula generalis est, quod beneficia ecclesiastica sine diminutione conferri debeant, non conferrentur autem sine diminutione, si pensio imponeretur beneficio, et ad successorem in isto transiret: 2. quia reservare pensionem super beneficio est illi servitutem imponere: quod solus papa ex suprema potestate a Christo accepta potest: 3. quia pontifex ex *c. nisi essent cit.* pensione non prioratum, sed prioris duntaxat personam onerari voluit; oneraretur autem beneficium, si pensionis solvendae onus ad successorem transiret. 4. Quia impositio pensionis in collatione beneficiorum recensetur inter actus simoniacae confidentiae, ut habetur *constit.* 83. *s. Pii V.* incipit *intolerabilis* 1. *jun.* 1569. Imo Paulus IV. Pii successor, teste Mandos. *tr. de signat. grat. in tit. de pension. vers. hodie pag.* 61. expresse prohibuit imponi pensionem super beneficio, de quo alicui per obitum vacante providetur, absque ipsius papae expressa licentia. 5. Quia sic declaratum est *a s. congr. concil.* teste Granut. *ad Simonett. de reservat. q.* 62. *num.* 295. *et* Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 299. Quin antiquo etiam jure prohibitio haec episcopis facta est *c. prohibemus* 7. *de censib. et c. veniens* 8. *de transact.* quorum priore cavetur, ne novus census, seu pensio ecclesiis imponatur, aut vetus augeatur; posteriore autem statuitur transactionem de rebus ecclesiae, absque sedis apostolicae authoritate factam, ad successorem non transire.

8

Sed dicendum, saltem vi consuetudinis episcopos imponere posse pensiones, ad pensionarii vitam se extendentes. Ita Gambar. *l.* 6. *q.* 11. *n.* 77. Caccialup. *de pension. q.* 5. Gigas *q.* 85. *n.* 11. *Sà V. pensio n.* 5. Redoan. *de simon. p.* 2. *c.* 4. *n.* 4. Garc. *p.* 1. *de benefic. c.* 5. *n.* 295. Mandos. *ad reg.* 33. *q.* 14. *num.* 11. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 6. *num.* 1. Franc. Leo *thes. for. eccl. p.* 2. *c.* 7. *a num.* 28. Leur. *p.* 3. *for. benef. q.* 444.

n. 4. Monacell. *formul. legal. p.* 2. *tit.* 14. *n.* 5. Pirh. *hic n.* 10. Vvies. *n.* 18. Excipit Garc. *c.* 5. *cit. n.* 333. pacis, et concordiae causa impositas, ne circa proventus videatur facta aliqua sectio. Colligitur responsio data ex *cap. de cetero* 5. *de transact.* ubi dicitur, quod *census*, vel pensio *absque episcopali authoritate* imposita ex causa transactionis, *vitam ejus*, *qui solverit*, *non excedat*: ergo per sensum contrarium cum consensu episcopi potest excedere vitam beneficiarii solventis, adeoque ipsi beneficio imponi pensio, quae transeat ad successorem. *Conf.* ex *c. audivimus* 3. *de collus. detegend.* ubi pensio post beneficiati obitum pensionario solvenda propter solam fraudem, in ea constituenda admissam, rejicitur: igitur aperte supponitur, eam, quae absque fraude, et interveniente episcopali authoritate, constituta est, solvendam esse.

9

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. rubrica, et *c. un. h. tit.* intelligendum est de diminutione, quae in fraudem, vel sine justa causa, aut ab episcopo in sui ipsius commodum fit. *Ad* 2. esto, quod pensio ad vitam pensionarii duratura sit quaedam servitus, hanc imponere pontifex solus potest, ut, duret perpetuo; pro minore tempore, ut ex probationibus nostris, et praxi constat, potest etiam episcopus. *Ad* 3. *nisi essent cit.* non agitur de pensione imposita authoritate episcopi, sed arbitrorum, et judicum delegatorum, qui etsi a papa delegati sunt, non possunt sine consensu episcopi imponere beneficio pensiones, quae ad successorem transeant; quia per hoc praejudicium fieret juri episcopi, utpote qui in casu, quo beneficiarius ante pensionarium moritur, non posset beneficium ipsius conferre, nisi diminutum onere pensionis. *Ad* 4. Bull. *cit.* ut Fagnan. *in c. nisi essent cit. n.* 37. explicat, loquitur solum de casu, quo pensionem reservat episcopus personae sibi bene visae, postea determinandae; nam haec reservatio simoniam, et confidentim continet. De asserto Pauli IV. non constat authentice, nec alicubi reperitur, ut ait Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 5. §. 5. *n.* 35. addens, etiamsi reperiretur, per mortem papae istius dispositionem illam cessasse. *Ad* 5. Declaratio illa intelligenda est de beneficiis reservatis in manibus papae, in quibus episcopus pensionem constituere nequit; vel si velis, quod *s. congr.* locuta sit generaliter, intelligi debet, quod non possit episcopus sine justa causa, vel in perpetuum imponere pensionem. Eodem modo explicandum est *c. prohibemus cit.* prout *ibi* notat Barb. *n.* 2. etsi alias huic nostrae opinioni contrarius. Textus *c. veniens cit.* non loquitur de pensione solvenda ex beneficio, sed de transactione super decimarum remissione, et quidem perpetuo duratura, in qua, ut valida

illa sit, authoritatem apostolicam intervenire necesse est, ut Suar. *l. cit. n.* 18. et reliqui DD. *supra relati* non gravate concedunt.

10

Dub. 3. quid requiratur, ut pensio beneficio imponi possit? Resp. Hic distinguendum est inter pensionem constitutam a summo pontifice, et inter eas, quae constituuntur ab episcopo. Nam pontifex, cum amplissimam habeat potestatem disponendi in rebus beneficialibus, imponere pensiones potest quascunque, sive ecclesiasticas, sive laicales, sive perpetuas, sive temporales, et duraturas solum ad vitam beneficiarii.

2. Idem in constituendis pensionibus non restringitur ad certam pensionis quantitatem, vel qualitatem beneficii, cui imponitur; imo ut valida sit constitutio pensionis ab eo facta, neque causa aliqua justa indiget; valet enim, etsi illam sine justa causa in beneficio constituisset, quamvis illicite ageret. Ita Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 5. *q.* 8. Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 275. *et seqq.* Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 97. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 2. *n.* 3. Barbos. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 11. *n.* 55. Gonzal. *in c.* 21. *de praeb. n.* 8. Leuren. *p.* 3. *for. benef. q.* 443. *n.* 2. *et* 3. Pirh. *hic n.* 9. *in fin.* Konig *n.* 43. Vviest. *n.* 12. Et quidem quod valida sit constitutio pensionis a pont. sine justa causa, constat ex eo, quia eam dando sine justa causa, solum agit contra ss. canones, quibus vetatur beneficium cum diminutione conferri; quod autem contra canones sine causa concedit pontifex, valide concedit, quippe qui relaxare, et remittere hujusmodi jura potest. Quod vero illicita sit talis constitutio, duplex evincit ratio: una, quia, ut minimum, quod sine justa causa fit, leviter ac temere fit; altera, quia speciem dissipationis bonorum ecclesiasticorum praefert, cons. ratam illam Christus non habet.

11

3. In constitutione pensionis pontifex nec beneficiarii, nec patroni consensu indiget, quamvis ex stylo curiae romanae imponere papa pensiones beneficiis non soleat, nisi expresse derogetur juri qualicunque, quod beneficiarius, vel patronus ad consentiendum habet: quae causa est, quod pro subreptitiis haberi debeant litterae apostolicae, quae in beneficio patronato pensionem constituunt, non facta mentione patronatus; quia papa non praesumitur velle beneficium patronatum pensione onerare, si non exprimat, ne laici a piis fundationibus faciendis facile absterreantur; Covar. *pract. c.* 36. *n.* 10. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 361. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 18. *n.* 2. *q.* 3. Leuren. *p.* 3. *q.* 461. *per totam.* Pirh. *hic n.* 16. Vviestner *n.* 26. Ob eandem rationem in litteris apostolicis, quibus pensio impetratur, ne subreptitiae sint, mentio fieri debet pensionis, si qua in

eodem beneficio jam prius alteri esset constituta ; quia non praesumitur papa velle duplici onere gravare ecclesiam , ut ex communi docet Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 3. Gambar. *l.* 6. *n.* 162. Pirh. *n.* 17. Vviest. *n.* 27.

12

Magis restricta est facultas imponendi pensiones in episcopo ; nam 1. ut recte imponatur , opus est justa causa, ita quidem, ut si episcopus sine hac pensionem imponeret , invalida esset hujusmodi impositio; Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 296. *et* 322. Vvagn. *in c. um. h. tit. not.* 4. Clericat. *de pension. discord.* 1. *n.* 14. Leuren. *p.* 3. *q.* 455. *n.* 1. Vallens. *hic n.* 3. Konig *n.* 43. Debetque haec causa exprimi , si non aliude appareat , eaque probari ; alias pensio in fraudem imposita beneficii praesumetur; Garc. *c.* 5. *cit. n.* 324. Gonzal. *in c.* 21. *de praeb. n.* 8. Clericat. *discord. cit. n.* 24. Card. de Luca *de pension. disc.* 40. *n.* 4. Vviest. *hic n.* 14 *Ratio est*, quia generaliter nudae assertioni ejus , qui actum libere , et sine justa causa facere non potest , fides non habetur , nisi de illius veritate constet ; *arg. l. si forte* 8. *ff. de castren. pecul.* Porro quaenam causa sufficiens sit , ut episcopus pensionem possit imponere , aliquale apud DD. litigium est ; nam Granutius apud Garc. *l. cit. n.* 297. existimat non posse ordinarium pensionem imponere , nisi pro bono pacis, et concordiae ; sed in contrarium stat torrens DD. juxta quos episcopus cum consensu sui capituli imponere beneficiis ad vitam saltem beneficiati pensiones potest etiam ex alia justa, et rationabili causa , quae ecclesiae utilitatem concernat v. g. ob merita , aut ministerium ecclesiae exhibitum , vel exhibendum ; ad sustentationem parochi , vel alterius clerici , propter senium , infirmitatem etc. renuntiantis beneficio ; pro subsidio pauperum scholarium; pro sublevanda necessitate egentium , vel alio pio usu : et colligitur hoc ex *c. nisi essent*, *et c. extirpandae* allegatis *supra n.* 6.

13

2. Pensiones debent esse moderatae , ut tantum remaneat beneficiato , quo commode se sustentare, pauperum necessitati succurrere , hospitalitatem erga peregrinos exercere ; jura episcopalia solvere , et alia onera ipsi incumbentia praestare possit juxta *c. de monachis* 12. *de praebend.* alias pensio imposita ad debitam quantitatem reducenda est; Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 5. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 366. *et seqq.* Honor. *hic n.* 15. Pirhing *n.* 14. et ratio est , quia non debet unum altare discooperiri , ut aliud cooperiatur ; *arg. c. cum causam* 36. *de praebend.* Procedit hoc maxime in beneficiis parochialibus ; quia si horum reditus nimium diminuerentur , non facile invenirentur viri docti , et ad illa idonei , qui ad ea aspira-

rent, cum magno ecclesiae, et animarum damno. Hinc pensionibus onerari non possunt ecclesiae cathedrales, quae mille, dignitates, canonicatus, et beneficia parochialia, quae centum, beneficia simplicia, quae 24. ducatorum summam annui reditus non excedunt, prout de ecclesiis cathedralibus, et beneficiis parochialibus definivit trid. *sess.* 24. *c.* 13. *de reform.* De dignitatibus, canonicatibus, et ceteris beneficiis simplicibus docet Azor. *c.* 8. *cit. q.* 7. *in fin.* Flamin. *de resign. l.* 6. *q.* 2. *a n.* 28. Vall. *l.* 4. *de benef. tit.* 3. *n.* 8. Leuren. *p.* 3. *for. benef. q.* 470. Honor. *hic n.* 10. *et* 11. Konig *n.* 42. Vviest. *n.* 15. et habet stylus romanae curiae. Cetera, quae valorem istum excedunt, onerari quidem pensionibus possunt, ita tamen, ut quod nomine pensionis extrahitur ex reditibus beneficii, tertiam partem illorum non excedat; alias si excesserit, justa non censebitur; Azor. *q.* 5. *cit.* ubi excipit beneficia simplicia; nam isti teste Flamin. *q.* 2. *cit. n.* 26. hodie de stylo curiae pensio regulariter imponitur usque ad medietatem fructuum.

14

3. Si in beneficio alterius constituatur pensio, necessarius de jure est consensus beneficiati, sive clerici illud obtinentis; quia episcopus juri pontificio, quo hic consensus requiritur, derogare non potest; Cacialup. *tr. de pension. q.* 5. Gigas *simili tr. q.* 15. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 6. Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 320. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 5. *n.* 1. Leuren. *p.* 3. *for. benef. q.* 457. Sufficit autem consensus tacitus, qualis praesumitur ex diuturna observantia factae solutionis, nisi per contrariam probationem, et veritatem ex hac apparentem elidatur; Leur. *p.* 3. *cit. q.* 461. *Ratio est*, quia consensus beneficiarii non requiritur pro solemnitate de forma praecisa; actus autem, pro forma praecisa non requisitus, impletur per quodvis aequipollens implementum: ergo etc. Casu, quo beneficium rectorem non habet, inter se DD. dissident. Garc. *n.* 320. *cit.* putat eo casu posse pensionem imponi absque eo, quod tunc consensus aliquis requiratur. Sed Azor. *q.* 6. *cit.* Pal. *n.* 2. Leur. *q.* 458. Pirh. *hic n.* 15. Vviest. *n.* 25. et communis aliorum vult, tunc constituendum beneficio defensorem, qui loco beneficiarii consentiat pensioni: et suadet hoc etiam ratio; quia licet pensionis impositio alienatio proprie non sit, ejus tamen speciem refert, et naturam imitatur, igitur sicut vacanti beneficio constituendus est defensor, qui consentiat in alienationem, qui consentiat in constitutionem pensionis in beneficio vacante.

15

4. Si beneficium sit patronatum, episcopus in eo pensionem constituere nequit sine consensu patroni: in quo tamen distinguen-

dum videtur inter pensionem, quae imponitur beneficiario, et ad successorem non transit, et inter eam, quae imponitur beneficio, et transit ad successorem. *Ad primam* imponendam spectato jure communi, et secluso speciali privilegio, vel consuetudine, episcopus consensu patroni opus non habet, nisi immoderata sit, et nimis onerosa; tunc enim patronus petere posset, ut extinguatur, vel ad debitam quantitatem redigatur. *Secundum* ut rite imponat, consensus patroni eidem est necessarius, nisi forte casu, quo hic ab episcopo requisitus consentire irrationabiliter tenuit, et ecclesiae magna utilitas illud exigit. Ita Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 359. *et* 360. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 4. Vall. *l.* 4. *de benef. tit.* 4. *n.* 6. Leuren. *p.* 3. *for. benef. q.* 465. Vviest. *hic n.* 27. *Ratio est*, quia per impositionem pensionis, ad vitam beneficiarii duraturae, solus gravatur beneficiarius, non beneficium, quod proinde aestimabilitatem suam priorem retinet, cons. nullum patrono fit praejudicium: Contra per impositionem pensionis, transiturae ad successorem, oneratur ipsum beneficium, quod proinde, quamdiu onus pensionis sibi annexum habet, minus est aestimabile; cons. patrono fit praejudicium, quippe qui ab eo, quem ad beneficium sic oneratum praesentaverit, gratitudinem minorem sperare potest: atqui opus est consensum exquiri ejus, de cujus praejudicio agitur: igitur in secundo, non primo casu patroni consensus requiri ab episcopo pensionem constituturo debet.

16

5. Denique ut pensionem episcopus rite imponat, aliae quaedam circumstantiae observandae sunt. Nam 1. non potest episcopus pensionem imponere ex causa resignationis, quae fit in favorem; quia haec in episcopi manibus fieri non potest secundum dicta *lib.* 1. *tit* 9. *n.* 23. In permutatione beneficiorum ad coaequandos fructus ab episcopo pensionem imponi posse illi, qui pinguius beneficium commutavit cum tenuiore, cum Navarro, et aliis putat Clericatus *de pension. discord.* 1. *n.* 19. Sed etiam hoc casu necessariam esse authoritatem papae, defendunt Suar. *tom.* 1. *de relig. l.* 4. *de Simon. c.* 37. *n.* 17. Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 344. Tondut. *de pension. c.* 16. *n.* 12. *et* 20. estque haec communior, et magis recepta sententia. 2. non potest episcopus etiam cum capituli sui consensu imponere pensiones beneficiis, easque applicare mensae suae, aut capitulari; quia sic applicando authoritatem praestaret in facto proprio, et suam utilitatem spectante, quod pugnat cum textu *Clem.* 2. *de reb. eccl. non alien.* 3. non potest imponere pensionem perpetuam, ne cum facultate transferendi illam ad alterum, ut ex receptissima sententia tradit Fagn. *in c. nisi essent* 21. *de praebend. n.* 28. *et seq.*

17

Dub. 4. in quibus beneficiis, in quibus istorum fructibus, quando et qua forma pensio constitui possit? Resp. *ad* 1. Pensio constitui in omnibus beneficiis potest, tam curatis, quam non curatis, saltem a summo pontifice. *Excipiuntur*, quae non habent abundantes reditus. Tales juxta dicta *n.* 13. censentur ecclesiae cathedrales, quae mille, dignitates, canonicatus, et beneficia parochialia, quae centum, beneficia simplicia, quae 24. ducatorum summam annui reditus non excedunt.

Ad 2. non censetur pensio imposita super reditibus incertis, sive distributionibus quotidianis, nisi id exprimatur. *Proceditque hoc*, etsi adjecta sit clausula generalis, qua dicitur pensio imposita *super reditibus, fructibus, et proventibus universis;* Nzor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 17. Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 379. *et* 387. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 4. *n.* 3. Leur. *p.* 3. *for. benef. q.* 480. *n.* 1. *et q.* 481. *n.* 3. Honor. *hic n.* 12. *et* 13. Pirh. *ibid. n.* 14. *in fin. Ratio est,* quia hae distributiones, et reditus incerti non sunt fructus beneficii, sed stipendium, et merces laboris, ideoque sub nomine generali fructuum, et redituum non comprehenduntur, nisi aliunde ex subjecta materia, vel stylo curiae constaret contrarium.

18

Ad 3. reservatio pensionis fieri potest tum ante collationem beneficii, tum postquam collatum est, frequentius autem fieri solet in ipsa collatione; Leur. *q.* 494. Honor. *n.* 7. Schamb. *n.* 7. Si imponatur, postquam collatum est beneficium, fieri id debet cum consensu ejus, cui collatum est; quia habet jus beneficio. *Conf.* quia post collationem beneficium non amplius vacat: atqui beneficio vacanti imponi pensio sine beneficiarii consensu nequit; quia huic, possidenti libere fructus suae praebendae, onus imponendum non est, ut in terminis scribit Innoc. *in c. un. n.* 6. *h. tit.* Si pensio imponatur in ipsa collatione, curandum, ut reservatio illius ab omni periculo, et suspicione simoniae quam remotissima sit. Hinc quando pensio ab episcopo, vel alio papa inferiore constituitur cedenti lite ob concordiae bonum, oportet, ut ea ab arbitrio potius, et jussu episcopi, quam a pactione, seu conventione partium litigantium initium sumat per *c. nisi essent* 21. *de praebend. ibi non quidem ex pactione partium, sed ex jussione judicum;* nam qui de pensione prius inter se conveniunt, et postea adeunt judicem, ut authoritatem suam interponat, eamque ratam habeat, de simoniae labe suspecti redduntur, ut notat Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 340. Fagn. *in c. nisi si essent cit.* Vviest. *n.* 20. *hic* Proceditque hoc de quacunque pactione, qua pensio temporalis, aut non mere spiritualis constituitur

in beneficio. Aliud dicendum in casu, quo pensio cum spiritualis officii onere alicui annexa constituitur; haec enim a praevia, et in superioris approbatione relata conventione partium simoniae labe non inficitur, ut recte advertit P. Vviest. *hic n.* 21. et rationem dat, quia tali casu agitur de spirituali cedendo pro spirituali, cui accessorie annexum temporale non obest.

19

Ad 4. praeter consensum beneficiarii, et patroni, ac alia *supra relata* ad formam imponendi pensionem in beneficio pertinet, ut in impetratione illius mentio fiat pensionis alterius jam ante constitutae in beneficio; Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 3. Flamin. *l.* 6. *de resign. q.* 2. *a. n.* 40. Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 561. Pal.. *tr.* 13. *D* 1. *p.* 11. §. 5. *n.* 5. Leur. *p.* 3. *for. benef. q.* 502. *n.* 1. *Ratio est*, quia non praesumitur pontifex velle duplici onere gravare ecclesiam; et si sciret hanc circumstantiam, difficilius imponeret illam pensionem, vel etiam simpliciter non imponeret: quo fit, ut ob taciturnitatem pensionis prius impositae beneficio gratia concessa sit nulla; Flamin. *n.* 44. cum reliquis *cit.* proceditque hoc probabilius etiam casu, quo impetrans beneficium, in quo petit sibi constitui pensionem, bona fide existimavit esse liberum, et non gravatum pensione; quia ratio allata probat confessionem processisse ex errore; Gambar. *de offic. legat. l.* 6. *n.* 126. Pal. §. 5. *cit. n.* 6. neque improbat Azor. *supra q.* 3.

20

Dub. 5. quisnam obtinere pensionem ex beneficio ecclesiastico possit? Resp. distinguendum inter pensionem temporalem, et ecclesiasticam. *Temporalis* concedi etiam laico potest, et non raro conceditur ob merita, et servitia ecclesiae exhibita, vel exhibenda. Ab alio tamen, quam summo pont. concedi nequit, ut recte advertunt Leur. *p.* 1. *q.* 308. *et p.* 3. *q.* 511. *n.* 1. card. de Luca *in summ. de pension. n.* 5. *et* 6. Clericat. *de pension. discor.* 3. *n.* 7. *et seq.* Fatinell. *de translat. pension. c.* 2. *n.* 1. P. Vviest. *hic n.* 22. *Ratio est*, quia jus percipiendi fructus, vel eorum portionem, spiritualis officii titulo annexum, ab hoc separare, et profanum reddere pontifex solus potest.

21

Ut pensionis ecclesiasticae aliquis capax sit, requiritur 1. *ut sit clericus*, saltem prima tonsura initiatus: quod adeo verum est, ut si ejusmodi pensio ab alio, quam summo pont. conferatur laico, collatio sit invalida, maneatque invalida, etsi collatarius post eam obtentam efficiatur clericus; Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 7. *q.* 3. Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 10. Less. *l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 203. Pal.

tr. 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 3. *n.* 1. Leur. *p.* 3. *q.* 511. *n.* 4. *et q.* 512. *n.* 1. Malthaeucc. *offic. cur. eccl. c.* 49. *n.* 14. Monacell. *p.* 2. *form. leg. tit.* 14. *n.* 3. clericat. *de pension. discord.* 1. *n.* 25. *et duob. seq.* Fatinell. *de transl. pens. c.* 2. *n.* 1. *et* 2. et hoc teste statuit Sixtus *V. const.* 92. *Proceditque hoc*, quamvis sit religionis novitius; quia per ingressum in religionem quidem fit persona ecclesiastica, non tamen clericus; Fatinell. *c.* 2. *cit. n.* 48.

22.

2. *Ut non sit conjugatus*; quia clerici conjugati praeter privilegium canonis, et fori in criminalibus quoad cetera habentur pro laicis; Fatinell. *c.* 2. *cit. n.* 23. 3. *non bigamus*; quia bigamia retrudit ad statum laicalem; Fatinell. *n.* 27. 4. *non excommunicatus, vel suspensus*, ut patet ex stylo curiae romanae, quo in reservatione pensionis regulariter consuevit apponi clausula, *teque absolventes*, quibus verbis pensionarius absolvitur a quacunque excommunicatione, suspensione, et interdicto ad effectum reservationis consequendum, quod necessarium non esset, si hae censurae non redderent incapacem; Pal. §. 3. *cit. n.* 7. 5. *non religiosus*, si beneficium, in quo constituitur pensio, sit saeculare; nam sicut beneficii saecularis, ita et pensionis ex beneficio saeculari religiosus est incapax; Azor. *c.* 7. *cit. q.* 11. Garc. *n.* 139. Pal. *n.* 9. Pirh. *n.* 12.

23

Ut habeat aetatem legitimam. De quantitate aetatis controversia est apud DD. Garc. *n.* 129. Less. *n.* 203. Pirh. *n.* 12. Vviest. *n.* 24. requirunt aetatem, quae requiritur ad obtinendum beneficium simplex, qualis novo jure trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* est annus 14. saltem inchoatus. Sed contrarium defendunt Leur. *p.* 3. *q.* 519. *n.* 1. *et* 2. Monacell. *p.* 2. *form. legal. tit.* 14. *n.* 3. Fatinell. *cap.* 2. *cit.n.* 45. juxta quos capax pensionis est omnis ille, qui valide, et licite charactere clericali est insignitus, quamvis sit minor 14. annis, dummodo sit major septennio: et ita declaratum est a *s. congreg. concil. in nullius* 24. *martii* 1627. ut Fatinell. *l. cit.* receptum stylo datariae, ut Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 11. *n.* 42. *in fin.* et usu passim, ut Fagn. *in c. cum in cunctis n.* 102. *de elect.* testatur. Neque obstat trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* statuens nullum clericum ante 14. aetatis annum posse obtinere beneficium, cujus dispositionem locum habere in pensione, declaratum fuisse a s. congreg. asserunt Garc. *n.* 129. et Narbon. *de aetat. ann.* 14. *q.* 59. *n.* 13. nam declaratio haec, cum falsam illam esse testetur *l. cit.* Fagnanus in curia romana 50. prope annis versatus, ideo movere neminem debet; sed neque decretum trid. *cit.* quippe quod de beneficiis solum loquitur, quorum appellatione pensio in odiosis non venit.

24

7. *Ut non sit irregularis.* Ut quidem volunt Flamin. *l.* 4. *de resign. q.* 3. *n.* 37. Molin. *tr.* 3. *de jud. D.* 78. *n.* 2. Barbos. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 11. *n.* 46. et alii plures apud Fatinell. *c.* 2. *cit. n.* 15. idque ob paritatem cum excommunicato, et suspenso; nam ideo excommunicatus, et suspensus est incapax pensionis, quia non habet ordinem exercibilem, et productivum effectuum ex clericatu promanantium, quae ratio procedit etiam in irregulari. *Conf.* quia pensionum ecclesiasticarum incapaces absque dispensatione apostolica irregulares facit stylus curiae, quem nec concilium trid. nec alia constitutio apostolica constat correxisse. Sed dicendum non esse incapaces: et ita resolvit s. congregatio in cremonensi apud Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 135. item 8. *august.* 1577. apud Pignatell. *tom.* 6. *cons.* 73. *n.* 4. et iterum 16. *febr.* 1639. ac rursum 24. *april.* 1655. apud Fatinell. *de transl. pens. c.* 2. *cit. n.* 14. quae resolutiones, et aliae omnes, cum fiant per patres amplissimos, viros pietate, doctrina, et rerum usu praestantes, quique eas, cum magni momenti sunt, antequam illas publicent, ad sanctissimum referunt, reverenter suscipiendae sunt, et legis loco habendae, quippe cum eadem congregatio jus interpretationis authoritativae habeat ex *const.* 74. Sixti V. quod jam antea statuerat Pius IV. *const.* 82. *bullar. nov. to.* 2. *p.* 122. ubi deputat cardinales, qui ejusdem concilii decreta observari faciant in tribunalibus camerae, rotae, et aliis omnibus romanae curiae.

25

Ex quo sequitur, etiam illegitimum, si ad primam saltem tonsuram sit dispensatus, absque alia dispensatione, vel habilitatione obtinere pensionem etiam ecclesiasticam posse; Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 116. Lotter. *de re benef. l.* 1. *q.* 40. *n.* 143. Corrad. *prax. dispens. l.* 3. *c.* 1. *n.* 17. Gonz. *ad reg.* 8. *glos.* 5. §. 5. *n.* 24. Gratian. *disc. for. c.* 218. *n.* 64. Leur. *p.* 3. *q.* 520. Vinc. Petra *to.* 4. *comm. f.* 321. *n.* 30. Fatinel. *de transl. pens. c.* 2. *n.* 19. et hoc teste est perpetua sententia rotae. *Ratio est*, quia illegitimus non est pensionis incapax ratione illegitimitatis (pensio enim ecclesiastica, licet sit spirituali annexa, est quoddam jus temporale, quod nomine beneficii non venit, etiamsi assignetur loco ejusdem) sed eatenus solum, quatenus ante dispensationem ad clericatum ecclesiasticam pensionem, quippe quae secundum dicta *n.* 20. Clericis solis confertur, obtinere non valet: igitur statim ac illegitimus praevia dispensatione promovetur ad statum clericalem, efficitur capax pensionis, non quia remotum fuit impedimentum illegitimorum natalium, sed quia segregatur a laicis, et adjicitur caetui, ac ordini clericali. Idem dicendum de irregulari

ex causa patrati homicidii ; nam capax pensionis manet, prout decisum est *in novariensi 24. apr.* 1655. apud Petram *l. cit. n.* 31. Idem de eo, qui laborat defectu aetatis requisitae; nam etiam infans, si dispensatus sit ad clericatum, hoc ipso fit capax pensionis, quippe qui ideo solum istius est incapax, quia sine dispensatione clericus esse non potest; rota apud Petram *n.* 32.

26

Dub. 6. quaenam sit obligatio beneficiarii , in cujus beneficio constituta est pensio ecclesiastica, et pensionarii obtinentis hujusmodi pensionem? Resp. Si pensionarius justificaverit pensionem, tenetur beneficiarius eam solvere, et quidem sub gravi; quia in litteris pensionis reservatae praecipitur ejus solutio sub gravissima poena excommunicationis, quae gravem supponit culpam; Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 1. Leur. *p.* 3. *q.* 544. *n. un. Praeditque hoc*, etiamsi fructus beneficii uno, vel altero anno deficiant; nam adhuc integra pensio a beneficiario praestari debet: et ratio est, quia sunt onus reale beneficii, neque debentur praecise intuitu fructuum , cum nec augeantur, licet fructus beneficii ubertim creseant; sicque defectus fructuum unius anni ubertate alterius compensatur; *arg. c. propter sterilitatem* 3. *de locat. et cond.*

27

Pensionarii hodie triplex est obligatio. Nam 1. tenetur recitare officium parvum B. V. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 2. *vers. porro.* Leur. *p.* 3. *q.* 537. *n.* 2. *et* 3. Matth. *offic. cur. eccl. c.* 36. *n.* 15. Imposita haec obligatio pensionariis est a s. Pio V. apud Garc. *p.* 1. *de benef. c.* 5. *n.* 17. estque similis beneficiatorum obtinentium beneficium : et hinc sicut illi, si horas canonicas recitare omittant , fructus non faciunt suos, ita nec fructus pensionis pensionarius , si officium B. V. omittat dicere; Garc. *l. cit. n.* 67. Vall. *de benef. l.* 4. *t.* 6. *n.* 2. Vvies. *hic. n.* 28. Dixi *officium parvum B. V.* nam ad horas canonicas, seu officium divinum pensionarius non obligatur , nisi vel beneficium habeat, vel in sacro aliquo ordine sit constitutus; Suar. *l.* 4. *de hor. can. c.* 22. *n.* 6. Pal. *tr.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 2. *n.* 6. Leur. *q.* 537. *cit. n.* 1. Vvies. *hic n.* 28. *cit.* Imo pensionarius, qui alimnde vel ex beneficio, vel ratione ordinis sacri ad horas canonicas obligatur, obligationi suae satisfaciat, si ista recitet , prout advertunt DD. *cit.* et ratio est, quia papa, imponens recitationem officii parvi non voluit pensionariis majorem obligationem imponere, sed eam, quam alii ratione beneficii, vel ss. ordinum habent, diminuere: quod non fieret, si praeter horas canonicas teneretur recitare officium B. V.

28

2. Pensionarius obligatur ad deferendum habitum, et tonsuram clericalem; alias pensione sua ipso facto privatur ex *const. Pii V.* 71. *et Syxti V.* 30. apud Garc. *a n.* 10. Martam *de jurisd. p.* 2. *c.* 32. *n.* 45. Clericat. *de pension. discord.* 8. *n.* 18. Matthaeuc. *offic. cur. eccl. c.* 49. *n.* 14. Hodie tamen ex ejusdem *Sixti V. const.* 31. apud Garc. *n.* 13. ad habitus, et tonsurae declarationem non obligantur pensionarii, nisi pensiones, quas obtinent, simul sumptae excedant summam 60. ducatorum auri de camera: nec antea datur haec obligatio, quam postquam pensiones hujusmodi percipere coeperint, vel per ipsos stetit, quo minus eas percipiant.

29

3. Pro rata fructuum, quos percipit ex beneficio alieno, per se et spectato jure communi, tenetur ad onera annexa beneficio, ex quo pensionem percipit, v. g. ad subsidium charitativum; et collectas, quae propter necessitatem, vel aliam publicam causam beneficio, ejusque fructibus imponuntur; Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 2. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 171. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 7. Leur. *p.* 3. *q.* 451. *n.* 1. Petra *to.* 4. *comm. f.* 346. *n.* 28. Pirh. *hic n.* 19. Scamb. *n.* 8. Konig *n.* 46. Vviest. *n.* 30. *Ratio est*, quia nimis difficile beneficiato foret, si postquam beneficii sui reditus per pensionem diminuti ti sunt, onus tamen maneret. Accedit, quia juxta *reg.* 77. *in* 6. qui sentit commodum, etiam sentire debet onus ei annexum. Atqui dum partem fructuum pensionarius ex beneficio percipit, commodum sentit ex beneficio. Igitur secundum proportionem etiam subire debet onera imposita beneficio. *Excipitur*, si ex speciali gratia apostolica alicui constituta sit pensio exempta, et ab omni onere ejusmodi libera; nam eo casu onera illa soli beneficiato imminent; Garc. *n.* 172. Lott. *l.* 1. *q.* 38. *n.* 23. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 21. *n.* 44. Leur. *p.* 3. *q.* 451. *n.* 1. Solent tamen hoc casu, et debent pensiones in minore quantitate constitui, ne alias beneficiarius nimium praegravetur.

30

Dub. 7. utrum successor in beneficio pensione onerato teneatur solvere etiam pensiones, quas beneficiarius cedens, aut mortuus, praeteritis annis non solverat? Consentiunt satis DD. 1. si pensiones nondum solutae extent ad successorem, eas ab hoc solvendas; contra solvendas ab haerede, si extent apud haeredem. 2. Si antecessor eas convertit in utilitatem, et commodum ecclesiae, eas solvendas a successore; et vicissim si insumpsit in utilitatem haeredis, solvi debere ab isto.

31

Vis quaestionis in eo consistit, an quando antecessor eas vel male consumpsit, vel in suos privatos usus impendit, debeat illas solvere is, qui succedit in haereditate, an qui in beneficio? *Prius* defendunt Caccialup. *de pens. q.* 11. Gambar. *de offic. leg. l.* 6. *q.* 11. *n.* 441. Konig *hic n.* 40. Ratio illorum est, quia is, qui successit in beneficio, nihil percepit ex fructibus praeteritis, cum illos retinuerit sibi, atque consumpserit beneficiarius prior. Igitur nulla videtur ratio ob quam ad pensiones restantes solvendas adstringatur successor in beneficio; est autem ratio, quare adstringatur successor in haereditate cum ad hunc etiam alia onera haereditaria cum haereditate transeant.

32

Posterius propugnat Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 8. *q.* 14. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 191. Van-Espen *p.* 2. *t.* 28. *c.* 5. *n.* 17. Monac. *p.* 2. *form. legat. t.* 14. *n.* 13. Clerical. *de pens. disc.* 4. *n.* 9. *et seq. et disc.* 9. *n.* 23. Honor *hic n.* 44. Rationem dant, quia pensio est onus reale impositum beneficio, quod proin cum beneficio ad successorem transit: et licet ad successorem in beneficio non pervenerint pensiones praeteriti temporis, pervenit tamen ad ipsum beneficium, quod est obligatum pensionario, cum onere reali. *Confirmant* paritate cum vectigalibus, et tributis, quae etiam pro tempore anteacto sub antecessore, si hic illa non solvit, solvere successor debet; *l. imperatores* 7. *ff. de publican. et vectig.*

33

Utrique sententiae dandum aliquid, et dicendum, si beneficiarius cedens, vel ejus mortui haeredes conveniri possunt pro pensionis decursae solutione, prius ipsos conveniendos, antequam conveniatur successor in beneficio; quia ipsi directe sunt obligati maxime si fructus aliquos beneficii retineant, quippe quo casu hypothecaria actio in eosdem datur. Quodsi autem excussione beneficiarii, aut haeredis facta, solvendis pensionibus non suffecerint, tum demum pro solutione istarum recurrendum ad successorem; quia licet fructus tempore antecessoris percepti obligati sint ipso jure pro solutione pensionis, non tamen determinate, sed tantum si extent: unde casu quo ante pensionis solutionem consumpti sunt, in eorum locum subrogantur fructus reliquorum sequentium annorum ex beneficio eodem percepti. *Et confirmatur* hoc ex casu, quo beneficiarius ipse consumpsit fructus beneficii integros, quo casu ille a pensione illius anni solvenda non liberatur, sed solutionem praestare ex fructibus aliorum annorum debet.

34

Dub. 8. Utrum beneficiarius pensionem beneficio suo impositam redimere, h. e. aliquid dare possit, ut obligatio pensionis per hoc extinguatur? Distinguunt plerique, et 1. quidem *pensionem temporalem* concedunt absque simonia redimi, aut etiam pretio vendi posse. Ita post Solum, et Victoriam Less. *l.* 2. *de just. c.* 35. *n.* 123. quia haec, postquam a spirituali titulo beneficii separata est, nec spiritualis est, nec spiritualibus annexa, et per consequens, nec materia simoniae.

35

2. *Pensio spiritualis*, seu *ecclesiastica* nec redimi, nec vendi, aut pretio commutari citra simoniam potest; Ita Suar. *tom.* 1. *de relig. l.* 4. *de simon. c.* 26. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 8. Less. *c.* 35. *citt. n.* 122. et hoc teste communis DD. *Quod redimi nequeat*, ratio est, quia redemptione extingueretur obligatio pensionarii; supponitur autem hanc debere manere, ut officium spirituale praestetur. *Quod vendi non possit*, patet ex eo, quia datur propter officium ecclesiasticum, et in eo fundatur non minus, ac in beneficiis praebenda. Igitur sicut pro praebenda non potest quidpiam dari, ita nec pro tali pensione. Quodsi tamen pensionarius retineret suam obligationem, possent redimi fructus triennii, sicut et elocari; quia tali casu non jam pensio, seu jus pensionis, sed soli fructus redimerentur, quod fieri absque simoniae vitio potest, cum illi sint mere temporales, et a titulo spirituali separabiles; Less. *l. cit.*

36

3. *In pensione mixta* distinguendum est inter jus antiquum, et stylum romanae curiae. *Priori spectato*, talis pensio sine simonia tam redimi, quam vendi potest. Ita Cajet. *tom.* 1. *opusc.* 31. *resc.* 10. Less. *c.* 35. *cit. n.* 124. *et* 125. et hoc teste passim. DD. *in clem. un.* §. *eadem quoque de suppl. negl. Ratio est*, quia pensiones hujusmodi solum propter causas temporales, et alimenta dantur, et solum subjective sunt spirituales, quatenus sc. solis personis ecclesiasticis conferuntur, et aliquando propter officium spirituale praeteritum, tanquam conditionem, sine qua non darentur, ut recte advertit Less. *n.* 126. *At de stylo curiae romanae* hujusmodi pensiones absque pontificis facultate vendi non possunt: et vendens punitur ut simoniacus. An sine apostolica authoritate redimi queant, dissidium est inter DD. Affirmant Cajet. Suar. Tolet. quibus assentitur Less. *l. cit. n.* 129. modo non ante resignationem pactum praecesserit de pensione constituta redimenda, et per hoc non tollatur obligatio recitandi officium B. V. ubi constitutio Pii V.

recepta est ; quia per hujusmodi redemptionem videtur non tam jus spirituale extingui, quam fructus anticipata solutione vendi, quod labe simoniae caret. Sed Fagn. *in c. ad audientiam* 31. *de rescript. n.* 88. *et* 115. Flamin. *de resign. l.* 6. *q.* 2. *n.* 128. Rebuff. *de pacif. poss. n.* 134. Navar. *cons.* 59. *n.* 1. *de simon.* Gigas *de pension. q.* 45. *et* 87. Honor. *hic n.* 62. Konig *n.* 45. *vers. Verum*, cum innumeris aliis volunt id fieri non posse sine dispensatione apostolica, qua impetretur jus, ac potestas ipsius pensionis extinguendae ; quod jus beneficiario ad pensiones obligato datur taxando eidem certum numerum annatarum, seu pensionum annuarum, quas pensionario simul solvat, ut sic liberum se ab iisdem in futurum solvendis praestet. In taxatione hac considerari solet aetas pensionarii praesens ; nam quo junior est, eo major praesumitur numerus annatarum decurrendarum, et e contrario eo minor, quo senior, et provectior ille fuerit. Hinc in annatis his assignandis curia romana variat ; nam aliquando, sed rarissime numerus illarum augetur usque ad decem, plerumque tamen solummodo imperantur quinque, ita, ut casu, quo pensio v. g. est 20. aureorum, ea redimi possit 100. aureorum semel facta solutione ; Konig *hic n.* 47.

37

Dub. 9. an, et qua ratione pensio ab una persona transferri in aliam possit ? Resp. Negari non potest, pensiones transferri posse ; sic enim constat ex usu, et stylo curiae rom. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 9. *n.* 1. Leur. *p.* 3. *for. benef. q.* 607. *n.* 1. An translatio haec sit proprie dicta translatio, an vero extinctio antiquae pensionis, et constitutio novae, dissident inter se DD. Hoc posterius defendunt communius ex ratione ; quia pensiones non sunt jura realia, et perpetua, sed temporalia, et personalia : unde mutatis personis, ipsa jura mutantur ; alias si perseveraret idem jus in translatario, quod erat in transferente, mortuo transferente, periret jus translatarii, quia transferens solum habuit jus pensionis pro sua vita, et consequenter non posset ultra vitam propriam jus translatario concedere. *Excipitur*, si pensionarius retento jure pensionis, solum alteri cessit commoditatem pensionis ; nam tali casu manet eadem pensio, ac propterea jure pensionis extincto in cedente, etiam exspirat cessio, et pensio consolidatur in favorem ecclesiae, seu rectoris, ut liber evadat á pensione, etiam in praejudicium foventium causam onerosam ; Petra *tom.* 3. *comm. fol.* 370. *n.* 62. et hoc teste decisum a rota *in mediolanensi pensionis decis.* 129. *p.* 1. *recent. et decis.* 397. *n.* 16. *ad fin. p.* 12.

38

Debet autem haec translatio fieri coram canonico ecclesiae cathedralis, vel persona in dignitate constituta, exhibitis eidem litteris originalibus, vel aliis authenticis, quibus pensionario datur facultas transferendi pensionem: alias non potest procedere; quia non potest procedere, quin ei constet juridice de jurisdictione sibi concessa, quam ex vi harum litterarum accipit; Mandos. *de signat. grat. tit. de translat. pens. vers. nonnunquam*, Flamin. *l.* 6. *de resign. q.* 4. *n.* 37. Garc. *p.* 6. *c.* 2. *num.* 11. *et* 16. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 9. *n.* 5.

39

Licentiam transferendi pensionem dare solus pontifex potest; Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 11. *q.* 2. Flamin. *q.* 4. *cit. n.* 15. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 242. Lotter. *l.* 1. *q.* 36. *n.* 56. ubi etiam *n.* 57. subjicit, in hujusmodi facultate transferendi semper vel praescribi, vel praescriptam censeri formam hanc, ut indultarius veterem pensionem per papam reservatam extinguat, et mox aliam ejusdem quantitatis vigore indulti super iisdem fructibus reservet ad favorem cujuslibet.

Concessa haec licentia olim fuit militibus s. Petri a Leone X. militibus s. Pauli a Paulo III. militibus Piis, ita dictis a fundatore Pio IV. ab hoc ipso pont. Sed Pius V. *in sua const.* 71. has omnes facultates revocavit, neque concedendas dixit, nisi S. R. E. cardinalibus, et viris de ecclesia multum bene meritis. His addidit Sixtus V. milites lauretanos, a se institutos, quibus, cum eosdem de ecclesia bene mereri crederet, indulsit facultatem transferendi pensionem ducatorum ducentorum de camera; Pal. §. 9. *cit. n.* 4.

40

Fieri translatio ista potest etiam in articulo mortis, in qua proinde locum non habet *regula de viginti*, seu *de infirmis*: modo pensionarius, de cujus pensione transferenda agitur, sit mentis compos, et in ipsa translatione observetur forma, et modus praescriptus in litteris, in quibus facultas transferendi conceditur; Corrad. *prax. benef. l.* 5. *c.* 5. *n.* 51. Et sic translatio non potest fieri per testamentum; Corrad. *l. cit.* Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 56. Leur. *p.* 3. *for. benef. q.* 616. *n.* 8. Neque obstat decisio rotae *in placentina pensionis* 17. *junii* 1602. in qua fuit dictum, *facta translatione in testamento*, *attendendum esse tempus mortis*, *ad effectum validitatis illius*; nam, ut Garc. *l. cit.* monet, id accipiendum est supposito, quod posset fieri per testamentum, quod tamen ibi non deciditur.

41

Dub. 10. quibus modis pensiones extinguantur? Resp. variis modis extingui, prout videre est apud Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 10. *q.* 1.

et seqq. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 10. *per totum*, Vall. *de benef. l.* 4. *tit.* 14. Leur. *p.* 3. *for. benef. q.* 638. Van-Espen *p.* 2. *J. E. U. tit.* 28. *c.* 9. Honor. *a n.* 61. Pirh. *hic n.* 21. Konig *n.* 47.

Et 1. quidem *morte pensionarii* ; quia haec servitus beneficio imposita solum ad vitam pensionarii durat. Quando moritur beneficiarius, distinguendum est, an pensio sit imposita beneficiario, ita ut solum duret ad vitam illius, an potius beneficio, ut transeat ad successorem in beneficio : nam *primo casu* morte beneficiarii et ipsa cessat ; quia tunc onus est mere personale : at *in secundo* manet ; quia tunc est onus reale ; cons. solvi etiam a successore debet, imo vacante beneficio ab oeconomo, vel administratore ejusdem ; Azor. *c.* 8. *q.* 13. Pirh. *n.* 20. Konig *n.* 39.

2. Per *matrimonium* contractum a pensionario ; quia cum pensio detur ratione clericatus, et clericalia privilegia per contractum matrimonii exspirent praeter illud canonis, et fori juxta terminos juris, inde sequitur etiam pensionem cessare, atque extingui : et ita statuit s. Pius V. *constit.* 73. *bullar. nov. tom.* 2 *pag.* 269. *Excipitur*, nisi dispensatum cum ipso sit a pont. ut retinere pensionem possit, etiamsi matrimonium contrahat : quae tamen dispensatio erit stricte interpretationis ; et hinc si matrimonio superveniat alia causa privans pensione, ita dispensatus eam amplius retinere non potest ; Monacell. *p.* 2. *form. legal. tit.* 14. *n.* 11.

42

3. Per *promotionem ad episcopatum*, non quidem de jure communi (nam *c. cum in cunctis* 7. §. *cum vero de elect.* solum loquitur de beneficiis) sed ex stylo curiae, qui originem sumpsit ex quadam *extrav. Julii II.* et aliorum pont. approbatis per *Clem. VII.* 1524. *constitut. sua* 8. *bull. tom.* 1. *pag.* 371. Et hinc, ne vacent, datur de eodem stylo retentio in ipsis litteris provisionis de episcopatu per decretum *cum retentione compatibilium* ; Fatin. *de translat. p ns. c.* 2. *n.* 34. *Excipiuntur* 1. episcopi titulares ; quia possessionem, et reditus episcopatuum suorum non habent, nihilque praeter nomen, et dignitatem obtinent ; Fatinell. *n.* 37. *Excipiuntur* 2. episcopatus cardinalitii, Ostiensis, Veliternensis etc. ut decisum est sub Alexandro VII. per congregationem deputatam, teste Rocc. *disp. jur. c.* 192. *n.* 5. *et* 6. et aliis apud Fatinell. *n.* 38. *Excipiuntur* 3. quicunque episcopi, antequam consecrati, et possessionem adepti sint ; card. de Luca *de pension. disc.* 43. *n.* 2.

43

4. Per *professionem religiosam* expressam, vel tacitam ex recepto curiae stylo, ut aliis *cit.* notat Pal. §. 10. *cit. n.* 8. Et extenditur hoc etiam ad professos in ordine militari, si veri religiosi sint,

ut equites Teutonici, et s. Joannis de Malta; secus de ceteris; Leuren. *p.* 3. *q.* 648. *n.* 2. *Excipiuntur* religiosi societatis Jesu, qui solum ediderunt vota simplicia biennii; nam isti sicut bona alia retinere possunt, ita etiam pensiones ecclesiasticas praehabitas, prout statutum est *a congreg. gen.* 7. *decret.* 17. §. 4.

5. Si pensionarius *miles* factus sit, et monitus militiam non deserat; quia talis privilegio clericali privatur, cons. ut beneficia, ita et pensiones amittit. Estque hoc verum, etiamsi nunquam pugnaverit, prout respondit *s. congreg. concil. in Niciensi* 19. *dec.* 1648. apud Monacell. *p.* 2. *form. leg. tit.* 14. *n.* 11.

44

6. Si pensionarius in perpetuum pensionem remiserit: unde quoad hoc dispar est ratio beneficii, et pensionis; beneficio enim beneficiarius propria authoritate non potest cedere, potest autem pensione: cujus ulterior ratio est; quia beneficium renuntiatione vacat, quod cedere potest in damnum ecclesiae: at quando pensio remittitur, non vacat, sed extinguitur, et sic beneficium liberatur a servitute, qua tenebatur, quod beneficio, et ecclesiae magis prodest, quam obest.

7. Si pensionarius obtineat beneficium, in quo fuerat ei pensio reservata: ubi tamen est distinguendum, utrum de jure obtineat beneficium, an defacto tantum. *Si primum*, cessat jus percipiendi fructus ex beneficio alieno, in quo jure sita est pensio, sicut cessat usufructus acquisita rei proprietate. *Si secundum*, pensio interea sopitur tantum: et hinc si alius lite ei intentata, illud obtineat, et ipse id cogatur dimittere, potest iterum pensionem exigere ex beneficio illo, sicut in simili casu usumfructum denuo percipere potest usufructuarius, ut colligitur ex *l. dominus* 57. *ff. de usufr.*

45

8. Si pensionarius monitus, ut habitum, et tonsuram clericalem deferat, non obedierit; quia sic habetur *const. Sixti V.* incipit *cum sacrosanctum edita* 6. *idus jan.* 1588.

9. Per crimen haeresis; *c. ad abolendam* 9. *de haeret.* laesae majestatis, aut sedis apostolicae; *c. felicis* 5. *de poen. in* 6. item siquis percusserit cardinalem; *c. felicis cit.* aut episcopum, in cujus dioecesi pensionem habet; *Clem.* 1. *de poen.*

46

Quaeritur 2. de reservatione fructuum ex beneficio provenientium prohibita. *Et* 1. *quidem dubitatur*, quid circa reservationem fructuum beneficialium sit jure cautum? Resp. Duplex de hac prae ceteris insignior extat juris dispositio.

Una est, qua prohibetur episcopus collationem beneficiorum differre, ut sic ipse interim beneficii vacantis fructus percipiat ; *arg. extirpandae* 30. *fin. de praeb. et dignit.* nam collatio beneficiorum vacantium differri non debet : et casu, quo differri illam oportet, fructus ex eodem tempore vacaturae collecti successori asservandi, et eidem restituendi sunt ; *c. cum vos* 4. *in fin. de offic. ordin. Excipitur*, nisi eorum pars aliqua sit applicanda fabricae, et in ecclesiae utilitatem convertenda, vel ex consuetudine loci fructus hujusmodi dividi debeant inter haeredes, et successorem; *arg. extr. un. princ. Joann. XXII. de elect.* Covar. *l.* 1. *var. c.* 15. *n.* 12. Gonzal. *in c. cum vos cit. n.* 7. Vallens *hic n.* 1. Engl. *n.* 3. Vviest. *n.* 2.

47

Altera est, ne episcopus, et alii collatores beneficia conferendo, aut patroni ad ea clericos praesentando fructus ex his provenientes, aut aliquam illorum partem reservent, sibi, vel consanguineis, aut amicis suis applicandam ; *c. un. h. tit. et c. prohibemus* 7. *de censib.* Imo si eos exigerent pro collatione, vel praesentatione, haec simoniaca, et cons. irrita foret ; *c. un. vers. un. unde credimus h. tit. c. cum clerici* 6. *et c. fin. de pact.* Abb. *in c. un. cit. n.* 14. Vvagn. *ibid. not.* 4. Vall. *hic n.* 1. *et* 2. Zoes. *n.* 5. Engl. *n.* 2. Pirh. *n.* 2. Konig *part.* 6. Vviestner *n.* 2. *Ratio est*, quia ex pacto datur, et accipitur aliquid spirituale pro temporali. *Excipitur*, si justa causa hoc exigat ; tunc enim episcopus cum capituli consensu, non ex pacto, sed per authoritatem, et potestatem suam ordinariam subtrahere partem aliquam reditnum beneficii vacantis potest, et in causam hujusmodi necessitatis applicandam reservare. Sed hinc oritur.

48

Dubium 2. quibus casibus episcopus reditus beneficii vacantis, vel partem eorum possit reservare ? Resp. Hoc fieri potest iis omnino casibus, quibus necessitas ita suadet. Communiter DD. assignant causam duplicem. *Prima* est, ut solvat debita, contracta non suo privato, sed ecclesiae, seu episcopatus nomine. *Altera* est, si reparanda sit fabrica ecclesiae cathedralis. Ita s. Tho. 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *in fin.* Abb. *in c. un. h. tit. n.* 15. *et* 20. Barbos. *ibid. n.* 10. Vvagn. *not.* 3. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 4. Vall. *hic n.* 2. Engl *n.* 3. *vers. item poterit.* Honor. *num.* 1. Pirh. *num.* 2. Schamb. *num.* 4. Konig. *parte* 6. *cit.*

49

Ut tamen rite fiat detractio, seu reservatio ista, tria haec requiruntur. Ut beneficium, cui detractio fit, reditibus adundet, cum

non deceat, unum altare discooperiri, ut alterum cooperiatur. 2. Detractio haec fieri debet ante, vel cum collatione beneficii; nam post collationem semel libere factam sine consensu beneficiati non recte fieret, ne jus ipsi quaesitum auferatur contra *reg. id quod nostrum* 11. *ff. de R. J.* Unde si causa aliqua necessitatis urgeat episcopum ad conquirendam pecuniam, et nullum beneficium vacet, vel quod vacat, non habeat abundantes reditus, tum ab omnibus clericis sibi subjectis exigere poterit subsidium charitativum; Engl *hic n.* 3. *vers. item poterit cit.* 3. Fieri debet sine aliquo pacto cum illo, cui beneficium conferendum est, nam tale pactum collationem simoniacam redderet, ut dictum est *n.* 47.

50

Dub. 3. an episcopus ex justa causa vacantium beneficiorum fructus, aut istorum partem aliquam cum capituli consensu possit reservare, applicandam suae, vel capitulari mensae? Affirmant posse ad tempus gloss. *fin. in c. un. h. tit.* Innoc. *ibid. n.* 6. *et* 7. Imol. *n.* 23. et alii interpretes apud Barbos. *n.* 10. *ibid.* qui his authoribus non dissentit. *Ratio*, qua praecipue nituntur, est, quia episcopus ex justa causa, et accedente consensu capituli sui, potest dignitatem, vel beneficium aliquod omnino extinguere; *c. cum accessissent* 8. *de constit.* Ergo multo magis alicujus beneficii pinguioris reditus, vel eorum partem reservare ad tempus, et sibi retinere; *cui enim licet, quod plus est, utique etiam licet, quod est minus*, juxta *reg.* 53. *in* 6. quae vel maxime procedit, quando minus continetur in majori permisso, ut hic fit. *Conf.* Tutor potest rem pupilli emere, ac proinde authoritatem praestare in facto proprio, dummodo id palam faciat, ut habetur *l. pupillus* 5. §. *sane* 4. *ff. de authorit. tutor.* ergo etiam poterit episcopus in casu nostro.

51

Sed hoc non obstante, spectato jure communi, probabilior est negativa, quam etiam tenet Abb. *in c. un. h. tit. n.* 20. Pirh *hic n.* 4. Vviestner *n.* 3. Sumitur ex *c. tua nobis* 32. *de V. S.* in cujus casu refertur privilegium, a sede apostolica impetratum, vi cujus episcopus per biennium retinere poterat fructus beneficiorum dioecesis suae vacantium ad solvenda debita. Atqui privilegio isto non fuisset opus, si istud jure communi semper licuisset episcopo, cum, quod jure permissum est, frustra precibus impetretur; *l. un. C. de thesaur.* ergo etc. *Conf.* non potest episcopus, etiam cum consensu capituli beneficia sibi subjecta perpetuo unire suae, aut episcopali mensae, secundum dicta *supra tit. de praeb. et dignit. n.* 169. idque ideo, quia authoritatem praestaret in facto proprio, seu in commodum suum. Atqui ratio haec locum habet etiam in unione

temporali, vel in reservatione fructuum beneficii ad tempus ab episcopo facta; alioquin posset episcopus fraudem committere, post tempus elapsum renovando unionem, vel reservationem temporalem, et sic indirecte facere illam perpetuam, ut notat Abb. *l. cit.* ergo etc.

52

Ad rationem in contrarium allatam extinctio primiceriatus, de qua *c. cum accessissent cit.* confirmata est a sede apostolica, et hinc vim suam accepit. *Ad conf.* negatur paritas; nam in emptione, et venditione, cum contractus sit onerosus, si palam celebretur, suspicio fraudis cessat: non cessat autem in donatione gratuita, qualis est collatio beneficii; nam in hac suspicio fraudis semper est, quando ad propriam utilitatem fit, ut notat Abb. *l. cit.*

53

Quaeritur 3. quando episcopus numerum praebendarum diminuere, aut beneficia ecclesiastica omnino extinguere possit? Resp. Potest tunc quando ita decreverunt, ut ob tenuitatem redituum sustentationem congruam beneficiato non praebeant; tunc enim cum consensu capituli beneficia ecclesiastica, sive numerus praebendarum diminui, vel etiam omnino supprimi, et extingui beneficium potest, sicut e contrario augeri numerus beneficiorum, et praebendarum potest, si illae notabiliter augmentum capiant; Abb. *in c. cum accessissent* 8. *de constit. n.* 2. *et* 4. Pirhing *hic n.* 5. Schambog. *n.* 5. Engl. *n.* 6. Konig *n.* 30. *Ratio est*, quia tot canonici, et ecclesiae ministri institui debent, quot ex reditibus decenter sustentari possunt, ut dictum est *supra tit.* 7. *de institution. n.* 18. *Procedit-que hoc*, etsi numerus praebendarum juramento esset confirmatus cum clausula irritante; nam, ut recte advertit Pirh. *hic n.* 6. *excep.* 4. juramentum intelligi debet, si res in eodem statu permaneat: igitur si notabiliter sit mutata, v. g. quia reditus notabiliter sunt imminuti, mutatio fieri potest, non obstante ejusmodi juramento.

54

Dixi *cum consensu capituli*; nam regulariter ad diminutionem hanc faciendam iste cum causa justa satis est. *Excipitur* triplex casus 1. quando agitur de extinguenda aliqua dignitate; nam ibi distinctio, est facienda inter dignitatem quae secundum jus commune in ecclesia esse debet, et inter dignitatem, quae solum in ecclesia est ex peculiari ejusdem statuto. *Prior* ut extinguatur, requiritur insuper authoritas papae juxta glos. *in c. cum accessissent cit. V. confirmatum. Posteriorem*, ut alia beneficia, nisi a pontifice confirmata sint tollere ex justa causa episcopus cum capituli consensu potest; glos. *in clem.* 2. *de reb. eccl. non alien. V. vacabit*, Laym. *in c. cum accessissent cit. n.* 2. Pirh. *hic n.* 6. 2. Si beneficium,

de cujus extinctione agitur, non ab episcopo, vel capitulo, sed ab alio fundatum sit; tunc enim opus est consensu patroni, ut supprimi, vel extingui possit. Quodsi tamen patronus requisitus consentire nollet, et necessitas diminutionem, vel suppressionem exigeret, etiam eo invitō, diminutio fieri posset; quia patronos non potest impedire magnum bonum ecclesiae; Abb. *in c. cum accessissent cit. n.* 5. Laym. *in c. cum M.* 9. *de const. n.* 2. *Except.* 1. Pirh. *hic n.* 6. *Except.* 2. 3. si diminutio numeri praebendarum cederet in commodum episcopi, et capituli; tunc enim ad superiorem, v. g. archiepiscopum, vel papam recurrendum esset, ut is consentiat, ne episcopus vel capitulum facto proprio authoritatem praestet; Pirh. *l. c. excep.* 5.

TITULUS XIII.

De rebus ecclesiae alienandis, vel non.

Ne beneficiorum fructus, et proventus diminuantur, quod *tit. praec.* prohibitum a ss. canonibus esse ostendimus, necesse erat etiam prohiberi alienationem rerum, et bonorum, ex quibus illi, seu reditus annuatim proveniunt: quod fit *praesente titulo.*

§. I.

Explicatur rubrica tituli.

SUMMARIUM

1 *Divisio rei in corporales, et incorporales; et corporalium in mobiles, et immobiles.*
2 *Immobilium in immobiles naturaliter, et civiliter.*
3 *Mobilium in pretiosas, et non pretiosas.*
4 5 Ecclesiae *nomine hic intelligitur locus pius quicunque*
6 7 *Nomen* alienationis *sumitur latissime.*
8 *Etiam consuetudo non potest res ecclesiæ facere libere alienabiles.*
9 *Recensentur contractus, et actus nomine alienationis prohibiti.*
10 *Explicatur quid nomine* conditionis *hoc loco veniat. Explicationes aliorum.*
11 *Verior opinio.*
12 *Satis fit adversariis.*
13 *An alienationis hic prohibitæ nomine etiam veniat repudiatio hæreditatis, vel legati delati ecclesiæ? Prima sententia affirmans de utroque.*
14 *Secunda affirmans saltem de legato.*
15 16 *Præfertur sententia de utroque negans.*
17 *Observanda in hac sententia.*
18 *Solvuntur argumenta primæ sententiæ.*
19 *Solvuntur argumenta secundæ.*
20 *Bona ecclesiastica non possunt subjici hypothecæ speciali, possunt generali-*
21 *Exceptio.*
22 23 *An nomine alienationis hic prohibitæ comprehendatur etiam translatio bonorum ecclesiæ ab una in aliam ecclesiam?*
24 *An constitutio servitutis realis, vel personalis?*
25 *An ad solemnitates adhibendas etiam obligetur papa?*

1

Quaeritur 1. quid *rei* nomine hic intelligatur; nam *rerum*, si generatim nomen istud sumatur, varia est, divisio, et subdivisio 1. enim aliae res dicuntur *corporales*, quae sensibus externis subjiciun-

tur, v. g. aedes, horti, agri, vineae, pecuniae etc. Aliae *incorporales*, quae licet facultatem subministrent aliquid agendi, et faciendi quod est sensibile, in se tamen, et formaliter acceptae sensus externos effugiunt, v. g. servitutes, actiones; obligationes, jura.

2. Res corporales ulterius subdividuntur in mobiles, et immobiles. *Mobiles* sunt quae vel seipsas movere possunt de loco in locum, quales sunt res animatae; vel saltem ab aliis de loco in locum salvae, et integrae moveri possunt, quales sunt res inanimatae. *Immobiles*, quae salvae, integrae, et non corruptae, vel destructae nequeunt de loco in locum transferri. Alterutri generi accensentur actiones obligationes et jura, quamvis enim, ut supra dictum est, res incorporae sint ut sic reipsa nec mobiles, nec immobiles, quia tamen accessorie se habent ad res, circa quas dantur, idcirco ex objecto suo aestimari solent, et mobilibus quidem accensentur, si dentur circa res mobiles, immobilibus, si circa immobiles.

2

3. Res immobiles aliae sunt *immobiles naturaliter*, quibus natura impedimento est, quo minus cum integritate a loco moveri possint, v. g. fundus domus etc. Aliae vero *immobiles civiliter*, quae licet ex natura sua cum integritate de loco moveri possint, quia tamen ad perpetuam utilitatem, vel ornamentum rei immobilis v. g. praedii sunt destinatae, ex censura juris pro immobilibus reputantur; *l. Julianus* 13. §. *fin. ff. de act. empt.*

4. Ex immobilibus prioris generis aliqua majoris momenti sunt, alia pro modicis, et exigui momenti rebus habentur. In quonam autem ex his duobus generibus quaelibet res esse censeri debeat, magna est apud DD. contentio; optime sentiunt, qui cum Riccio *prax. episc. dec.* 39. *n.* 8. Quar. *V. alienatio n.* 41. Barb. *de offic. episc. alleg.* 95. *n.* 51. Fagn. *in c. nulli* 5. *h. t. n.* 26. Vall. *hic* §. 2. *n.* 3. Konig *n.* 9. Vviest. *n.* 41. id relinquendum dicunt prudentiae, et arbitrio judicis, qui id aestimabit inspecta conditione ecclesiae, an tenuis, vel abundans sit, et attenta qualitate temporum, locorum, et rerum: nec immerito; quia *can. terrulas* 53. *caus.* 12. *q.* 2. ubi terrularum, vineolarum, exiguarum, et ecclesiae parum utilium distractio permittitur episcopis, et aliis similibus textibus non definitur, quaenam terrulae, vel bona immobilia exigui momenti dicenda sint; ea autem, quae lege definita non reperiuntur, arbitrio judicis relinquuntur; *l. si servus* 1. §. *fin. ff. de jur. deliber.* Decius *in c. sedes* 15. *de rescr. n.* 2.

3

5. Denique inter res mobiles aliquae sunt, quae servando servari nequeunt, ut vinum, oleum, frumentum etc. Et ex prioribus

quidem aliquae dicuntur *pretiosae*, quae propter pretium, artem, antiquitatem singularem splendorem conciliant, v. g. monilia, vasa aurea, et argentea, statuae etc. Aliae *non pretiosae*, quae servatae specialem decorem non conciliant, ut est v. g. supellex communis, et ordinaria. Quanto valoris res mobilis esse debeat, ut pretiosa censeri possit, iterum DD. dissident; Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 2. requirit, ut 100. aureorum valorem attingat, Donat. *to.* 1. *prax. reg. tr.* 14. *q.* 48. *n.* 2. putat sufficere, si valeat ultra 20. solidos, *p.* 4. *tr.* 4. *Miscell. resol.* 227. censet pro talibus habendas res illas, quae 25. aureis aestimantur: quod etiam a S. cong. card. declaratum refert. Optime P. Konig *hic n.* 14. p. Vviest. *n.* 32. *ibid.* Schm. *de reb. eccl. p.* 2. *c.* 4. *n.* 15. monent in hoc attendendam consuetudinem, et praxim; haec enim aliquando in una provincia plus indulget, quam in alia, plus episcopis, quam praelatis, plus iis, qui S. R. I. principes, et status sunt, quam aliis. Jam divisiones istae omnes hoc *tit.* sub examen veniunt.

4

Quaeritur 2. quid intelligatur hic nomine *ecclesiae*? Resp. Nomen *ecclesiae* in hac materia, utpote perquam favorabili, latissime accipiendum est, ut includat non tantum templa, capellas, oratoria, et similia loca per ceremonias sacras ad DEI cultum, et sanctorum venerationem, atque memoriam, per sacrificia, et alia officia divina celebrandam, dedicata: sed etiam quaecunque alia loca pia, et ad religionis, pietatis, aut misericordiae opera exercenda episcopali, vel alia hujusmodi authoritate deputata: qualia sunt monasteria, conventus, collegia, congregationes, aliaeque domus regularium utriusque sexus: item xenodochia, hospitalia, nosodochia etc. peregrinis, et miserabilibus personis recipiendis, alendis, aut curandis authoritate ecclesiastica constituta. Horum enim omnium res alienari sine requisita solemnitate nequeunt, ut recte Abb. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 14. Felin. *in c. de quarta* 4. *de praescript. n.* 2. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 10. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 4. Schamb. *n.* 3. Vviest. *n.* 1. et constat *extrav. ambitiosae h. tit. int. com. ibi, locorumque piorum quorumlibet.*

5

Neque obstat, quod *l. jubemus* 14. *C. de ss. eccl.* Leo imp. solum loquatur de ecclesiis; nam postea constitutio haec extensa fuit ad omnem locum pium per *auth. hoc jus porrectum C. eod.* quae *auth.* refertur *in can. ea enim* 2. *caus.* 10. *q.* 2. et approbata, ac veluti canonizata est *c. nulli* 5. *h. tit.* ut notat Abb. *ibid. n.* 13. *in fin. Conf. a pari;* nam etiam beneficium restitutionis in integrum, concessum ecclesiis ratione laesionis, extenditur ad xenodochia, et

alia pia loca si authoritate episcopali sint constituta, quia quoad ista in jure aequiparantur ecclesiis; *arg. c. requisisti* 15. *vers. secus autem de testament.*

6

Quaeritur 3. quomodo hic accipiendum sit nomen *alienationis*? Potest enim dupliciter accipi. *Primo* stricte pro eo tantum actu, quo dominium rei traditae directum in alterum transfertur, cujusmodi est venditio, donatio, permutatio etc. ut constat ex *l. alienatum* 67. *princ. ff. de V. S. l. jus emphyteuticarium* 1. *C. de jur. emphyt. et l. si aestimata* 1. *C. de fund. dotal. Secundo* latissime pro omni eo actu, quo dominium directum, vel etiam utile tantum, retento directo, aut aliud jus in re transfertur, quo sensu accipitur *l. fin. C. de reb. alien. non alien.* Gonzal. *ad rubr. h. tit. not.* 3. Canis. *hic n.* 1. Vallens. §. 1. *n.* 4. Honor. *n.* 5. Schamb. *n.* 2. Zoes. *n.* 2. Konig. *n.* 1.

7

In praesenti *titulo* nomen *alienationis* sumitur secundo modo, sc. *latissime,* prout constat ex *c. nulli* 5. *h. tit. clem. monasterium.* 1. *eod. et extrav. ambitiosae cit.* et notat Abb. *in c. nulli cit. n.* 13. Redoan. *de reb. eccl. non alien. rubr.* 1. *c.* 47. *n.* 14. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 2. Vvies. *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 3. *Ratio est*, quia rerum ecclesiasticarum alienatio in tantum est prohibita, in quantum id exigit favor, et utilitas ecclesiae: sed favor, et utilitas ecclesiae exigit, ut non solum translatio dominii; sed etiam alterius cujuslibet juris, ecclesiae multum proficui, prohibeatur; nam etiam per talis juris translationem graviter noceri eidem potest: ergo etc.

8

Estque hoc ita verum, ut contraria omnis consuetudo, etiam immemorialis invalida sit; quia hujusmodi consuetudo non potest concedere in grave detrimentum ecclesiae, nec apparet, quomodo hoc damnum aliunde compensari, et res cohonestari possit; Abb. *in c. nulli cit. n.* 6. Franc. *in c. non est* 3. *n.* 2. *de consuet. in* 6. Pirh. *hic n.* 9. *not.* 6. *Excipitur*, nisi causa necessitatis, vel utilitatis ecclesiae ita suadeat; nam si ista alienationem suadeat, tunc fieri haec, servata forma a jure praescripta, a praelato potest, etiamsi is juraverit se non alienaturum, ut habetur *c. ut super* 8. *h. tit.* et tradit *ibid.* Abb. *n.* 15. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 17. Pirh. *hic n.* 11. *Ratio est*, quia juramentum, circa materiam juris praestitum, intelligitur secundum terminos juris, et ideo restringitur ad illicitam, ac jure prohibitam alienationem.

9

Quaeritur 4. quinam contractus, et actus in specie nomine alienationis prohibeantur clericis circa res ecclesiarum? Resp. 1. prohibetur donatio, venditio, permutatio; *c. nulli cit. et c. irrita* 1. *ac seq. de his, quae a praelat.* 2. constitutio pignoris, seu hypothecae saltem specialis; *cap. nulli, et extrav. ambitiosae cit.* 3. concessio in feudum, vel emphyteusim; *cap. et extra cit.* 4. locatio ultra triennium; *clem.* 1. *et extr. cit.* 5. cessio litis motae super ecclesiae re alienari prohibita; Abb. *in cap. dudum* 34. *de elect. n.* 17. Laym. *ibid. n.* 8. Pirh. *n.* 10. *hic*, Vviest. *n.* 4. 6. transactio, qua res ecclesiae, vel possessio ejusdem transfertur in alium; Redoan. *rub. cit. c.* 1. *n.* 13. Quarant. *V. alienatio n.* 20. *et n.* 43. *vers. duodecimo limita* Vall. *hic* §. 1. *n.* 4. Pirh. *n.* 10. Vviest. *n.* 4. 7. compromissum; cum enim ex isto sequi possit translatio rei, vel possessionis in extraneum, is, qui de re aliqua libere disponere, eamque alienare nequit, super ea etiam compromittere prohibetur; Abb. *in c. dilecti* 4. *n.* 8. *de arbitr.* Redoan. *rub. cit. c.* 36. *n.* 1. Quarant. *n.* 20. *cit.* Vviest. *n.* 4. 8. unio perpetua ecclesiae, vel beneficii cum alia ecclesia, vel beneficio; nam ad ejusmodi unionem faciendam episcopus capituli consensu indiget, ut decernitur *clem.* 2. *h. tit.* et dictum est *tit.* 5. *n.* 187. 9. conditio; *c. nulli cit. ibi, alienationis autem verbum continet conditionem etc.*

10

Quid vero hoc loco *conditionis* nomine intelligatur, mire interpretes, atque DD. variant. Nam 1. gloss. *in c. nulli cit. V. alienationis*, Innoc. *ibid. V. conditionem*, et Anton. de Butrio *n.* 7. volunt *conditionis* nomine intelligendos contractus conditionatos initos de rebus alienari prohibitis, si dispositionem, et obligationem conferant in eventum aliquem futurum, v. g. *si navis ex Asia venerit* 2. alii cum Quintino in *repet. cap. cit.* subintelligi volunt vocem *testamenti*, ita, ut sensus sit, praelatos non posse de rebus ecclesiae immobilibus, et mobilibus pretiosis testamentum condere, vel per ultimam voluntatem disponere; quia qui testamentum condit, alienat. 3. alii pro voce *conditio* legendum existimant *condictio*, quasi error irrepserit librariorum incuria. 4. alii contra legunt *conductionem.* 5. nonnulli cum Cujacio, Antonio Augustino, Germonio volunt *conditionis* nomen ab hoc textu omnino rejiciendum; quia nec in *novell.* 7. *cap.* 1. *et in constit.* 7. *Justini imp. cap.* 1. unde textus *cap. cit.* teste Gonz. *ibid. n.* 1. desumptus est, vox illa ponitur. 6. denique Cironius *in cap. cit.* judicat *conditionis* vocem retinendam, aitque ea prohiberi omnem pactionem, seu conventio-

nem super rebus ecclesiae immobilibus, vel mobilibus pretiosis, qua citra translationem dominii directi, vel utilis eidem praejudicium afferri posset : qualis esset, si super ejusmodi rebus usufructus, usus, vel alia servitus constitueretur; quia sic alienare praelatus videretur; *can. non liceat* 20. *caus.* 12. *q.* 2. *et l. fin. C. de reb. alien. non alien.*

11

Ex his explicationibus praehabenda videtur ultima : nam 1. videntur pro ea allegari posse omnes ii DD. qui cum Innoc. Butrio, Zabarella , Imola nomine *conditionis in c. cit.* volunt prohibitum , ne ecclesiarum res reddantur tributariae, aliisque similibus oneribus graventur. 2. habet etiam adminiculum in jure, ubi passim *conditio* pro pacto sumitur, ut patet ex *l. societatem* 76. *ff. pro socio ibi*: *mecum coisti ea conditione*, item *l. sed Celsus* 6. §. *fin. ff. de contrah. empt. ibi, conditio, quae initio contractus dicta est, et l. debitori* 7. *c. de pact. ibi, ea condictione, pactoque.* 3. consentit Cicero *l.* 16. *ad tironem*, ubi stare conditionibus, et pacta servare pro eodem sumuntur ; verba illius sunt : *si illi suis conditionibus stare noluerint, bellum paratum est*

12

Contrariae explicationes quaedam vitiosae, aliquae ad arbitrium confictae sunt. *Ad* 1. explicatio illa, ut ait Gonzal. *in c. nulli cit. n.* 5. ab omnibus reprobatur , et merito; quia non erat necessarium fieri mentionem expressam contractus conditionati , cum jam prohibitus sit sub generico nomine contractus. *Ad* 2. praeterquam quod testamenti factio , spectato jure communi , clericis prohibeatur non tantum de rebus ecclesiae, sed etiam de propriis, intuitu tamen ecclesiae acquisitis , contra eam explicationem ulterius est , quia nullus existit canon , in quo testamentaria dispositio *conditionis* nomine expressa sit, ut adeo explicatio haec merissima sit divinatio. *Ad* 3. conditio est actio, qua jus nostrum in judicio prosequimur, quam pro alienatione accipi, in scholis inauditum, et apud DD. nunquam lectum est. *Ad* 4. locatio conductio rerum ecclesiarum ante *extrav. ambitiosae cit.* tantum illa prohibita fuit, quae ad longum tempus extendebatur : quae amplitudo nunc quidem per dictam *extr.* restricta est , reducta tamen ad triennium ; cons. prohibitio conductionis generatim generica est falsa. *Ad* 5. textus *c. nulli cit.* prout invenitur in corpore juris canonici pro lege ecclesiastica approbatus fuit a summo pont. qui proinde ea approbatione fecit suam, licet textus iste ab origine sua etiam in aliis discrepet, prout textus comparanti facile apparebit.

13

Quaeritur 5. an alienationis hoc titulo prohibitae nomine etiam veniat repudiatio haereditatis, vel legati, quo res immobilis, vel mobilis pretiosa ecclesiae, aut monasterio, relicta est? Triplex sententia est apud DD.

Prima tam de legato, quam de haereditate ecclesiae, aut monasterio delata negat, quod eidem praelatus, sine consensu capituli, et aliis juris solemnitatibus, valide renuntiare possit. Ita Lambertin. *l.* 3. *de jur. patron. q.* 9. *art.* 1. *n.* 21. *concl.* 5. *vers. eodem modo.* Gonz. *in c.* 5. *h. tit. n.* 13. et alii ab hoc *cit. Rationem dant* 1. quia praelatus, seu rector ecclesiae solus sine consensu capituli, et aliis solemnitatibus non potest ecclesiae suae obesse, et praejudicare agendo, et contrahendo, seu jura ecclesiae, et bona acquisita alienando: ergo nec obesse, ac praejudicare potest in non acquirendo, seu bonis, ac juribus ecclesiae acquirendis renuntiando. 2. juxta dicta *n.* 7. hoc titulo prohibetur alienatio rerum ecclesiae non solum stricte, sed etiam latissime dicta, quatenus illa est nociva ecclesiae; atqui repudiatio haereditatis, vel legati est saltem alienatio late, et minus proprie dicta, eo quod per illam dimittatur saltem jus adeundi haereditatem, vel acceptandi legatum, quod jus ante omnem acceptationem ecclesia per ipsam haereditatis, vel legati delationem acquisivit: ergo etc. 3. ante aditam haereditatem ecclesia acquisivit jus, non quidem in re, sed tamen ad rem, quod repudiando illam praelatus dimittit, et alienat: atqui jura ecclesiae, si ad bona immobilia, vel pretiosa dentur, alienari a praelato sine capituli consensu nequeunt, quia, ut *n.* 1. *supra* dictum est, inter res immobiles computantur; ergo etc.

14

Secunda sententia contendit solemnitates, a jure pro alienationibus praescriptas, adhibendas saltem in renuntiatione legati delati ecclesiae? Ita Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 12. Quarant. *summ. bullar. V. alienatio n.* 23. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 468. *n.* 12. Vasq. *de success. tom.* 1. §. 27. *n.* 23. Pinell. *de bon. matern. l.* 1. *p.* 3. *n.* 103. *vers. alia ampliatio*, Engl *hic n.* 9. clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 4. *n.* 60. et alii ab his *cit.* Moventur 1. quia praelatus non potest alienare rem immobilem, vel mobilem pretiosam, cujus dominium est penes ecclesiam; *cap. nulli* 5. *h. tit.* atqui dominium rei immobilis, vel mobilis pretiosae legatae est penes ecclesiam; *l. cum pater* 77. §. *surdo* 3. *et legatum* 80. *ff. de legat.* 2. ubi statuitur, quod legati dominium a morte legantis statim acquiratur legatario, etiam ignoranti: ergo etc. 2. quia pro re, quae ecclesiae legato relicta est, eidem vindicatio pene perpetua competit; *l. ut inter* 23.

C. de ss. eccl. non competeret autem vindicatio, si non competeret dominium : si autem dominium ipsi competit, res ita legata sine solemnitate juris repudiari non potest. 3. quia nec pupillus fundum sibi legatum sine authoritate praetoris repudiare potest ; *l. magis* 5. §. *fundum autem* 8. *ff. de reb. eor. qui sub tutel.* ex hac praecise ratione ; quia *esse et hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat.* Atqui a pupillo bonum ducitur argumentum ad ecclesiam ; *arg. c. requisivit* 1. *de in integr. restit.* ergo etc.

15

Tertia sententia, eaque meo judicio probabilior, et communior vult tam haereditatem, quam legatum ecclesiae delatum ab hujus praelato, vel rectore repudiari posse. Ita Abb. *in c.* 8. *n.* 9. *de his, quae a praelat.* Sylv. *V. alienatio q.* 19. *n.* 18. Less. *l.* 2. *de just. c.* 24. *n.* 65. Sanch. *l.* 6. *de matr. D.* 4. *n.* 11. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 10. *n.* 7. Gratian. *discept. for. cap.* 674. *n.* 20. Barbos. *de offic. episc. alleg.* 94. *n.* 54. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *num.* 11. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *consect.* 5. *n.* 4. *et* 5. Donat. *tom.* 1. *prax. reg. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 59. *n.* 8. Vall. *hic* §. 2. *n.* 4. Honor. *n.* 27. *fin.* Zoes. *n.* 6. *et* 7. Pirh. *n.* 41. Reiffenstuel *tit. de his, quae a praelat. n.* 38. *et seqq.* Vviest. *tit. de donat. n.* 40. *Ratio est*, quia talis repudiatio haereditatis, vel legati non est proprie alienatio rei ecclesiae, sed potius non acquisitio, uti constat 1. ex *l. si sponsus* 5. §. *si maritus haeres* 13. *ff. de donat. int. vir. et uxor.* ubi permittitur marito repudiare haereditatem, aut legatum, ut uxori obveniat, nec censetur esse alienatio, seu donatio inter conjuges. 2. ex *l. quod autem* 6. §. *proinde* 2. *et* §. *sed et illud* 4. *ff. quae in fraud. credit.* ubi repudiatio haereditatis, vel legati non censetur alienatio facta in fraudem creditorum. 3. ex *l. alienationis* 28. *princ. ff. de V. S.* ubi Paulus JCtus, *qui occasione*, inquit, *acquirendi non utitur, non intelligitur alienare, veluti qui haereditatem omittit, aut actionem intra certum tempus datam non amplectitur.*

16

Conf. 1. quia praelato permissa, et valida esse censetur quaecunque dispositio circa res ecclesiae, vel monasterii sibi commissi, quae jure prohibita, aut irrita non reperitur ; *arg. c. cum apud* 23. junct. gloss. *V. prohibitorium de spons. et matr. et l. mutus* 43. §. *cum quaeretur* 1. juncta gloss. *V. edictum ff. de procurat.* atqui haereditatis, vel legati repudiationem ipsi interdictam, vel saltem irritam esse non est jure expressum : ergo permissa, aut saltem valida, et a poenis, quae in male alienantes latae sunt, immunis erit. *Conf.* 2. actus, et dispositiones quaecunque in dubio validae censeri debent ; *l. quoties* 80. *ff. de V. O. et l. quoties* 12. *ff. de*

reb. dub. ideoque omnis interpretatio admittitur ad eas sustinendas; Tusch. *practic. V. actus concl.* 36. *n.* 1. 14. et quae pro actus valore militat, ceteris fortior praesumptio censetur; Menoch. *l.* 3. *praesumpt.* 29. *n.* 45. atqui propositae repudiationis valor, et nullitas maxime dubia sunt: ergo pro valida haberi debet.

17

Duo tamen in sententia hac nostra sunt observanda. 1. Quod solum intelligi debeat de repudiatione simplici, non autem de cessione, aut permutatione in favorem, et commodum alterius, ut bene Sanch. *D.* 4. *cit. n.* 17. *Ratio est*, quia per talem cessionem hoc ipso haereditas prius deberet censeri adita, vel legatum agnitum; et sic censeretur alienatio rei jam acquisitae. 2. Quod etsi praelatus valide renuntiet haereditati, vel legato ecclesiae suae delato, quando tamen sine justa causa hoc facit, illicite agat, et peccet, ut ierum Sanch. *n.* 14. Zoes. *hic n.* 7. Engl *n.* 9. Pirh. *n.* 41. Schamb. *n.* 16. Et hinc ecclesiae in hujusmodi casibus competit beneficium restitutionis in integrum ob negligentiam praelati in acquirendo lucro ecclesiae, ita, ut in optione illius sit vel agere contra praelatum, vel petere restitutionem in integrum; Sanch. *l. cit n.* 15. Laym. *n.* 7. Pirh. *n.* 42. Schambog. *n.* 16. *Ratio est*, quia, ut ait gloss. *in can.* 2. *caus.* 12. *quaest.* 4. *V. neglectum*, si praelatus aliquid negligit acquirere ecclesiae suae, cum possit, hoc ipsi imputatur, et de hoc tenetur instar tutoris juxta *l. quidquid* 7. *C. arbitrium tutelae.*

18

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. *primae sententiae* aliud est nocere, aliud non prodesse, non acceptando haereditatem, vel legatum. Praelatus non nocet positive, sed tantum non prodest. Igitur valide saltem illis renuntiat. *Ad* 2. dum dicitur prohibitam esse alienationem etiam improprie dictam, intelligendum est de alienatione juris jam quaesiti, et quando agitur de ecclesia depauperanda; secus si agatur de mera non acquisitione, et illa non locupletanda. *Ad* 3. licet praelatus ita repudiando haereditatem, aut legatum ecclesiae delatum, si sine causa justa id fiat, agat contra jus ecclesiae, et ideo, ut *num. praec.* dictum est, peccet, non tamen patrimonium ejus diminuit, in qua diminutione consistit alienatio. Declaratur exemplo pauperis, quem siquis vi, aut dolo impediat a consequenda eleemosyna, is quidem contra jus ejusdem agit, quia tamen pauperiorem illum, ac prius erat, non facit, non potest dici aliquid ipsius alienare, vel adimere.

19

Simili modo respondetur ad argumenta secundae sententiae. *Ad* 1. quamvis, si res in specie legata sit, ejus dominium statim a morte testatoris transeat in legatarium, etiam ante aditam haereditatem juxta *l. cit.* et ita videatur ejus non acceptatio esse imminutio proprii patrimonii, et quaedam alienatio; revera tamen talis non est, cum ante acceptationem dominium legati, non nisi imperfecte, et revocabiliter acquiratur legatario, et sub tacita conditione, nisi repudietur: unde si postea repudietur, juris fictione perinde est, acsi non esset acquisitum dominium; gloss. *in l. quod autem cit. V. legatum.* Sanch. *n.* 8. Pirh *n.* 41. *hic*, Vviest. *n.* 50. *Ad* 2. rei vindicatio legatario competit, non nisi post factam acceptationem legati; nam antequam illud praelatus acceptet, ecclesia non habet proprie dictum jus ad rem, et cons. nec actionem, quae non datur, nisi supposita acceptatione. *Ad* 3. inter pupillum, et praelatum est lata disparitas; nam pupillus caret omni administratione rerum suarum, non item praelatus, qui rerum ecclesiae administrationem habet. Deinde pupillo, et minori prohibita est non solum vera alienatio, per quam res jam acquisita transfertur in alium, sed etiam omissio lucri, sive non acquisitio lucri, quae est quodammodo alienatio; praelato autem prohibita solum est alienatio illius, quod ab ecclesia possidetur, adeóque jam ipsi est acquisitum juxta *c. cum apostolica* 7. *de his, quae a praelat. etc.*

20

Quaeritur 6. quali hypothecae subjici res ecclesiasticae nequeant, speciali solum, an etiam generali? Resp. non posse subjici hypothecae speciali, posse generali. Ita Joan. Andr. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 1. Abb. *ibid. n.* 3. Covar. *l.* 2. *var. c.* 16. *n.* 7. Redoan. *tr. de reb. eccl. non alien. q.* 2. *c.* 6. *n.* 11. *et* 12. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 466. *n.* 1. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 10. *n.* 2. Barbos. *de offic. episc. alleg.* 19. *n.* 85. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 3. Pillizar. *man. regul. tr.* 6. *cap.* 8. *q.* 11. Fagnan. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 30. *et seqq.* Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *consect.* 12. *n.* 4. *et* 5. Honor. *hic n.* 5. Pirh. *n.* 5. Schambog. *n.* 4. Colligitur ex *n. nulli cit.* per sensum contrarium; eo ipso enim, quod ibi solum prohibeatur hypotheca specialis in rebus ecclesiasticis, permissa censetur hypotheca generalis. *Ratio disparitatis est*, quia per hypothecam generalem non ita facile deveniri potest ad alienationem, seu venditionem rei generaliter solum oppignoratae, quam per hypothecam specialem; nam haec, quia plus juris in rem transfert in creditorem, majus periculum alienandi affert.

21

Quare si justa causa hoc petat, praelatus etiam absque consensu superioris, vel alia solemnitate canonica, ad firmandum contractum legitime institutum, bona ecclesiae sub hypotheca generali obligare poterit. *Excipi tamen debet*, nisi pignus sit constitutum pro tanta quantitate, ut non sit spes, quod facile redimendum sit, sicque res ecclesiae probabili periculo alienationis, vel distractionis exponantur; tunc enim etiam generali hypothecae subjici non potuerunt, ut recte *l. cit.* advertunt Redoan. *n.* 3. 4. 10. *et* 11. Laym. *n.* 2. Pirh. *n.* 5. *Ratio est*, quia prohibito aliquo actu, censetur etiam prohibitum omne illud, per quod pervenitur ad actum illum.

22

Quaeritur 7. an nomine alienationis hic prohibitae etiam comprehendatur translatio bonorum, vel redituum unius ecclesiae particularis ad aliam ecclesiam? P. Engl. *hic n.* 16. putat de puncto juris, et extra Italiam (ubi praxis curiae romanae non ita attenditur, nisi et hic consuetudine aliud receptum sit) non improbabilem esse sententiam negativam, hoc saltem sensu, ut si evidens causa utilitatis, vel necessitatis subsit, superioris licentia non requiratur, eo, quod finis prohibitionis de non alienandis rebus ecclesiae sit bonum ecclesiae universalis, non vero ecclesiarum particularium. Sed dicendum, etiam in tali translatione, ut licita, et valida illa sit, opus esse, ut solemnitates juris in ea interveniant. Sumitur ex *can. eccles.* 43. *caus.* 16. *q.* 1. *et c. non licet* 1. *h. tit.* et notat *ibidem* Alagona, Vivian. *princ.* Vvagn. *in exeges.* Vall. *hic* §. 1. *n.* 1. *Ratio est*, quia ejusmodi translatio est verae alienationis species, quae si fiat sine solemnitatibus a jure praescriptis, est interdicta praelatis ecclesiae.

23

Potest tamen translatio talis ab episcopo, vel alio simili praelato, qui jurisdictionem quasi episcopalem habeat, fieri tribus his concurrentibus. 1. Ut fiat ex justa causa, qualis est indulgentia alterius ecclesiae; nam ecclesiae particulares, tanquam membra unius corporis, sc. ecclesiae, universalis, subvenire sibi invicem debent. 2. Ut prius rectori, et ministris, item fabricae ecclesiae, de cujus bonis translatio facienda est, ex ejusdem reditibus provideatur, quod necessarium ipsis est; non enim debet discooperiri unum altare, ut cooperiatur alterum. 3. Ut interveniat consensus capituli; *arg. c. tuae* 8. *de his, quae a praelat.* imo et patroni si ecclesia sit patronata, ut recte advertit Pirh. *hic n.* 6.

Porro quod de translatione dictum est, etiam intelligendum est de permutatione; nam haec cum consensu clericorum utriusque ec-

clesiae fieri ab episcopo duntaxat potest, ut constat ex *c. non licet cit.* et notat *ibid.* Abb. *n.* 4. Vivian. *vers. nec invicem*, Gonz. *n.* 2.

24

Quaeritur 8. an alienationis hic prohibitae nomine etiam veniat constitutio servitutis realis, vel personalis in re prohibita alienari? Resp. non posse in hujusmodi re constitui servitutem, juxta *l. fin. C. de reb. alien. non alien.* Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 464. *fin.* Pellizar. *Man. regul. tr.* 6. *c.* 8. *q.* 21. Pirh. *n.* 10. *hic.* Ex quo sequitur, quod praelatus, seu rector ecclesiae, vel alius beneficiarius non possit alteri concedere usumfructum fundi ecclesiastici; *c. vestra* 2. *de locat. Usumfructum*, inquam; nam ipsam fructuum commoditatem, et perceptionem libere vendere, ac locare potest, modo hoc fiat sine praejudicio successoris; *c. vestra cit. Ratio est*, quia clericus beneficiarius bonorum beneficii sui non dominus, sed usufructuarius tantum est. Atqui usufructuarius, licet ipsum jus utendi, fruendi, vendere, vel aliter in alium transferre nequeat sine consensu domini, potest tamen alteri libere locare, vel donare ipsam facultatem, seu fructus suos, i. e. usufructuarii nomine percipiendos, etiam inscio, vel invito domino, quamvis non ultra vitam usufructuarii; quia dissoluto jure concedentis dissolvi etiam debet jus accipientis; *arg. l. lex vectigali* 31. *ff. de pignor.*

25

Quaeritur 9. an papa res ecclesiarum sine solemnitate per canones requisita alienare possit? Videtur absolute non posse ob constitutionem Symmachi papae relatam *can. non liceat* 19. *caus.* 12. *q.* 2. ubi laudatus pontifex, *non liceat* inquit, *papae praedium ecclesiae alienare aliquo modo pro aliqua necessitate, nec in usumfructum rura dare etc.* additque poenam, *ut venditor honorem perdat; et qui subscripserit, anathema sit cum eo, qui dedit, vel recepit, nisi restituitur.* Sed retinenda est affirmativa sententia, non obstante hoc textu, qui sub *papae* nomine tantum loquitur de praelatis pontifice inferioribus; nam sic compellare episcopos ss. patribus consuetum erat, ut patet ex pluribus epistolis s. Hieronymi Augustino papae inscriptis. Et esto, eo textu nomine papae intelligi quidem pontificem, Symmachus illa constitutione non voluit pontifici legem ponere (quia hoc fieri non potuit, cum par in parem potestatem non habeat) sed tantum declarare obligationem a lege naturali, et divina inductam, qua, ipse, ut administrator tantum, non dominus prohibetur hujusmodi alienationes facere sine justa causa.

§. II.

Referuntur res, quae libere alienari possunt, vel non possunt.

SUMMARIUM

26 *Alienari libere nequeunt res ecclesiarum immobiles.*
27 *Mobiles pretiosae.*
28 *Ususfructus, census, et pensiones annuae.*
29 *Actiones rerum immobilium, et mobilium pretiosarum.*
30 *Reliquiae sanctorum insignes.*
31 *Bibliotheca saltem copiosa.*
32 *Servi, cum exceptionibus.*
33 *Mancipia rustica.*
34 *Greges ovium, armenta bovum etc.*
35 *Jumenta ad colendum fundum deputata.*
36 *Arbores praedio utiles, et necessariae.*
37 *Et generaliter, quae annuos reditus afferre solent.*
38 *Alienari libere permittuntur res mobiles non praetiosae.*
39 *Inutiles ecclesiae, et multo magis damnosae.*
40 *Immobiles donatae ecclesiae, vel monasterio, cui non licet eadem retinere.*
41 *Bona ab antiquo in feudum, vel emphyteusin dari solita.*
42 *Et quaecunque alia in casu urgentissimae necessitatis, quae moram non patitur.*
43 *An libere alienari possint res immobiles exigui valoris? Rationes dubitandi.*
44 *Deciditur pro affirmativa.*
45 *Notanda in horum alienatione.*
46 *Respondetur ad objecta.*
47 *An sic alienabilia libere alienari possint, non obstante juramento de rebus ecclesiae non alienandis inconsulto summ. pont. Argumenta sententiae negantis.*
48 *Tenetur affirmativa.*
49 *Solvuntur objectiones.*
50 *An etiam pecunia accensenda sit rebus, quae sine solemnitate alienari nequeunt? Ratio dubitandi.*
51 *Respondetur cum distinctione.*
52 *Extensiones responsionis.*
53 *Casus, quibus res ecclesiae ne quidem adhibitis solemnitatibus alienari possunt.*

26

Quaeritur 1. quaenam res ecclesiasticae ab episcopis, praelatis, et aliis ecclesiarum rectoribus libere alienari nequeant? Resp. istas esse diversi generis. Et

1. Quidem alienari prohibentur *res ecclesiarum immobiles*, ut sunt oppida, castra, pagi, villae, praedia, fundi, et similia bo-

na, quae habent radicem, et *corporalia* vocantur. Constat ex textibus utriusque juris: *civili* quidem prohibitio ista primum facta est a Leone, et Anthemio Impp. pro ecclesia constantinopolitana tantum; deinde ab Anastasio imp. extensa ad ecclesias constantinopolitano patriarchae subjectas: ac denique a Justiniano porrecta ad omnes ecclesias, monasteria, et loca pia, ac religiosa ubique terrarum, uti habetur *novell.* 7. 46. *et* 120. item *l. sancimus* 21. et huic subjuncta *auth. hoc jus porrectum C. de ss. eccl. Canonico* autem jure haec prohibitio ab impp. facta non tantum canonizata est, dum a Gregorio IX. lex *cit.* decretalibus *c. nulli* 5. *h. tit.* inserta est, sed pluribus aliis textibus, et constitutionibus confirmata; nam ita statuitur *can. quisquis* 19. *can. episcopus* 34. *can. placuit* 51. *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. Item *c.* 1. 7. *et* 8. *de his, quae a praelat. c.* 1. *c.* 5. *c.* 6. *h. tit. c.* 1. *et* 2. *in* 6. *clem.* 1. *et* 2. *et extrav. ambitiosae int. comm. eod. tit.* Idem decrevit trid. *sess.* 22. *c.* 11. *de reform.* Leo X. 8. *idus maji* 1517. Julius III. 23. *maji* 1552. Paulus IV. *pridie idus julii* 1562. Pius V. *calend. jan.* 1569. Clem. VIII. 1592. Urbanus VIII. 7. *sept.* 1624. Ratio hujus tam multiplicis prohibitionis est necessitas, et utilitas ecclesiarum, ac locorum piorum, contra quam praelati, aliique administratores facile alienationes fecissent, nisi hae adeo multiplici, et stricta lege fuissent prohibitae.

27

2. *Res mobiles pretiosae*, quae servando servari possunt, ut sunt vasa aurea, vel argentea, torques, tapetes, et similia templorum ornamenta, auro, gemmis etc. intertexta, uti et reliqua magnae aestimationis supellex, quae est de thesauro ecclesiae, eique propter materiae pretium, artem, vel antiquitatem singularem splendorem confert; Barbos. *de offic. episcop. alleg.* 95. *numer.* 39. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 1. 1. *n.* 12. Engl. *hic n.* 5. et statuitur *extrav. un. h. t. int. comm. ibi, immobilia, et pretiosa mobilia DEO dicata.* Colligitur etiam *arg. l. lex quae* 22. *C. de administ. tut.* ubi mobilia pretiosa prohibentur alienari a tutoribus ob favorem pupillorum. Atqui ecclesiae non minus in hac re privilegiatae sunt, quam pupilli; *arg. c. requisivit* 1. *et c. auditis* 3. *de in integ. restit. Neque obstat*, quod alias circa bona mobilia plus concedatur; nam aliud dicendum de mobilibus pretiosis, quippe quae cum immobilibus pari passu ambulant, et propterea quoad difficultatem, et solemnitalem alienationis aequiparantur; Abb. *in c.* 5. *h. t. n.* 8. Quar. *summ. bull. V. alienatio n.* 24 Redoan. *tr. de reb. eccl. non alien. q.* 8. *n.* 1 *et* 2. Barb. *in c.* 8. *de his, quae a praelat. n.* 6. Pirh. *hic n.* 12. Vviest. *n.* 22. *et* 26.

28

3. *Ususfructus longi temporis, census, seu reditus, et pensiones annuae* ex re immobili, praedio, fundo etc. provenientes, aliaque hujusmodi jura incorporalia per expressum textum *clem.* 1. *vers. cumque annui de V. S.* Quar. *V. alienatio cit. n.* 26. Redoan. *q.* 14. *n.* 22. Barb. *all.* 95. *cit. n.* 44. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 1. Gibal. *to.* 2. *de neg. l.* 4. *c.* 8. *art.* 1. *n.* 8. Honor *hic n.* 21. Engl. *n.* 1. Zoes *n.* 10. Pirh. *n.* 13. Vvies. *n.* 24. distinguendum tamen ut bene Gail. *l.* 2. *obs.* 10. *n.* 3. monet, inter reditus cessos, et nondum cessos: *illi* enim fructibus a solo separatis aequiparantur, quemadmodum hi inter mobilia referuntur, ita etiam reditus, et pensiones cessae. Quodsi pensiones partim cessae sint, partim non, judicandum de iis pro rata temporis. *Excipitur*, nisi aliud ferat consuetudo; sic enim eodem Gaillio teste *n.* 6. in quibusdam Germaniae locis receptum est, ut reditus redimibiles, etiam super bona immobilia constituti inter bona immobilia numerentur, et iis cedant, quibus res mobiles ex statuto debentur.

29

4. *Actiones rerum immobilium, et mobilium pretiosarum*; nam etiam istae immobilibus aequiparantur; Sylv. *V. alienatio q.* 9. Redoan. *rubr.* 13. *n.* 15. Barb. *l. cit. n.* 46. Pal. *n.* 1. Scham. *n.* 5. *hic*, Pirh. *n.* 14. Vvies. *n.* 25. cum aliis *supra*. Nec immerito; nam cum actio accessoria rei sit, talis judicatur actio, qualis est res ad quam actio datur. Et hinc, quando dubitatur, an requirantur solemnitates canonicae, ut praelatus nomine ecclesiae cedere actione possit, spectanda est res, ad quam actio illa datur; nam si immobilis res illa sit, aut aequivalens immobili, solemnitatum canonicarum interventu opus est; si vero sit mobilis non pretiosa, cedi libere potest, prout cum communi aliorum *cit.* DD. notant. Neque obstat, quod actiones, et nomina, prout colligitur ex *l. a divo Pio* 15. §. *in venditione* 2. *ff. de re judic.* cum incorporalia sint, tertiam quandam speciem constituant; nam, ut *l. cit.* Azor, Gibalinus, et alii notant, id procedit solum in testamentis, et aliis dispositionibus, in quibus verba in maxime propria, et strictiori significatione capienda sunt, nisi aliam fuisse mentem testatoris aliunde conjicere liceat; *l. qui haeredi* 44. *ff. de condit. et demonstr.*

30

5. *Reliquiae sanctorum insignes,* qua les sunt caput, brachium, manus, pes alicujus sancti, et multo magis totum ejusdem corpus; nam cum Chrysostomo teste *hom. de laud. s. Pauli,* auro, argento, gemmisque, et omni thesauro pretiosiores sint, alienari libere non permittuntur, ut patet ex stylo, et praxi curiae romanae, docentque

Ant. Genuens. *prax. cur. archiep. c.* 71. *n.* 6. Riccius *pr. for. eccl. p.* 1. *dec.* 63. *n.* 5. Bonac. *D.* 3. *de contr. feud. q.* 8. *p.* 4. *n.* 17. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 8. Tambur. *de jur. abb. to.* 3. *D.* 13. *q.* 1. *n.* 10. Engl. *hic n.* 5. Vvies. *n.* 26.

31

6. *Bibliotheca saltem copiosa*; Peregr. *compend. priv. Theatin. V. alienatio in schol. vers. tertia dubitatio est*, Lezan. *summ. reg. qq. c.* 10. *n.* 4. Donat. *prax. reg. to.* 1. *p.* 2. *tr.* 14. *q.* 50. Konig. *hic n.* 14. Vvies. *n.* 27. *Proceditque hoc*, etiamsi singuli libri seorsim sumpti non ascendant ad valorem requisitum ad mobile pretiosum : quia ad constituendum mobile pretiosum non requiritur unitas physica, sed sufficit moralis plurium rerum habentium aliquam habitudinem inter se in ordine ad eundem usum, et finem. Dixi *bibliotheca*; nam singuli libri, praesertim si ex pretio inde redacto emantur alii meliores, et utiliores, alienari libere possunt. *Excipitur*, si tales sint, qui propter antiquitatem, vel aliam similem causam ecclesiae, vel monasterio afferrent specialem utilitatem, aut splendorem; isti enim rebus mobilibus pretiosis accenseri debent, ut proinde sine solemnitate canonica alienari nequeunt.

32

7. *Servi*, qui olim donabantur ecclesiae a fidelibus; nam isti, quia in ipsis in magna parte ecclesiasticum patrimonium constabat, inter res pretiosas censebantur, et propterea alienari non poterant; *c. injustum* 4. *de rer. permut. et c. episcopi* 4. *h. t. Excipiuntur* tres casus. 1. Si essent fugitivi, nam hi, quia judicabantur ecclesiae inutiles, permutari, vel alio modo alienari poterant; *c. injustum cit. et can. fugitivi* 54. *caus.* 12. *q.* 2. 2. Si praelatus de rebus suis tantundem contulit, vel acquisivit, quantum valebat servus; tunc enim manumittere illum poterat; *c. injustum*, *c. episcopi cit. et consensus* 3. *h. t.* Vivian. *ibid. in ration.* Gonz. *n.* 1. 3. Si benemeriti de ecclesia erant, quia v. g. insigne aliquod servitium ecclesiae, vel istius intuitu praelato praestiterunt; tunc enim libertate donari poterant ex concilio Agathensi, quod refertur *can. si quos* 57. *caus.* 12. *q.* 2. Nunc cum inter christianos nomen servitutis sublatum sit, non amplius est juris istius usus.

33

8. *Mancipia rustica*, seu servi glebae, aut fundo excolendo adscripti; *c. nulli* 5. *h. t. et novel.* 7. *c.* 1. *Ratio est*, quia ejusmodi mancipium, licet habeat naturaliter a fundo discretum corpus, pars tamen istius instrumentalis est, atque ita inter immobilia connumeratur; *l. jubemus* 21. *C. de ss. eccl. l. siquis inquilinos* 112. *ff. de leg.* 1. Abb. *in c. nulli cit. n.* 2. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 165. *n.* 3. Pal.

tr. 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 1. Gibalin. *tom.* 2. *de neg. l.* 4. *c.* 8. *art.* 1. *n.* 9. Vviest. *hic n.* 28.

34

9. *Integri greges ovium, armenta boum etc.* etsi enim permissum sit seorsim vendere singulas oves, non tamen sine solemnitate requisita licet alienare totum gregem; quia hujusmodi greges ob continuam multiplicationem foetuum computantur inter res mobiles pretiosas, et cons. immobilibus aequiparantur; §. *sed et gregis* 38. *inst. de rer. divis.* Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 165. *n.* 4. *fin.* Barbos. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 30. *n.* 44. Pal. *p.* 15. *cit.* §. 1. *n.* 3. Vvag. *in extr. ambitiosae V. de fructibus not.* 1. Tamb. *de jur. abb. to.* 3. *D.* 13. *n.* 13. *et* 41. Gibalin. *art.* 1. *cit. n.* 10. Konig *hic n.* 9. Vviest. *n.* 29.

35

10. *Jumenta* ad fundum colendum deputata; haec enim alienari non possunt, nisi aut superflua, aut ob senium, infirmitatem etc. ad culturam fundi, ob quam aluntur, inidonea forent; *l. fin. C. quando decreto opus non est*, Pirh. *n.* 12.

36

11. *Arbores*, quae ita praedio necessariae, vel utiles sunt, ut, illis excisis, notabiliter deterius fieret, haec enim bonis immobilibus annumerantur. Secus est de arboribus non fructiferis, vel quae opacitate sua augmentum fructuum impediunt: eae enim a praelato, vel rectore ecclesiae sine consensu capituli, et alia solemnitate exscindi possunt, et vendi; Quar. *V. alienatio n.* 33. Corrad. *de dispen. l.* 9. *c.* 1. *n.* 16. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 7. Barb. *in extr. ambitiosae n.* 27. Gibalin. *art.* 1. *cit. n.* 11. Vall. *hic* § 2. *n.* 1. Pirh. *n.* 12. Konig *n.* 6. *Excipitur*, si silvae exscinderentur integrae, ex quibus antea plurimum utilitatis capiebat ecclesia; Vall. §. 3. *n.* 3.

37

12. Generaliter aliae res, quae ecclesiae, monasterio etc. annuos fructus afferre, et servando servari, sive ultra triennium durare consueverunt, si etiam pretium aestimatione judicis sufficiens habeant, ut dici res pretiosae possint; gloss. *in l. unic. V. usucap. C. si advers. usuc.* Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 5. Pal. §. 1. *cit. n.* 2. Pirh. *hic n.* 12. *in fin.* Vvies. *n.* 30.

38

Quaeritur 2. quaenam res ecclesiae libere, et sine juris solemnitatibus alienari possint? Resp. Non ita universalis est regula, quae rerum alienationem prohibet, ut non plures exceptiones sustineat; nam libere, et sine juris solemnitatibus alienari possunt.

1. *Res mobiles ecclesiae non pretiosae, et quae servando servari nequeunt*: cujusmodi fere sunt ea, quae usu absumuntur, vel brevi tempore veterascunt, ut sunt fructus, frumentum, oleum, vi-

num, pecudes, pleraeque vestes etc. Host. *in summ. h. t. n.* 2. Abb. *in c. nulli* 5. *n.* 8. Barbos *in c.* 8. *de his, quae a prael. n.* 4. Vall. *hic* §. 2. *n.* 1. Honor. *n.* 22. Pirh. *n.* 18. Vvies. *n.* 36. *Ratio est*, quia leges, et canones, qui rerum ecclesiae alienationem prohibent, solas res immobiles, et mobiles pretiosas exprimunt, prout patet ex *c. nulli, et l. jubemus citt.* et hinc quia quod non reperitur prohibitum, regulariter intelligitur concessum, *l. nec non* 28. §. *quod ejus*; 2. *ff. ex quibus caus. major. et l. ab ea parte* 5. *ff. de probat.* merito infertur, res mobiles ecclesiarum non pretiosas libere alienari posse. *Conf.* nam etiam tutores, et curatores, quorum tamen potestas longe magis restricta est, quam praelatorum, hujusmodi res sine solemnitate aliqua alienare possunt; *l. lex, quae* 22. *et l. tutores* 24. *C. de admin. tut. Neque obstant text. c. irrita* 1. *et c. cum nos* 3. *de his, quae a praelat. et c. qui res* 2. *h. t.* ubi rerum ecclesiasticarum alienatio prohibetur generaliter, et inter mobiles, ac immobiles non fit discrimen; nam textus isti interpretationem accipiunt ab aliis, qui expresse tantum vetant alienationem rerum immobilium, et mobilium pretiosarum.

39

2. *Res ecclesiae inutiles*, et multo magis *damnosae*, ut sunt servi fugitivi; *can. fugitivi* 54. *caus.* 12. *q.* 2. *c. injustum* 3. *de rer. permut.* domus intra urbes, quibus conservandis saepe plus impendendum est, quam inde capiatur utilitatis; *can. non liceat* 20. *et can. sine exceptione* 52. §. *item domus caus.* 12. *q.* 2. item terrae, et res immobiles ecclesiae, si nullum, aut exiguum fructum afferant; *c. ad aures* 7. *et c. ut super* 8. §. *possessiones h. tit.* ita tamen, ut his distractis, illorum loco comparentur alia bona ecclesiae magis utilia, quia praelatus licet possit conditionem ecclesiae meliorem facere, non tamen deteriorem, quod fieret, si istorum loco non compararentur alia magis utilia; Suar. *tom.* 4. *de relig. l.* 2. *q.* 27. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 19. Engl *n.* 3. Konig *n.* 9. *et* 10.

40

3. *Res etiam immobiles*, quae donatae, vel legatae sunt ecclesiae, vel monasterio, cui non licet eadem retinere, uti sunt PP. capucini, PP. franciscani de observantia, et domus professae societatis, haec enim sine solemnitatibus canonicis distrahi, et eorum pretium in fabricae, et alias fratrum necessitates, ususque converti possunt; Quarant. *V. alienatio. n.* 41. *vers. sexto.* Piasec. *p.* 2. *prax. episc. c.* 5. *art.* 4. *n.* 32. Fagn. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 27. Barb. *alleg.* 95. *n.* 59. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 12. Vall. *hic* §. 2. *n.* 5. Honor. *n.* 26. Engl *n.* 9. Konig. *n.* 11. Vviest. *n.* 44. *Ratio est*, quia hujusmodi bona non censentur incorporata talibus

ecclesiis, vel monasteriis, ad bonorum autem ecclesiis non incorporatorum distractionem solemnitates non exiguntur, prout statuetur *infra tit.* 17.

41

4. *Bona ab antiquo in feudum, vel emphyteusim dari solita*; haec enim, si ad ecclesiam revertantur, denuo sine nova solemnitate alienari, sive in feudum, vel emphyteusin dari possunt; *c. fin. de feud. et extrav. ambitiosae cit. Ratio, quia* teste Barb. *alleg.* 95. *n.* 32. communis DD. conclusio est, ut res semel effecta alienabilis cum solemnitate, efficiatur perpetuo alienabilis sine solemnitate, dummodo semper cum eadem ecclesiae utilitate alienetur. Porro, ut res aliqua dicatur solita alienari ab antiquo, vel facta alienabilis, ex communi DD. requiritur, ut praecesserit una, vel altera alienatio solemnis, et interim elapsum sit spatium 40. annorum; Riccius *prax. aur. p.* 1. *res.* 26. *n.* 3. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 30. *n.* 21. Fagn. *in c. nulli cit. n.* 19. *et* 20. Leo *thes. jur. eccl. p.* 1. *c.* 15. *n.* 3. Vall. *hic* §. 2. *n.* 2. Honor. *n.* 23. Engl *n.* 4. Konig *n.* 12.

42

Res, et bona quaecumque in casu maxime necessitatis, urgentis, et exigentis talem celeritatem, ut summi pontificis, vel alterius superioris consensus requiri, vel exspectari sine gravi ecclesiae praejudicio, vel damno nequeat; Abb. *in c. fin. de eccl. aedif. n.* 8. Redoan. *q.* 13. *n.* 13. *et seq.* item *q.* 9. *n.* 51. *et q.* 35. *n.* 7. *et* 9. Quarant. *V. alienatio n.* 42. *vers. septimo*, Piasec. *p.* 2. *prax. episc. c.* 5. *art.* 4. *n.* 28. *vers. esset item*, Barb. *alleg.* 95. *n.* 58. Vvies. *hic n.* 43. *Ratio est*, quia necessitas, praesertim maxima, recessum a jure frequenter permittit, et facit licitum, quod alias de jure licitum non est; *c. quanto* 4. *de consuet. et reg. quod non est* 4. *de R. J.* alienatio tamen hoc casu facta deberet ratificari postmodum servatis solemnitatibus; Piasec. *art.* 4. *cit. n.* 24.

43

Quaeritur 3. an a praelatis sine solemnitate a jure requisita alienari possint res ecclesiae immobiles exigui valoris? Negant Rebuff. *compend. alien. rel. eccl. n.* 60. Duaren. *l.* 2. *de ss. eccl. c.* 9. Gonz. *in c.* 8. *h. tit. n.* 3. Moventur 1. *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. *et can. quicumque* 1. *caus.* 17. *q.* 4. quibus textibus episcopi, et praelati de rebus ecclesiae, vel jure ejusdem *quicquam* alienare prohibentur: atqui dictio *quicquam* tam parva, quam magna comprehendit; *quicquam enim* idem significat, quod *aliquid*, quo etiam res minima significatur. 2. *cap. ut super* 8. *h. tit. ubi* §. *possessiones.* pontifex, *possessiones*, inquit, *quae ecclesiae tuae minus sunt utiles, pro aliis utilioribus de fratrum*

tuorum, et sanioris partis consilio et assensu alienandi, sive commutandi liberam concedimus facultatem : consensus autem majoris partis ad solemnitatem pertinet : ergo etc. 3. *paritate* ; nam praedium etiamsi inutile, ac sterile, ad minorem pertinens, a tutore, vel curatore sine solemnitate alienari nequit; *l. si fundus* 13. *princ. ff. de reb. eor. qui sub. tutel.* atqui ecclesia jure minorum gaudet; *c. requisivit* 1. *et c. auditis* 3. *de in integr. restit.*

44

Sed dicendum, probabilius res ecclesiarum etiam immobiles, si exigui valoris, et ecclesiae parum utiles sint, saltem ubi necessitas istud exigit, absque solemnitate per jus requisita alienari posse. Ita Redoan. *tr. de reb. eccl. non alien. rubr.* 12. *n.* 5. Gratian. *discept. for. c.* 52. *a n.* 2. Quarant. *V. alienatio n.* 41. Piasec. *prax. episc. p.* 2. *c.* 5. *art.* 4. *n.* 23. Leo *thes. for. eccl. p.* 1. *c.* 15. *n.* 6. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 10. *n.* 5. *fin.* Mascard. *de probat, concl.* 277. *n.* 12. Barb. *de offic. episc. alleg.* 95. *n.* 50. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 4. Donat. *tom.* 1. *prax. reg. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 36. Vivian. *in c.* 8. §. *possessiones h. tit.* Fagn. *in c. nulli* 5. *eod. n.* 24. Engl. *hic n.* 3. Konig *n.* 9. Vviest. *n.* 39. et hoc teste communis DD. et sumitur 1. ex *can. terrulas* 53. *caus.* 12. *q.* 2. ubi terrularum , vineolarum exiguarum , et ecclesiae parum utilium distractio permittitur episcopis *sine consilio fratrum*, h. e. capituli consensu, ac proinde sine solemnitate a jure requisita. 2. ex *c. ceterum* 3. *de donat.* ubi abbatibus permittitur donatio rei modicae, quamvis alias donatio eis absolute sit interdicta. 3. ex *praxi praelatorum*, qui hujusmodi res passim libere alienant.

45

Proceditque hoc etiamnum hodie post *extr. ambitiosae Pauli II. et* trid. *sess.* 25. *c.* 11. *de reform.* nam ut decidit *s. cong.* 1596. 19. *dec.* nec per *extrav. cit.* nec per trid. decretum *can. terrulas* derogatum est. Duo tamen sunt advertenda. 1. ut hujusmodi res sit in se modica , et non tantum pars modica magni praedii : haec enim, non obstante modicitate sua, ut alienari possit, solemnitatibus juris indiget ; tum quia partes sapiunt naturam illorum, quorum sunt partes; tum etiam, quia fieret in fraudem legis , et cederet in damnum ecclesiae ; Donat. *q.* 36. *cit. n.* 3. 2. ut adsit necessitas alienandi , ut patet ex *can. terrulas cit. ibi si necessitas fuerit.* Hinc ut Barb. et Donat. *l. cit.* notat, ad alienationem hujusmodi rerum tria requiruntur , videlicet , ut sit res modica , ut non sit utilis ecclesiae, et ut adsit necessitas.

46

Neque obstant argumenta opposita. *Ad* 1. dictio *quicquam*, et aliae, quae sunt ejus significationis, ut Redoan. *rubr.* 23. *n.* 16. monet, minima, imo etiam modica, extra materiam peccati, regulariter non comprendit juxta illud : *de modicis, et minimis non curat praetor; arg. l. scio* 4. *ff. de in integr. restit. Ad* 2. textus ille accipi debet de permutatione, et de re, quae quidem in se utilis est, sed tamen minus utilis comparatione rei magis utilis. *Ad* 3. saepius dixi, potestatem praelati longe ampliorem esse, quam tutoris, et curatoris, ut proin ab his ad praelatum non semper valeat argumentum.

47

Quaeritur 4. an praelatus libere alienare possit bona ita alienari permissa, non obstante juramento, quo obstringitur ad res ecclesiae, vel monasterii, aut mensae suae, inconsulto papa, non alienandas ? Negant Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 9. Navar. *de alien. rer. eccl. n.* 14. Molin. *tr.* 2. *just. D.* 468. *n.* 8. Fundantur 1. quia juramentum istud etiam ad relatas alienationes ex voluntate praelati jurantis extendi potest. 2. quia extensionem istam postulare videtur favor religionis, ut sic jurans a perjurii periculo magis removeatur. 3. quia alias non apparet, quem effectum, aut utilitatem juramentum hoc habeat. 4. quia sic extenditur juramentum; *c. veritatis* 14. *de jurejur.* ubi juramentum fidelitatis, praelato praestitum, statuitur pertinere etiam ad successores. 5. quia generaliter juramentum videtur admittere interpretationem latam, et exigere, ut ejus obligatio extendatur ad omnia, quae verbis in amplo, et proprio sensu acceptis comprehenduntur.

48

Sed melius adhuc tenetur affirmativa pro qua etiam stant Redoan. *rubr.* 33. *cas.* 1. *n.* 10. Riccius *p.* 1. *prax. decis.* 39. *n.* 8. *et p.* 2. *var. resol.* 383. Novar. *prax. nov. jur. pont. tit. de alien. rer. eccl. concl.* 1. *alias* 23. *n.* 17. Donat. *tom.* 1. *prax. regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 36. *n.* 3. Vviest. *hic n.* 47. *Ratio est* 1. quia, ut ipse Azor *c.* 1. *cit. q.* 17. concedit juramentum de non alienando, simpliciter praestitum, intelligendum est de alienatione, quae jure illicita, et prohibita est : non est autem jure prohibita alienatio rerum mobilium non pretiosarum, aut immobilium exigui valoris : ergo etc. 2. quia, ut colligitur ex *c. ad nostram* 21. *et c. clericus* 35. *de jurejur.* juramentum praestitum in materia juris ad istius terminos est restringendum, et intelligendum secundum dispositionem juris; et ratio est, quia jurans, si aliud non expressit, dispositioni se conformasse praesumitur : atqui secundum hanc alienatio rerum, de qui-

bus quaeritur, non est prohibita: ergo etc. 3. quia etiam clericus, qui ad residentiam in ecclesia sua sua se juramento obstrinxit, nihilominus ex necessitatis, utilitatis, vel alia a jure approbata causa ad tempus abesse potest, ut iterum fatetur Azor. *q.* 17. *cit.* igitur etiam praelatus res alienari permissas libere alienare poterit ex simili necessitatis vel utilitatis causa, non obstante juramento de rebus ecclesiae non alienandis, inconsulto summo pont.

49

Neque obstant rationes allatae pro contraria opinione. *Ad* 1. licet juramentum hoc ad relatos, et jure permissos casus intentione jurantis extendi possit, in dubio tamen non praesumitur ita extensum: cujus ratio est, quia cum de obligationibus agitur, cum istae naturali hominis libertati praejudicent, et odiosae sint, stricta interpretatio est praeferenda juxta *reg. odia* 15. *in* 6. *Ad* 2. favor religionis solum exigit, ut factum conformetur dicto, quod juramento est confirmatum; non vero, ut istius verba accipiantur late. Periculum perjurii tanto minus est, quanto benignior est interpretatio juramenti; nam tanto facilior, et expeditior est ejusdem observantia. *Ad* 3. etsi ad illos casus juramentum non extendatur, effectu tamen, et utilitate non caret, cum praelatum ad electionem juri conformandam reddat firmiorem, et remotiorem a periculo damni ecclesiae suae inferendi. *Ad* 4. in casu *c. veritatis cit.* mirum videri non debet, quod vis juramenti etiam se extendat ad successores praelati, cui fidelitas jurata est; quia praestari solet sub nomine appellativo, adeoque non personae, sed dignitati, quae cum numquam moriatur, sequitur, in eo casu non fieri extensionem ultra sensum verborum proprium. *Ad* 5. patet ex dictis; nam in dubio juramentum stricte, et in partem mitiorem, et juranti favorabilem interpretandum est, prout sumitur ex *c. clericus cit. et c. contingit* 1. *eod. in* 6. ubi negatur clericum vi juramenti, quod de servandis ecclesiae suae statutis praestitit, obligari ad observanda ea, quae postea primum edita sunt.

50

Quaeritur 5. an etiam pecunia accensenda sit rebus, quae sine solemnitate alienari nequeunt? Negant Sylv. *V. alienatio q.* 8. *n.* 7. Ricc. *p.* 1. *prax. decis.* 50. *n.* 3. *et decis.* 73. *fin. edit.* 1. Barb. *alleg.* 95. *n.* 49. Molin. *tr.* 2. *D.* 465. *circa fin.* Ciarlin. *contr. for. cap.* 87. et rationem dant, quia inventa est ad commutationem faciendam, emendumque, et non datur, aut accipitur, ut conservetur, sed ut in alios, sc. quotidianos usus convertatur, nec servata ullum fructum parit, sed otiosa remanet: adeoque res est, quae ex

sua natura, et fine servando servari nequit: tales autem res alienari absque solemnitate possunt: ergo etc.

51

Sed distinguendum est inter pecunias, quae ex fructibus venditis, locationum mercedibus, aliisque reditibus percipiuntur: et inter eas, quae donatae, a testatore relictae, aut ex venditione rei immobilis, vel mobilis pretiosae redactae in eum finem sunt, ut alia res immobilis, vel mobilis pretiosa comparetur; nam *primo casu* libere, et absque solemnitate expendi possunt, quod probat ratio allata in contrarium, *in secundo*, ut expendi in alium finem possint, canonica solemnitate est opus; quia ratione destinationis censetur inter immobilia, aut mobilia pretiosa, quae eidem subrogari debent. Ita Vasq. *de redit. c.* 2. §. 2. *n.* 44. Quarant. *V. alienatio n.* 25. Piasec. *prax. episc. p.* 2. *c.* 5. *art.* 4. *n.* 19. Palao *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 5. *et* 6. Tambur. *de jur. Abb. tom.* 3. *D.* 13. *q.* 1. *n.* 3. *et duob. seqq.* Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 1. *n.* 14. Donat *prax. reg. tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 14. *q.* 32. *n.* 1. *et seqq.* Vall. *hic* §. 2. *n.* 1. Pirh. *n.* 13. Wiest. *n.* 34. clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 4. *n.* 41. *et duob. seqq.*

52

Extendunt inalienabilitatem hanc 1. Tiraquell. *de utroque retract.* §. 1. *gloss.* 7. *n.* 106. Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 5. Quarant. *l. cit. n.* 25. Barbos. *alleg.* 95. *n.* 41. Piasec. *art.* 4. *cit. n.* 19. Engl. *n.* 7. *hic*, etiam ad pecunias, quae ad immobilium emptionem simpliciter, et absque voto, vel juramento a praelato, aut ejus antecessore est destinata ob paritatem rationis; sed paritas non est, quia destinatio illa accidentaria est, et pecuniae conditionem mutare non videtur, ut recte *l. cit.* Palao, et Gibalinus monent: 2. ad pecunias in banchis campsorum positas; quia tunc videntur negotiationi expositae, et fructum habere; Tiraquell. *gloss.* 7. *cit. n.* 214. Bajard. *ad clar.* §. *fin. q.* 38. *n.* 151. Barb. *n.* 44. alios referens: sed iterum praeferenda videtur negativa; quia nulla ratione probari potest obligatio eas relinquendi in banchis campsorum, sed potius ibi positae censentur interim, dum non se offert necessitas illam consumendi; Riccius *decis.* 70. *edit.* 1. Leo *thes. for. eccl. decis.* 160. Palao §. 1. *cit. n.* 6. 3. ad pecuniam, quae monialibus traditur in dotem; quia ex voluntate donantium censetur data monasterio, ut perseveret pro monialis sustentatione; Palao *n.* 5. 4. si magna foret illius quantitas, et in ecclesiae non tantum fructu, sed thesauro esset, ut ad futuras necessitates, vel conser-

vandum ecclesiae patrimonium asservetur; Barb. *n.* 43. Tambur. *n.* 4. Donat. *n.* 3. *et* 4.

53

6 Quaeritur 6. quibus casibus res ecclesiae ne quidem adhibitis solemnitatibus jure canonico requisitis alienari possint? Resp. Hos enumerat gloss. *in auth. hoc jus porrectum V. perpetuo C. de ss. eccl.* Et 1. quidem, si ex imperatoris donatione, vel fundatione res immobilis ad ecclesiam pervenit: nam ut haec alienari ab episcopo possit, etiam consensus imperatoris requiritur; tum quia hujusmodi bona quandoque sunt feuda imperialia; tum quia cum tali conditione donata censentur, ut sine ejusdem consensu non alienentur: 2. non potest alienari ipsa ecclesia, vel monasterium, ita, ut in usum laicorum transferatur: 3. non potest episcopus, vel alius praelatus ex suis propriis bonis rem ecclesiae emere, etiam per interpositam personam, ne sc. in facto proprio authoritatem praestet: 4. si res sub ea conditione sit ecclesiae data, ne alienetur; nam tale pactum servandum esset, nisi alienationem suaderet magna, et evidens utilitas: 5. res ecclesiae alienari non possunt, sive transferri in haereticum, vel judaeum. His casibus prohibetur alienatio, etiamsi tali modo fieret, quo alias permitteretur.

§. III.

De causis ad alienationem rerum ecclesiasticarum.

SUMMARIUM

54 *Causae justae alienationis afferuntur.*
55 *Primo urgens ecclesiae necessitas.*
56 *Secundo evidens ejusdem utilitas.*
57 *Tertio pietas.*
58 *Quarto incommoditas, sive inutilitas rei.*
59 60 *Requisita, ut ex causa necessitatis fieri alienatio possit.*
61 62 *An praeter causam necessitatis etiam requiratur beneplacitum apostolicum, ut sustineatur alienatio rei immobilis, vel mobilis pretiosae?*
63 64 65 *Qualis utilitas esse, et quomodo constare de ea debeat, ut sufficiens sit causa alienationis?*
66 67 68 *An, ut alienatio reputetur ecclesiae utilis, exigatur, ut illa fiat locupletior?*
69 70 *Utrum alienatio rei ecclesiae immobilis, aut mobilis praetiosae valida sit, si fiat quidem cum debitis solemnitatibus, sed tamen sine justa causa?*
71 *An valida sit alienatio, quae facta est ex causa legitima tantum existimata, et juris solemnitatibus observatis?*

Res ecclesiae immobiles, et mobiles pretiosae ita alienari prohibentur, ut tamen earum alienatio per accessionem causae justae eam suadentis, vel exigentis justificari possit. Hinc

54

Quaeritur 1. quaenam sint causae justae, ex quibus ejusmodi res alienari possint? Resp. Communiter quatuor enumerantur, prout videre est apud gloss. *in summ. V. nunc quaeritur caus.* 12. *q.* 2. Abb. *in c. nulli* 3. *h. tit. n.* 5. Sylv. *V. alienatio q.* 1. Redoan. *de reb. eccl. non alien. rubr.* 18. *a n.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 3. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 468. *n.* 2. Piasec. *prax. episc. p.* 2. *c.* 5. *art.* 4. *n.* 14. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 10. *n.* 3. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 30. *n.* 11. *et seqq.* Palao *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 5. Tambur. *tom.* 3. *de jur. Abb. D.* 13. *q.* 4. *n.* 1. Donat. *tom.* 1. *prax. regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *a n.* 2. Gibalin. *tom.* 2. *de not. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *n.* 1. *et seqq.* Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 96. *a n.* 2. Vivian. *in c. nulli cit. vers. quatuor.* Fagn. *ibid. n.* 7. Canis. *n.* 4. *et seqq.* Pirh. *hic n.* 24. Konig. *n.* 18. *et seqq.* Vvies. *a n.* 50.

55

Prima est *urgens necessitas ecclesiae*, cui alia via subveniri non potest; *c. dudum* 1. *h. tit. in* 6. *et clem.* 1. *eod.* Talis esset 1. si ecclesia sit gravata ære alieno, et hoc liberari nequeat, nisi aliqua ejusmodi re distracta, vel creditori in solutum data; *auth. hoc jus porrectum* ibi *si debitum urgeat C. de ss. eccl.* 2. si ob ruinam, quam meditatur, ecclesia reparatione indigeret: 3. si aliud grave damnum aliter inevitabile sit ab eadem avertendum: 4. si patiatur defectum supellectilis sacrae, necessariae ad rem divinam rite, decenterque obeundam: 5. si non adsint sufficientes reditus ad alendos ecclesiae ministros. *Ratio est*, quia necesssitas non habet legem; *c. consilium* 2. *fin. de observat. jejun.* Imo ea ipsius vis est, ut leges simul, et canones vincat, licitumque faciat, quod alias de jure illicitum est; *reg. quod non est* 4. *de R. J.*

56

2. *Evidens ecclesiae utilitas*, prout habetur *can. sine exceptione* 52. ibi *Quod non sit dubium profuturum ecclesiae*; *caus.* 12. *q.* 2. *c. dudum et clem.* 1. *cit. Ratio est*, quia, ut bene gloss. *in clem. cit. V. necessitas*, *aut utilitas*, haec duo aequiparantur. *Et confirmatur*; quia alienatio rerum ecclesiae potissimum jure prohibita est ob ecclesiae damnificationem: ergo ob causam evidentis utilitatis ejusdem debuit esse permissa, ne quod in ecclesiae favorem, et utilitatem salubriter est introductum, in ejus editum, et incommodum detorqueatur contra *reg. quod ob gratiam* 61. *in* 6. Talis utilitas censetur, quando res aliqua ecclesiae alienatur, ut res alia melior, et utilior ecclesiae comparetur. *Proceditque hoc*, etsi ejusmodi res, quae alienantur, sint ecclesiae utiles, cum discrimine tamen; nam si utiles sint, opus est, ut praeter causam utilitatis accedat solemnitas: at si inutiles, vel parum utiles sint, juxta *n.* 39. libere, absque solemnitate alienari, et permutari cum utilioribus possunt. Et sic passim videmus, a praelatis absque solemnitate calices, aliaque vasa sacra et argentea, aut ornamenta hujusmodi vetera, quamvis notabilis pretii, permutari pro novis.

57

3. *Pietas*, ob quam ad rei ecclesiasticae alias prohibitam alienationem, ut gloss. *in can. aurum* 70. *vers. in his caus.* 12. *q.* 2. Redoan. *rubr.* 20. *n.* 7. Vviest. *hic n.* 57. cum aliis notant, quatuor potissimum casibus deveniri potest. 1. *pro redemptione captivorum inter infideles*, quibus mors, aut grande corporis, et multo magis animae periculum timetur; pro horum enim redemptione non solum res temporales, sed vasa etiam sacra oppignorare, vel distrahere, si ita necesse est, possunt; *can. sacrorum* 15. *can. sicut*

16. *can. aurum* 70. *caus.* 12. *q.* 2. §. *sacrae res* 8. *inst. de rer. divis. l. sancimus* 21. *C. de ss. eccl. novell.* 120. *c.* 10. Secus dicendum de malefactoribus, qui ob delicta sua attinentur vinculis; cum enim istos puniri expediat, pietas non cogit ad hos redimendos a poena delictis eorum debita distrahere res ecclesiae, quamvis solutione pretii inde redacti liberari ab ea possent; Molin. *tr.* 2. *D.* 468. *n.* 2. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 6. *vers. sed quid.* Tambur. *tom.* 3. *de jur. abbat. D.* 13. *q.* 4. *n.* 1. Donat. *tom.* 1. *prax. regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *n.* 14. Schamb. *hic n.* 7. 2. *pro necessitatibus pauperum*, ne frigore, aut fame pereant; *l. sancimus cit.* ubi imperator, *non est*, inquit, *absurdum, animas hominum quibuscumque vasis, vel vestimentis praeferri:* et merito; nam, ut recte Ambrosius, *can. aurum cit.* relatus, observat, *melius est, ut serventur vasa viventium, quam metallorum.* 3. *pro laxandis coemeterii spatiis* ad sepulturam fidelium; *can. aurum cit. et ibi* gloss. *V. in his.* 4. *pro aedificando templo*; nam hujus erectione cultus divinus magis promovetur, modo ecclesiae, cujus res in finem hunc alienantur, relinquantur reditus, qui eidem sufficiant. 5. quam causam cum aliis addit Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *n.* 5. pro *bello sacro adversus infideles, et haereticos,* maxime si aerarium principis, vel reip. exhaustum sit; ob hanc enim causam a sede apostolica imperatori, et regibus indulgeri potest, ut tertiam, vel aliam partem bonorum ecclesiasticorum in suis ditionibus existentium accipiant, prout confirmant exempla Pauli III. qui Carolo V. Clementis VII. qui Ferdinando, et Innocentii XI. qui Leopoldo ejusmodi indulta juxta formam *c. adversus* 7. *de immunit. eccl.* concesserunt, et merito, nam si propter redemptionem captivorum etiam vasa sacra frangere, et distrahere est permissum, multo magis permittendum videtur vendi bona ecclesiarum, ne imminenti clade ex turcarum, et haereticorum armis christiani cum locorum eversione in captivitatem redigantur.

58

Incommoditas, sive *inutilitas rei*, v. g. domus, agri, vineae etc. quia in illius culturam, aut fabricam sunt faciendae magnae expensae; vel quia ab ecclesiae praediis, aut aliis fundis nimium distat, et ex ejus distractae pretio comparari posset fundus propinquior, ac propterea eidem utilior; vel quia ob soli infoecunditatem, aut exiguitatem parum utilitatis affert retenta, plus utilitatis distracta etc. *can. non liceat* 20. *can. sine exceptione* 52. *can. terrulas* 53. *caus.* 12. *q.* 2. *Ratio est*, quia ejusmodi rerum alienatio redundat in evidentem ecclesiae utilitatem. Et hinc ab aliquibus ad secundam, sicut tertia ad primam revocatur, qui proin-

de duas duntaxat hujusmodi causas referunt, necessitatis, et utilitatis, cui concordat *Clem.* 1. *h. tit.* Imo gloss. *in c. nulli* 5. *h. tit.* non nisi causam utilitatis agnoscit: quod omnino verum est, si utilitas sumatur late; nam etiam id, quod honestum, pium, et necessarium est, vel ecclesiae damnum, aut incommoditatem tollit, *utile* vocatur, et a jure reputatur, ut recte P. Vviest. *hic n.* 61. Sufficit autem, ut ex his causis una adsit; non enim requiruntur cumulative, sed disjunctive, ut patet ex *c. dudum* 1. *h. tit. in* 6. ibi: *Evidens necessitas — vel utilitas*; Tambur. *tom.* 3. *de jur. Abb. D.* 13. *n.* 2. *et* 5.

59

Quaeritur 2. quid observandum sit, ut ex causa necessitatis rite fiat alienatio bonorum ecclesiae immobilium, vel mobilium pretiosorum. Resp. 1. requiritur, ut necessitas sit omnino absoluta, et aliunde irreparabilis; nam si ex fructibus, vel reditibus, aut alio modo reparari posset, non censeretur causa sufficiens alienationis; Abb. *in c.* 5. *h. tit. n.* 5. Genuens. *in prax. neapol. c.* 107. *n.* 4. Ciarlin. *contr.* 105. *n.* 6. Seraphin. *decis.* 508. *n.* 8. Ventrigl. *p.* 1. *prax. annot.* 1. §. 3. *n.* 23. Donat. *tom.* 1. *prax. regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *n.* 2. Vincen. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 97. *n.* 8.

2. Ut necessitas haec respiciat ipsam ecclesiam; nam si respicit solum rectorem, non est legitima pro alienatione; quia prohibitio alienationis introducta est favore ecclesiae, et non clericorum deservientium; Rota *decis.* 318. *n.* 19. *p.* 5. *recent. Excipitur*, si ipsa ecclesia rectori suo non daret sufficientes reditus; nam tali casu esset necessitas ipsius ecclesiae secundum dicta *n.* 55. *supra.*

60

3. Ut alienatio incipiat a rebus minoris momenti; Gabriel. *cons.* 118. *n.* 5. Petra *fol.* 98. *n.* 12. *et hoc teste* Rota *p.* 10. *recent. decis.* 275. *n.* 9. Hinc prius incipiendum est ab iis, quae non sunt destinata ad altaris ministerium, nec cultui divino dicata, nisi haec superflua essent, nec necessaria ad competentem cultum divinum. Inter illas res, quae ministerio, et cultui divino destinatae sunt, prius alienandae sunt eae, quae non sunt consecratae, sed tantum benedictae, ut casulae, et pallia altaris. Eae autem res, quae sunt consecratae, ut sacra vasa, et calices, non nisi ex urgentissima causa sunt alienandae, aut pignori tradendae, praesertim laicis; Covar. *l.* 2. *var. c.* 16. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 25.

4. Ut necessitas ista probetur, quod fieri debet aliunde, quam per assertionem partium illam experimentium; cum enim huic alienationi resistat jus, ideo necesse est ad illam sustinendam, ipsius juris resistentis limitationem probari; Redoan. *de reb. eccl. non alien.*

q. 23. *n.* 38. Ciarlin. *contr. for. c.* 105. *n.* 60. Petra *fol.* 98. *n.* 14. *Excipitur*, si confessio illorum esset suffulta adminiculis.

61

Quaeritur 3. an praeter causam necessitatis etiam requiratur beneplacitum apostolicum, ut sustineatur alienatio rei immobilis, vel mobilis pretiosae? Resp. distinguendo inter alienationem, quae necessaria est necessitate juris, et illam, quae necessaria est necessitate facti.

In primo casu est recepta sententia apud curiam romanam, non requiri beneplacitum apostolicum, prout testis est Vinc. Petra *tom.* 1. *fol.* 101. *n.* 36. aliis *cit.* Et talis necessitas juris censetur esse 1. cum legatur, vel donatur res immobilis ecclesiae, vel monasterio, quod ex instituto suo solum est capax acquirendi bona immobilia ad effectum vendendi, uti sunt PP. capucini, et franciscani de observantia, PP. theatini, et domus professae societatis. 2. Cum ex testatoris voluntate injungitur, ut bona relicta statim vendantur, eorumque pretium in aliarum rerum emptionem erogetur; quia testatoris voluntas pro lege est observanda. Imo tali casu nulla proprie fieri videtur alienatio, quod finis testatoris, exigentis instantaneam relictorum venditionem, et aliorum subrogationem, videatur fuisse relinquendi bona subrogata, non autem vendendi; Petra *fol.* 102. *n.* 43. 3. Quando adest praeceptum judicis, et hoc praeceptum est praecisum pro certa re alienanda; secus, si in genere de danda pecunia; quia judex non censetur cogitasse de alienatione propterea facienda; Petra *fol.* 103. *n.* 51.

62

In secundo casu, quando alienatio fit ex aliqua necessitate facti, altera distinctio est adhibenda inter necessitatem ita gravem, ut moram non patiatur; et inter eam, quae moram admittit, ita, ut recurri ad superiorem possit. *Si primum*, licite fit alienatio sine solemnitatibus, et beneplacito apostolico, ut dictum est *n.* 42. *Si secundum* solemnitates, et beneplacitum apostolicum requiruntur; Redoan. *q.* 16. *n.* 34. *et seq.* Ciarlin. *contr.* 183. *n.* 48. *et seq.* Surd. §. *de aliment. tit.* 7. *privil.* 46. *n.* 3. Petra *fol.* 108. *n.* 91. et hoc teste rota *recent. p.* 15. *decis.* 365. *n.* 7.

63

Quaeritur 4. qualis utilitas esse, et quomodo constare de ea debeat, ut sufficiens sit causa alienationis? Resp. 1. debet esse utilitas evidens, et quae ex conjecturis judicio prudentum indubitatis manifesta appareat; Corrad. *prax. dispens. l.* 9. *c.* 9. *princ.* Barbos. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 30. *n.* 16. *et* 17. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 6. Donat. *tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *n.* 5. *et* 6. Gibalin. *tom.* 2. *ne-*

got. l. 4. *c.* 8. *art.* 3. *n.* 6. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 111. *n.* 110. Vviest. *hic n.* 56. et innuitur *can. sine exceptione* 52. ibi, *quod non sit dubium profuturum ecclesiae; caus.* 12. *q.* 2. *et c. dudum* 1. ibi, *præsertim, cum evidens necessitas, quare fieri deberet, vel utilitas non suadet;* habetque hoc praxis curiae apostolicae, ubi brevia super rerum ecclesiasticarum alienationibus, et concessionibus semper conceduntur cum clausula, *si in evidentem ecclesiae utilitatem cesserit, vel cedet, vel cessuram esse legitime constiterit venditionem, locationem, permutationem etc.*

64

2. Non sufficit qualisqualis utilitas, sed debet esse alicujus momenti circa proprietates, et reditus; Corrad. *prax. disp. l.* 9. *cit. c.* 4. *n.* 52. Rosa *de execut. litt. apost. p.* 1. *c.* 5. *n.* 314. Petra *fol.* 112. *n.* 115. ubi ex Corrad. *l. cit.* testatur de praxi datariae, ut nunquam admittatur supplicatio *si in evidentem*, nisi perpenso prius per officialem valore proprietatis, reditus, et proventus.

3. Debet utilitas haec esse praesens, et quidem, ut quidam volunt, imposterum duratura. Sed contra communem, juxta quam si instituto super hoc tractatu, et communi opinione alienatio habebatur ecclesiae profutura, licet postea utilitas ista cesset, alienatio nihilominus valet, nec revocari potest; Redoan. *subr. de util. n.* 137. *cum seq.* Gratian. *disc. for. c.* 45. *n.* 8. *et c.* 570. *n.* 21. Sper. *dec.* 154. *n.* 96. Petra *f.* 113. *n.* 122. ita tamen, ut si laesio probetur, ecclesia restituatur in integrum; Barb. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 30. *n.* 10.

65

4. Debet de utilitatis hac constare pro statu praesente, sive tempore alienationis, et in hanc praestiti consensus; Barb. *c.* 30. *cit. n.* 17. Donat. *q.* 9. *n.* 11. Gibal. *art.* 3. *n.* 6. P. Vvies. *hic n.* 56. Hinc quando nova fit alienatio, nova requiritur utilitatis cognitio, neque sufficit illa, quae in prima alienatione semel adfuit, ut bene Petra *f.* 116. *n.* 135.

5. Debet constare de hujusmodi utilitate legitime, h. e. non per solam alienantium assertionem, aut evidentis utilitatis mentionem, factam in instrumento contractus alienationis, sed per testes aliasque legitimas probationes, ut *l. cit.* notant Corrad. *c.* 5. *a* 49. Pal. §. 2. *n.* 6. Donat. *q.* 9. *n.* 9. Petra *f.* 98. *n.* 14. Vvies. *n.* 56.

66

Quaeritur 5. an, ut alienatio reputetur ecclesiae utilis, exigatur, ut illa fiat locupletior, sive ejus causa evadat melior, re immobili distracta, quam ea retenta? Glos. *in can. sine exceptione* 52. *V. profuturum*, Abb. *cons.* 41. *n.* 13. *l.* 1. Felin. *cons.* 24. *n.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 2. *q.* 8. et quidam alii apud Sper. *dec.* 154. *n.* 13. pu-

tant sufficere, si ejusmodi alienatio non sit damnosa ecclesiae. Videtur sumi 1. ex *auth. hoc jus porrectum C. de ss. eccl.* ubi alienatio rei ecclesiae immobilis sustinetur, *si nihil factum sit ad damnum divinae domus.* 2. *Ex can. si quis qualibet* 56. *et can. si episcopus* 73. *caus.* 12. *q.* 2. ubi licita, et firme pronuntiatur rei ecclesiae alienatio, si illi tantum detur, quantum alienando oblatum fuit. 3. *Ex ratione*; quia justitia commutativa in contractibus aequalitatem postulat, et hinc non medium rationis, ut aliae virtutes, sed medium rei respicit. At si ecclesia in alienando locupletior fieri deberet, aequivalitas inter contrahentes non daretur; ut enim quis locupletior factus dici possit, debet bonis, sive rebus ipsius aliquod incrementum accessisse, et decessisse rebus, seu bonis illius, cum quo ipse contraxit: ergo etc.

67

Sed his non obstantibus,, dicendum, alienationem per hoc, quod damnosa non sit ecclesiae, non censeri utilem, et permissam. Ita Bellamer. *in can. hoc jus porrectum n.* 1. Gemin. *ibid. n.* 2. Quar. *V. alienatio n.* 3. Caesar. Panimol. *dec.* 54. *adnot.* 1. *n.* 16. Barbos. *l.* 3. *jur. eccl. c.* 30. *n.* 10. *et* 16. Donat. *to.* 1. *prax. reg. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *n.* 7. *et* 11. Honor. *hic n.* 6. Pirh. *n.* 24. Konig *n.* 18. *vers. secunda causa*, Vviest. *n.* 53. Petra *to.* 1. *comm. f.* 112. *n.* 118. estque hoc saepius decisum a rota. Clari sunt textus utriusque juris: civilis quidem *novel.* 120. *c.* 9. *vers. hoc autem, ibi ut ex earum* (venditarum ecclesiae domorum) *pretio reditus meliores emat.* Canonici autem *can. sine exceptione cit. can. cum apostolica* 7. *vers. ne quis, c. tuae* 8. *de his, quae a prael. et c. ad aures* 7. *h. t. ibi, ad majorem ecclesiae utilitatem.* Quae fortasse etiam ratio est, cur episcopus, qui juris ecclesiastici mancipium, non retento ecclesiae patrocinio, manumitti desideravit, ecclesiae duplum, sc. duos ejusdem meriti, et peculii servos praestare quondam debuerit ex decreto concilii Toletani IV. relato *can. episcopus* 58. *caus.* 12. *q.* 2.

68

Argumenta in contrarium allata non persuadent. *Ad* 1. Constitutio illa civilis interpretationem recipit a sanctionibus canonicis, et *novel.* 120. *cit.* ubi alienatio permittitur ex causa utilitatis, non cujuscunque, sed majoris. Accedit, quia *auth. cit.* agitur de domo ecclesiae alienanda ex causa, non utilitatis, sed necessitatis, sc. urgentis debiti, quod ex solis mobilibus solvi non poterat. *Ad* 2. *can. si episcopus cit.* agitur de fundando monasterio, ubi conditio ecclesiae, unde reditus pro illo fundando sumuntur, licet melior non efficiatur quoad valorem rei temporalem, sit tamen melior quoad spiritualem. *Can. siquis cit.* procedit in alio casu, quam alienationis vo-

luntariae, ut observat glos. *ibid.* vel agit de actu consummato sustinendo ob aequitatem, et in foro conscientiae, ut notat Petra *f.* 112. *n.* 119. *Ad* 3. adhuc in contractu observari aequalitas, resque ecclesiae justo pretio vendi possunt, et nihilominus multum emolumenti inde oriri ecclesiae, ut si vendatur fundus multum dissitus, et loco illius comparetur propinquior; si praedium minus bonus distrahatur, et loco illius ematur melius; si calix, lampas, vel aliud hujusmodi pretiosum mobile, antiqui, et non conspicui operis, ut ejus pretium impendatur in alia vasa, vel ornamenta aptiora ecclesiae.

69

Quaeritur 6. utrum alienatio rei ecclesiae immobilis, aut mobilis pretiosae valida sit, fiat quidem cum debitis solemnitatibus, sed tamen sine justa causa; gloss. *in can. sine exceptione cit. V. profuturum*, Host. *in summ. h. t. n.* 3. *fin.* Jo. de Lignano apud Ab. *in c.* 1. *n.* 17. *de in integ. restit.* volunt ejusmodi alienationem quidem esse illicitam, valore tamen non destitui. *Moventur*; quia quando ecclesiae hujusmodi alienatione laeditur, restituitur in integrum, sive in eum statum, in quo ante contractum fuit; *c. requisivit* 1. *at c. auditis* 3. *de in integ. restit.* atqui restitutioni in integrum locus non est, quando contractus nullus est; *l. in causae* 16. *princ. et* §. *et generaliter* 3. *ff. de minor.* et ratio est, quia cum tali casu ecclesia habeat remedium ordinarium nullitatis, locus non est extraordinario restitutionis, juxta regulam ab omnibus receptam, et indubitatam: ergo etc.

70

Sed melius ejusmodi alienatio, sine justa, et a jure approbata causa facta, pro irrita, et nulla habetur; Abb. *cit. et in cap.* 11. *h. t. n.* 7. Covar. *lib.* 2. *var. c.* 17. *n.* 2. Redoan. *de reb. eccl. non alien. rubr.* 21. *n.* 38. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 8. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 468. *n.* 15. Vvagn. *in extrav. ambitiosae h. t. not* 5. Zoes. *hic n.* 15. Honor. *n.* 13. Pirh. *n.* 35. Konig *n.* 2. Vvies. *n.* 62. Sumitur ex *c. dudum* 1. *h. t. in* 6, ubi Innocentius IV. pronuntiat alienationem non solemnem invalidam ex ratione, quod evidens necessitas, quare fieri deberet, vel utilitas non subesset: concordat *clem.* 1. *et extrav. ambitiosae h. t. Ratio est*, quia praelati bonorum ecclesiae domini non sunt, sed solum administratores.

Neque contrarium probat argumentum adversae sententiae; quia *cit.* textibus ecclesiae solum conceditur beneficium restitutionis in integrum, quando alienatio ex justa causa facta est, et per eam ecclesia notabilem laesionem accepit, tum enim contractum subsistere patet; *arg. c. cum dilecti* 3. *et c. cum causa* 6. *de empt. et vendit.*

71

Quaeritur 7. an valida sit alienatio, quae facta est ex causa legitima tantum existimata, et juris solemnitatibus observatis? Covar. *l. 2. var. c. 17. n. 2.* Molin. *tr. 2. de just. D. 468. n. 15.* Bonac. *de contr. D. 3. q. 8. p. 4. n. 6.* Pirh. *n. 25. h. t. in fin.* putant esse validam; quia non est credibile, quod alienationes bona fide, et modo a jure praescripto factae sint ab ecclesia irritatae. Haec sententia est valde probabilis, aequa, et in praxi tuta; dicendum tamen, etsi in dubio, quando solemnitates juris sunt observatae, praesumatur, adfuisse causa legitima, ut bene Petra *to. 1. comm. f. 116. n. 138.* casu tamen, quo constat, legitimam causam tantum existimatam fuisse, spectato juris rigore, alienationem habendam probabilius pro nulla, et irrita; Navar. *de alien. rer. eccl. n. 9.* Pal. *tr. 12. D. un. 15. §. 6. n. 2.* Vviest. *n. 66. hic. Ratio est*, quia alienatio, quae absque legitima causa facta est, a ss. canonibus absolute pronuntiatur nulla, et irrita. Talis autem est, quae fit ex justa causa tantum existimata: ergo etc.

§. IV.

De solemnitatibus in alienatione rerum ecclesiae praescriptis.

SUMMARIUM

72 *Ad solemnitatem alienationis rei ecclesiæ primo requiritur tractatus.*
73 *Ubi hic necessarius sit?*
74 *Qui ad eum vocandi?*
75 76 *Quot præmittendi tractatus.*
77 *In qua alienatione?*
78 *Secundo requiritur consensus capituli.*
79 80 81 *Quando hic ad alienationem faciendam sit necessarius?*
82 83 *An etiam ad alienationem rerum pertinentium ad ecclesias cathedrali inferiores?*
84 85 *Qualis is esse debeat, tacitus, an expressus?*
86 87 *An exigatur consensus capituli congregati?*
88 89 *Quinam consentire debeant?*
90 91 *Tertio requiritur subscriptio: ubi quando illa sit necessaria?*
92 *An consuetudine tolli possit?*
93 *An etiam ceterae solemnitates sic possint tolli?*
94 *An necessaria sit ad valorem?*
95 *An subscribere teneantur omnes, etiam, qui non consenserunt?*
96 *Quarto requiritur consensus superioris.*
97 98 99 *A quo superiore sit requirendus?*
100 *An authoritatem alienationi praestare possit capitulum, sede vacante?*
101 *An vicarius generalis?*
102 *An alii praelati episcopi inferiores?*
103 104 105 *Qualis episcopus praestare authoritatem debeat, quando res alienanda, et ecclesia, cujus illa est, sita sunt in diversis dioecesibus?*
106 *Cujus superioris consensus opus sit ad alienandas res prioratus incorporati ecclesiae superiori?*
107 108 109 110 111 *An praeter consensum superioris ecclesiastici etiam opus sit consensu patroni?*
112 *Quinto denique novo jure ad alienationem requiritur consensus apostolicus.*
113 114 115 *An iste exigatur etiam ad alienationem, quae fit suadente justa causa, et adhibitis solemnitatibus juris?*
116 117 118 119 *An praeter illum necessariae sint solemnitates antiqui juris?*
120 121 *An justa causa?*
122 123 124 *An extravag. ambitiosae sit usu recepta?*
125 226 127 128 *Utrum non usus istius constitutionis excusari possit, non obstante juramento, quod episcopi, et abbates de rebus ecclesiae inconsulto pont. non alienandis praestant?*

72

Praeter causam justam, ut alienatio rerum immobilium, et mobilium pretiosarum fieri possit, etiam opus est, ut ea fiat cum requisitis a jure solemnitatibus, quorum quinque enumerantur.

1. *Tractatus*, quo praelatus cum capitulo, seu conventu deliberet, an hujusmodi alienatio sit ecclesiae, vel monasterio futura utilis, aut necessaria, vel e contra; *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. *c. dudum.* 1. *h. tit. in* 6. *Clem.* 1. *eod.* differt a consensu, ut via a termino; nam per illum devenitur ad prudentem deliberationem, ut ex Abbate recte notat Vincent. Petra *tom.* 1. *comment fol.* 53. *n.* 3. et ita necessarius est regulariter, ut sine illo actus sit nullus, ut plene rota *p.* 5. *recent. decis.* 318. *n.* 25. *et* 26. Dixi *regulariter;* nam aliquando omitti potest, imo etiam debet. Et hinc

73

Dub. 1. ubi tractatus ad alienationem sit necessarius? Resp. distinguendum esse inter ecclesias, quae collegiatae, vel conventuales sunt; et inter eas, quae tales non sunt. *In prioribus* tractatus praemitti debet, prout patet ex *can. sine exceptione* 52. *caus.* 22. *q.* 2. *ibi. cum totius cleri tractatu, et c. dudum* 1. *vers. quia etiam h. tit. in* 6. ubi Gregorius X. irritam declarat concessionem decimarum perpetuam, adjecta ratione, *quia tractatus solemnis, et diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, et alienationibus rerum ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem. In posterioribus*, hoc ipso, quia capitulum non habet, cum quo tractari possit, tractatus nullus requiritur, sed rector ejusdem solus rem etiam immobilem ejusdem, exigente necessitate, aut suadente evidenti utilitate, cum episcopi sui consensu alienare potest. Ita Imol. *in c.* 1. *de dolo n.* 7. Abb. *ibid. n.* 28. Redoan. *de reb. eccl. non alien. rubr.* 24. *n.* 46. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 53. *n.* 3. Vviest. *tit. de his, quae a praelat. n.* 4.

74

Dub. 2. utrum ad tractatum hunc vocandi sint omnes, qui habent vocem in capitulo? Resp. vocandos esse omnes, qui praesentes sunt, aut non procul absentes, ut patet ex *aut. hoc jus porrectum C. de ss. eccl. Excipitur* casus notoriae necessitatis periculi in mora, ac parvitatis rei. Obstare hic videtur *can. sine exceptione cit.* ubi dicitur alienationem fieri non posse, *nisi cum totius cleri consensu*; non ergo solius capituli. Verum ibi, sicut et in aliis hujusmodi constitutionibus, consensum cleri requirentibus, non intelliguntur clerici, vel totius dioecesis, vel etiam omnes ecclesiae cujusdam particularis, sed solum illi, qui vocem in capitulo habent.

75

Dub. 3. quot tractatus alienationi faciendae praemitti debeant? Sunt, qui plures, vel saltem ternos requirunt tractatus, ut videre est apud Redoan. *l. cit. n.* 24 *et* 26. sed melius dicitur, per se loquen-

do, et praescindendo, a peculiaribus locorum constitutionibus, vel consuetudinibus, unum sufficere. Ita Abb. *in c. tuae nuper* 8. *n.* 3. *de his, quae a praelat.* Covar. *l.* 2. *var. c.* 17. *n.* 1. Franc. *in cap.* 1. *h. tit. in* 6. *n.* 9. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 468. *n.* 6. Palao *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 9. Tambur. *tom.* 3. *de jur. Abb. D.* 13. *q.* 4. *n.* 5. Donat. *tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *n.* 20. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 3. *n.* 7. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 53. *n.* 3. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 2. Pirh. *ibid. n.* 27. Konig *n.* 22. Vviest. *tit. de his, quae a praelat. n.* 3. *Ratio est*, quia in jure nuspiam requiruntur plures: imo unum sufficere, satis clare desumitur ex *c. an sine exceptione, et c. dudum* §. *quia etiam cit.* ubi quidem *tractatus solemnis, ac diligens*, sed in numero singulari requiritur.

76

Dixi autem *per se loquendo*; nam casu, quo alienatio majoris momenti est, et ejus utilitas non ita evidens, plures praemitti operae pretium, consultumque est. Addidi, *praescindendo a particularibus locorum constitutionibus, et consuetudinibus;* nam tales, sicubi extant, observari debent. Ita teste Tamb. *tom.* 3. *de jur. Abb. D.* 13. *q.* 4. *n.* 15. Passer. *tom.* 1. *de stat. hom. q.* 185. *n.* 546. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 53. *n.* 3. in congregatione s. Justinae cassinensi ordinis s. Benedicti, cum ejusmodi alienatio decernenda est, duorum dierum interpolati tractatus praemitti debent.

77

Dub. 4. in qua alienatione requiratur tractatus? Resp. Requiritur tantum in alienatione perpetua, nempe donatione, permutatione, et venditione, ut notat gloss. *in c.* 1. *V. perpetuis h. tit. in* 6. Passerin. *tom.* 1. *de stat. homin. q.* 185. *n.* 546. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 53. *n.* 3. debetque alienatio talis esse voluntaria; nam ad necessariam tractatu opus non est; Petra *l. cit.* et hoc teste rota *decis.* 1080. *n.* 11. *et* 12. *coram Seraphino. Excipitur*, si necessitas sit super certo corpore, sed in genere solum; tunc enim debet praecedere tractatus, quod tale corpus sit alienandum: et ita debent intelligi asserentes contrarium apud Passerin. *n.* 547. quia ecclesiae debet consuli cum solemnitatibus, ut potius unum, quam aliud vendatur praedium.

Debet autem tractatus iste 1. praecedere actum alienationis; quia, ut *n.* 72. dictum est, est via ad illam prudenter faciendam. 2. Fieri debet authoritate superioris habentis potestatem alienandi: sufficit tamen, si fiat ab ejus commissario, ut ex *decis.* 5. *h. tit. in antiquis* notat Turinell. *tr. de alien. rer. eccl. c.* 4. *n.* 3. 3. debet de illo habito rite constare per instrumentum, neque enim cre-

ditur episcopo attestanti de habito tractatu : rota *decis.* 716. *n.* 2. *p.* 1. *divers.*

78

2. Requiritur *consensus majoris partis capituli,* seu *conventus* ecclesiae, vel monasterii, de cujus aliqua re alienanda agitur; *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. *c. irrita* 1. *cap. cum nos* 3. *et c. tuae nuper* 8. *de iis, quae a praelat.* et quidem merito; nam episcopus, et capitulum ad gubernandas res ecclesiae faciunt unum corpus, ita, ut episcopus sit caput, et canonici membra; *c. novit* 4. *de his, quae a praelat.* igitur necesse est, ubi praejudicium grave fieri posset ecclesiae, etiam capitulum interrogari : tale autem est in alienatione rerum ecclesiae, quae prohibitae sunt alienari : ergo etc.

79

Dub. 1. quando consensus capituli, vel conventus ad alienationem faciendam sit necessarius? Resp. Necessarius est ad alienationem rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum. Ita habetur *can. sine exceptione, c. irrita, c. cum apostolica, cap. tuae cit. Ratio est,* quia cum in ista de ejusmodi rerum dominio transferendo, aut jure in iis alteri constituendo agatur, periculum esset, ne si ad eam praelatus sine capituli consensu, et praevio tractatu pervenire posset, ecclesiae, vel monasterio grave damnum, ac praejudicium inferretur; ubi autem majus periculum vertitur, majori cautione est procedendum; *c. ubi periculum* 3. *de elect. in* 6. *et l. si cui* 1. §. *sed et siquis* 5. *ff. de carbon. edict.*

80

Procedituque hoc, etiamsi bona, de quorum alienatione agitur, pertineant ad mensam episcopalem, separatam a mensa capituli, et canonici non habeant interesse particulare, sed tantum res attingat interesse commune ecclesiae; quia consensus capituli requiritur, non ut personae habentis interesse, sed tanquam solemnitas, et capituli interest, ne possessiones, et bona ecclesiae alienentur; Clerical. *de benef. discord.* 52. *n.* 14. Vinc. Petra *tom.* 1. *fol.* 53. *n.* 4.

81

Quodsi episcopus capitulum non habeat propter bellum, vel ex alia causa, loco canonicorum alios clericos convocare debet, cum quibus si rem tractaverit, et hi consenserint, tum demum ejusmodi rerum alienationem facere poterit; Abb. *in c. irrita cit. n.* 7. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 468. *n.* 6. *fin.* Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 10. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *artic.* 3. *n.* 7. Pirh. *tit. de his, quae a praelat. n.* 1. qui cum Abb. *l. cit.* notat, idem utiliter observari etiam in alienatione a praelato inferioris ecclesiae facienda.

82

Dub. 2. an consensus capituli cathedralis episcopo sit necessarius etiam in alienatione rerum pertinentium ad ecclesias cathedrali inferiores? *Ratio dubitandi est*, quia ex una parte *can. sine exceptione*, *c. irrita*, *c. tuae nuper cit.* ad alienationem praelati consensus capituli generaliter, et indistincte exigunt; ex altera vero parte *c. cum apostolica* 7. *de his*, *quae a praelat.* episcopus decimas ad unam ecclesiam spectantes transferre ad aliam ecclesiam potest, non requisito consensu capituli.

Expediri difficultas ope distinctionis potest: vel enim rem talis ecclesiae alienat ipse episcopus, ut ex causa aliquando potest, vel ejus ecclesiae rector, aut beneficiatus. *Si primum*, consensus capituli cathedralis est necessarius; Abb. *in cap.* 1. *de his, quae a praelat. n.* 5. Covar. *l.* 2. *var. c.* 17. *n.* 1. Garc. *p.* 12. *de benef. c.* 3. *n.* 11. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 468. *n.* 14. Oliva *p.* 2. *for. eccl. q.* 43. *n.* 62. Vincent. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 53. *n.* 3. *et fol.* 54. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 45. Vviest. *tit. de his*, *quae a praelat. n.* 10. et sumitur *ex Clem.* 2. *h. tit. neque obstat c. cum apostolica cit.* quia istius casus specialis est, quando sc. laicus decimas, ab episcopo, vel praelato alio inferiore jam ante concilium lateranense acceptas induci non potest, ut suae ecclesiae restituat; tunc enim per *c. cit.* episcopus illas alteri ecclesiae donare potest, quin opus sit, ut super hoc capituli sui consensum requirat: quae proin dispositio in consequentiam trahi non debet: imo cum sit exceptio a communi regula, hanc potius firmat in casibus non exceptis.

83

Si secundum contingat, iterum distingui debet inter ecclesias collegiatas, vel conventuales, et inter eas, quae collegium, vel conventum non habent. Ad alienationem rei pertinentis ad collegiatam, vel conventualem ecclesiam, si ea fiat a proprio praelato sufficit expeti consensum collegii, vel conventus, et episcopi, cui ecclesia illa subjecta est, neque opus est, ut etiam consentiant capitulares ecclesiae cathedralis, ut cum *cit.* et communi aliorum recte advertit Rodriq. *tom.* 1. *regular. q.* 27. *art.* 1. *Ratio est*, quia haec conditio, seu solemnitas, ut sc. requiratur consensus capituli cathedralis hoc casu, nuspiam est expressa in jure. In ecclesiis capitulum, vel conventum non habentibus, si rector alienationem faciat, sufficit, si istam faciat authoritate episcopi; Sylv. *V. alienatio q.* 4. Vasq. *de reditib. c.* 2. §. 2. *n.* 42. Bonac. *de contract. q.* 8. *p.* 4. *n.* 7. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 10. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *n.* 7. et alii supra. *Ratio est*, quia consensus capituli necessarius tantum est praelato alienanti: talis autem

episcopus solum est in casu *n. praec.* non autem in duobus *num. praesentis* : ergo etc.

84

Dub. 3. an capituli consensus, quando ad alienationem faciendam requiritur, debeat esse expressus, an vero sufficiat tacitus ? *Ratio dubitandi est*, quia *ex una parte* per *c. irrita cit.* omnino irrita pronuntiatur episcoporum donatio, aut venditio, vel permutatio rei ecclesiasticae facta *absque collaudatione, et subscriptione clericorum*; atqui hoc sine expresso consensu fieri non potest, ut clarum est de subscriptione, et de collaudatione ostenditur ; nam *collaudare* idem prorsus est, quod simul laudare, et approbare : hoc autem voce, nutu, vel alio signo externo fieri solet : ergo ex una parte videtur requiri consensus expressus. *Ex altera autem parte* videtur sufficere tacitus ; *c. continebatur* 2. *de his, quae a praelat.* dicitur *robur firmum debere habere concessionem decimae ab abbatissa factam, conventu sciente, et non contradicente.* Atqui consensus, qui per scientiam capituli, ejusque non contradicentis taciturtatem obtinetur, est solum consensus tacitus : ergo etc.

85

Multum laborant interpretes, et DD. ut ab antinomiae vitio textus hos vindicent : hinc in sententias diversas abeunt ; nam 1. aliqui cum Rebuff. *de decim. q.* 5. *n.* 34. Vvagn. *in c. continebatur c. t. in exeges.* putant *c. irrita cit.* sermonem esse de rebus magnae, aut saltem notabilis aestimationis, *c. continebatur* autem de rebus modicis ; unde volunt ad priores quidem requiri consensum expressum, ad posteriores autem alienandas sufficere consensum tacitum. 2. Gloss. *in c. dudum* 1. *V. perpetuis h. tit. in* 6. Abb. *in c. continebatur cit. n.* 6. Alegon. *ibid. in gloss.* Vivian. *princ. ibid.* Donat. *tom.* 1. *prax. benef. p.* 2. *tr* 14. *q.* 12. *n.* 2. Oliva *p.* 2. *for. eccl. q.* 43. *n.* 45. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 54. *n.* 6. Vall. *tit. de his, quae a praelat. n.* 1. Pirh. *ibid. n.* 2. *not.* 2. *not.* 1. Konig *n.* 5. Vviest. *n.* 7. distinguunt inter concessionem perpetuam, et temporalem : ad perpetuam, qualis est donatio, venditio, commutatio, volunt ex vi *c. irrita cit.* requiri consensum expressum ; ad temporalem, qualis est locatio, oppignoratio, volunt sufficere ex vi *c. continebatur* consensum tacitum. *Rationem dant*, quia in concessione solum temporali minus periculum est laesionis, quam in perpetua alienatione : et cons. in hac majori cautela opus est, quam in illa. 3. Denique alii cum Carvall. *in c. Raynutius* 16. *p.* 2. *n.* 333. *de testam.* et Gonzal. *in c.* 1. *de his, quae a praelat. n.* existimant, nomine *decimae c. continebatur cit.* non immediate ipsum jus, aut fructus decimales, sed beneficium ecclesiasticum venire, ad quod

praesentabatur clericus ab abbatissa. Sumitur ex ipso textu, et integra hujus lectura; nam ibi archidiaconus dedit investituram per clavem, et librum, quae omnia sunt propria institutionis canonicae, et investiturae corporalis in beneficio, non vero solent desiderari, vel adhiberi in alienatione decimarum.

86

Dub. 4. an exigatur consensus capituli congregati? Sylvester *V. alienatio q.* 5. Vasq. *de reditib. c.* 2. §. 2. *dub.* 12. *n.* 42. Tamb. *tom.* 3. *de jur. abb. D.* 13. *q.* 4. *n.* 7. volunt sufficere consensum singulariter, et seorsim praestitum ex duplici ratione. 1. quia a capitularibus etiam seorsim praestitus est vere consensus capituli. 2. quia congregatorum consensus specialis, et proprius est in electoribus.

Sed his non obstantibus, dicendum, requiri consensum capituli congregati, quando haberi potest. Ita Redoan. *de reb. eccl. non alien. rubr.* 28. *cas.* 5. *n.* 11. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 10. Donat. *tom.* 1. *prax. reg. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 13. *n.* 2. Barbos. *in c.* 1. *de his, quae a praelat. n.* 4. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *n.* 7. Praeposit. Frising. *tom.* 1. *cons.* 19. *n.* 48. *et* 50. Engl. *hic n.* 14. Konig *n.* 23. Vviest. *tit. de his, quae a praelat. n.* 8. et novissime Vincent. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 57. *n.* 18. *et* 19. estque hoc decisum a rota *decis* 380. *n.* 6. *coram Buratto, decis.* 91. *n.* 7. *coram Priolo, decis.* 82. *n.* 3. *p.* 7. *recent.* et late *in leodiensi vicariae* 1. *dec.* 1698. *et leodiensi alia* 11. *maij* 1699. *coram D. dell' Olmo.* Sumitur 1. ex *c. irrita* 1. *de his, quae a praelat.* ubi praecipitur, ut alienatio rerum ecclesiasticarum fiat *cum clericorum*, seu canonicorum *collaudatione.* Atqui collaudatio est voluntas, sive consensus plurium, ad quos pertinet, simul junctus, ut ait Redoan. *rubr.* 30. *n.* 6. 2. *c. continebatur* 2. *et c. cum nos* 3. *tit. cit.* ss. canones ad alienationem rerum immobilium exigunt consensum conventus, seu capituli; consensus autem capituli, vel conventus proprie tantum dicitur, qui est capitularium congregatorum, sive collegialis; ergo etc. 3. si consensus capitularium seorsim praestitus sufficeret, et ejusmodi alienatio suffragiis separatim rogatis decerni posset, dilapidatio rerum ecclesiae multo expeditior foret praelato, utpote qui ejusmodi consensum in favorem suum, et ecclesiae, vel monasterii praejudicium facile obtinere posset.

87

Proceditque hoc, etsi tractatus collegialis praecessisset; nam adhuc requiritur consensus collegialis, ut contra Barbos. Bonac. Tamb. advertunt Passerin. *q.* 185. *n.* 557. Donat. *tom.* 1. *prax. reg. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 13. Petra *t.* 1. *fol.* 57. *n.* 20. quia jura tam tractatum, quam consensum collegialiter requirunt, imo majori ratione

in isto, qui est perfectio actus, et possunt collegiales poenitere, vel aliquo modo ad invicem conferendo a tractatu resilire.

Argumenta in contrarium nihil probant. *Ad* 1. singuli canonici seorsim sumpti, sive singulares, ac separati non faciunt capitulum; *arg. c. un. princ. ne sede vac. in* 6. igitur nec singulorum consensus separatim praestitus erit consensus capituli; quia jus universitatis consistit in collegialitate. *Ad* 2. verum non est, quod consensus congregatorum proprius sit in electoribus, ut patet ex *can. ei qui* 31. §. *nominationes caus.* 2. *q.* 6. et colligitur ex *c. cum accessissent* 8. *princ. et* §. *quocirca de const.*

88

Dub. 3. quinam consentire in alienationem debeant? Resp. 1. Debent consentire capitulares ecclesiae, de cujus rerum alienatione agitur; nam ceterorum clericorum, qui capitulares non sunt, etsi beneficiati sint in eadem ecclesia, consensus non requiritur; Petra *t.* 1. *fol.* 54. *n.* 8. *Excipitur*, nisi statuto, consuetudine, vel privilegio etiam ad istos administratio bonorum spectet; nam omnes intervenire debent, ad quos administratio bonorum spectat; Petra *fol.* 56. *n.* 14. qui tamen *ibid.* monet, hujusmodi consuetudinem, statutum, privilegium stricte interpretandum, nec ad alia jura capituli extendendum.

2. Ex capitularibus, et iis, qui suffragium habent, et tunc praesentes sunt, consentire debet major illorum pars; ut dictum est *tit.* 11. *n.* 19. *supra*, et recte advertunt Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 468. *n.* 6. *in fin.* Pal. *tr.* 12. *un. p.* 13. §. 2. *n.* 10. Donat. *tom.* 1. *prax. regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *n.* 21. *et* 22. Gonz. *in c.* 1. *de his, quae a praelat. n.* 7. Pirh. *tit. eod. n.* 2. *not.* 2.

89

3. Pars ista major consentiens debet etiam esse senior; *c. ea noscitur* 6. *tit. eod.* et hinc etiamsi pars major consensum praebeat, nihilominus pars senior se opponere potest, ostendendo alienationem vel esse damnosam, vel non necessariam; gloss. *in c. ea noscitur cit. V. majoris.*

4. Praeter consensum capituli opus est etiam consensu praelati; nam etsi totum capitulum consentiat, si tamen praelatus dissentiat, non potest fieri alienatio rei ecclesiasticae, ut ex communi DD. sensu docet Suar. *tom.* 4. *de relig. l.* 2. *c.* 27. *n.* 10. *Ratio est*, quia in alienatione semper intervenire debet authoritas, et potestas praelati, quod fieri non potest sine consensu ejusdem.

5. Si vacet ecclesia, dandus est ei curator, seu defensor, a papa quidem, si ecclesia sit cathedralis; ab episcopo autem, si sit in-

ferior : et cum hoc tractari debet, ac discuti, num causa sufficiens alienandi adsit; Abb. *in c.* 1. *ne sed. vacant. n.* 7.

90

3. Requiritur *subscriptio*, a capitulo, seu conventu facta; *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. *c. irrita* 1. *et c. tuae nuper* 8. *de his, quae a praelat.* ut sic facilius de consensu, et approbatione constet.

Dub. 1. quando necessaria sit subscriptio capituli, vel conventus? Resp. si res, quae alienatur, sit immobilis, vel mobilis pretiosa. Estque hoc ita verum, ut sine ejusmodi subscriptione facta sit irrita, uti patet ex *c. irrita*, *et c. tuae nuper cit.* Quare iste est unus casus specialis, in quo ad valorem contractus, vel actus requiritur scriptura, et subscriptio, cum alias universalis regula sit negativa, videlicet ad substantiam pacti, vel contractus scripturam non requiri, nisi id sit jure expressum : et ratio est, quia in qualibet conventione, spectato jure naturali, requiritur solum consensus contrahentium, in quo fundatur; Abb. *in c. irrita cit. n.* 4.

91

Extendunt dispositionem hanc quidem DD. generaliter ad quoscunque actus, et contractus, quibus ejusmodi res ecclesiasticae alienantur. *Sed dicendum*, subscriptionem solum requiri in alienatione rei per donationem, venditionem, permutationem ; ita enim expresse textus *can. sine exceptione*, *c. irrita*, *cap. tuae nuper cit.* et passim DD. ac inter hos Abb. *n.* 4. *cit.* Redoan. *q.* 40. *n.* 1. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 12. Tambur. *tom.* 3. *de jur. Abb. D.* 13. *q.* 4. *n.* 10. Vall. *hic* §. 3. *n.* 2. Schamb. *ibid. n.* 6. Konig. *tit. de his, quae a praelat. n.* 24. *Neque dicas* extensionem istam inferri ex paritate rationis ; quia revera non est paritas. Ratio disparitatis est, quia donatio, venditio, permutatio sunt magis proprie dictae alienationes, quam ceteri contractus, utpote cum per illas non tantum jus utile, sed directum etiam rerum dominium in alium transfertur. Deinde etsi paritas rationis esset, non tamen idcirco etiam ad ceteros contractus constitutio haec subscriptionem exigens extendi debet ; quia exceptionem continet, et universalem regulam, ut paulo antea dictum est, potius firmat.

92

Dub. 2. an consuetudine induci possit, ut subscriptio capituli neque in donatione, emptione, permutatione rerum ecclesiae sit necessaria? Videtur respondendum negative ; nam subscriptio est solemnitas ob rationabiles causas introducta a jure, et illam non omitti ecclesiae multum interest, ut in alienationem consentiens, eique in casu non licito subscribens puniri possit : igitur consuetudo so-

lemnitati huic derogans videtur esse contra bonum ecclesiae, cons. irrationabilis.

Nihilominus dicendum, per consuetudinem tolli posse necessitatem subscriptionis. Ita Abb. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 6. Redoan. *rubr.* 29. *n.* 10. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 12. Pirh. *hic n.* 31. Vviest. *tit. de his ; quae a praelat. n.* 13. Et confirmat hoc praxis ; nam in pluribus locis non requiritur, ut manu capitularium subscriptio fiat, sed sufficit, si in instrumento, manu notarii publici scripto, de adhibito consensu capituli fiat mentio, sive contestatio, vel is manu sua eidem subscribat; ut cum Pal. et Pirh. *cit.* notat Tambur. *tom.* 3. *de jur. Abb. D.* 13. *q.* 4. *n.* 10. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 2. Konig. *ibid. n.* 24. Ratio est, quia subscriptio originem, et necessitatem suam debet juri humano imperiali, et ecclesiastico, quorum utrique praevalere consuetudo potest, ut constans est DD. sensus, et patet ex *c. fin. de consuet. et l. de quibus* 32. *fin. ff. de legib.*

Ad rationem dubitandi, licet subscriptionis necessitas ad probationem consensus praestiti, et contractus celebrati magna sit, non tamen est tanta, ut illius defectus non alia ratione suppleri possit : sicut facto ipso suppletur per instrumentum publicum, in quo fit testificatio de consensu praestito, et contractu celebrato.

93

Dub. 3. an sicut subscriptionis, ita et aliarum solemnitatum, ad alienationem rerum ecclesiae requisitarum, necessitas per consuetudinem tolli possit? Affirmant nonnulli; negant alii cum Fagn. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 11. Tenenda via media, et dicendum, abrogari consuetudine solemnitates non quidem omnes posse, nullam tamen esse in particulari, quae per consuetudinem non possit tolli. Ita Abb. *in c. nulli cit. n.* 6. Redoan. *rubr.* 29. *n.* 10. Covar. *l.* 2. *var. c.* 17. *n.* 1. Gonz. *in c.* 1. *de de his, quae a praelat. n.* 7. *in fin.* Vviest. *tit. eod. n.* 13.

Ratio primae partis est, quia consuetudo, quae praelatis, ceterisque rerum ecclesiasticarum administratoribus omnino liberam, et ab omni solemnitate absolutam alienationem permitteret, res, et jura ecclesiae dilapidationis periculo manifesto exponeret; ac proin, utpote damnosa ecclesiis, irrationabilis foret.

Ratio secundae; quia solemnitates istae sunt creaturae juris humani, et sicut cetera legum statuta, ita et ipsae a legislatoris, et hujus successorum voluntate pendent, qui sicut eas induxerunt sancita lege, ita easdem ex rationabili causa nova lege vel mutare, vel tollere possunt: atqui consuetudo, si a jure reprobata non sit, non habet minorem vim abrogandi leges ; et his sancitas solemnitates, quam ipsae leges : ergo etc.

94

Dub. 4. an subscriptio, ubi consuetudo juri scripto non derogavit, solum necessaria sit ad probationem consensus a capitulo praestiti, an vero etiam ad valorem, et substantiam alienationis? Primum affirmat Bald. *in auth. hoc jus porrectum C. de ss. eccl.* Bellam. *in can. sine exceptione cit. §. tertio quaeritur.* Redoan. *rubr.* 30. *cas.* 6. *n.* 12. Vvagn. *in c. irrita cit. n.* 4. ex ratione, quia substantia contractus regulariter per contrahentium consensum habetur: hic autem habetur sine scriptura, modo praelatus, et major, ac sanior pars capituli in alienationem consentiat: ergo etc.

Sed melius dicitur, abstrahendo a contraria consuetudine legitime praescripta, de jure non minorem subscriptionis, quam ipsius consensus capitularis necessitatem esse. Ita expresse habetur *c. irrita cit.* ubi indistincte pronuntiatur irrita alienatio, sive sine capituli consensu facta sit, sive hoc posito sine subscriptione ejusdem.

Argumentum contrarium procedit, ubi jus aliud non disponit; hoc autem fit in nostro casu; unde casus iste est specialis, ut *n.* 90. *supra* dictum est.

95

Dub. 5. an alienationi a praelato cum majoris partis capituli consensu decretae subscribere teneantur etiam ii, qui suo consensu illam non approbarunt? Resp. distinguendo; vel enim rationabilem, justam, et ecclesiae utilem esse agnoscunt, vel contra damnosa iisdem videtur. *Si primum*, tenentur accedere ceteris, et subscribere; *Si secundum*, non tenentur: imo casu, quo ecclesiae damnum, ac praejudicium evidens est, non possunt concluso majoris partis subscribere, sed appellare, vel saltem contradicere tenebuntur; Abb. *in c.* 2. *de his, quae a praelat. n.* 9. Vviest. *tit. eod. n.* 17. et 18. et alii ab hoc *cit.* Ratio est, quia in iis, quae concernunt factum universitatis, vel collegii, regulariter quilibet, qui de isto est votum suum exprimere ex debito officii sui tenetur, ne si taceat, habeatur pro consentiente juxta *reg.* 43. *in* 6.

96

4. Requiritur *authoritas,* sive *consensus superioris,* h. e. ejus, qui ex munere publico ecclesiae praeest, ut habetur *can. sine exceptione cit. et auth. hoc jus porrectum C. de ss. eccl. Requiritur hic* tantum in alienatione rerum immobilium, et mobilium pretiosarum: debetque dari expresse, *can. abbatibus* 41. *caus.* 12. *q.* 2. imo in scriptis, quod etsi non requiratur ad substantiam actus, ut censet Innoc. *in c.* 5. *h. tit. in* 6. saltem necessarium est ad probationem actus; Pirh. *n.* 44. *hic.* Dicitur consensus iste potius *authoritas*; nam qui in minoribus, seu inferioribus absolute vocari solet

consensus, is in eo, qui ex officio publico praeest, vel legitimam administrationem habet, authoritas appellatur; gloss. *in c.* 1. *cit. V. tractatus,* Innoc. *ibid. n.* 3. Molin. *tr.* 2. *D.* 468. *n.* 4. Pirh. *n.* 44. *cit.*

97

Dub. 1. a quo superiore sit requirendus consensus ad alienationem rerum ecclesiae immobilium, vel mobilium pretiosarum? Resp. Est requirendus ab eo, cui ecclesia, vel monasterium, de cujus rerum alienatione agitur, subjectum est. Atqui hinc

Sequitur 1. si ecclesia, vel monasterium sit exemptum, et immediate subjectum summo pontifici, ad alienationem rerum istius celebrandam requirendum consensum, et authoritatem ipsius summ. pont. nam ille est proprius praelatus, sive immediatus superior talis abbatis, vel prioris exempti; gloss. *in clem.* 1. *V. proprii h. tit.* Franc. *in cap.* 1. *num.* 23. *h. tit. in* 6. Suar. *tom.* 4. *de relig. l.* 2. *cap.* 27. *n.* 15. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *n.* 4. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 3. *n.* 7. Honor. *hic n.* 16. Zoes. *num.* 12. Pirh. *n.* 46. Schamb. *n.* 9. Vviest. *n.* 77.

98

Sequitur 2. si ecclesia, vel monasterium exemptum quidem sit, non tamen pontifici immediate, sed ordinis generali, vel provinciali subjectum, consensum istius in alienationibus rerum ecclesiae, vel monasterii et requiri, et sufficere, non petito, vel obtento consensu episcopi; quia ipsemet generalis, vel ex ejus concessione provincialis loco episcopi esse censetur; Turrecr. *super caus.* 12. *quaest.* 2. *n.* 4. Suar. *l. cit. n.* 13. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. cap.* 30. *n.* 10. Pal. *tract.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 11. Donat. *t.* 1. *prax. reg. p.* 2. *tract.* 14. *quaest.* 9. *n.* 24. Vviest. *hic n.* 78. et alii supra *cit.* Ipsi tamen abbati, vel alteri praelato generali ad alienationem, immobilium proprii monasterii praeter conventus sui consensum, etiam papae consensus necessarius erit: de quo plura inferius 112. *et seqq.*

99

Sequitur 3. Si alienanda sit res ecclesiae infericris subjectae praelato non exempto, quamvis regularis illa sit, praeter consensum capituli opus est, ut alienationi authoritatem praestet episcopus, cui praelatus ecclesiae illius subjectus est; gloss. *in clem.* 1. *V. non habeat, et V. proprii h. tit.* Franc. *in cap.* 1. *n.* 23. *eod. in* 6. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *n.* 4. Pal. *tract.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 11. Tambur. *tom.* 3. *de jur. Abb. D.* 13. *quaest.* 5. *num.* 1. Donat. *tom.* 1. *prax. reg. p.* 2. *tract.* 24. *quaest.* 9. *n.* 24. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 3. *n.* 7. Vinc. Petra *tom.* 1. *com-*

ment. fol. 75. *n.* 79. Honor. *hic n.* 16. Zeos. *n.* 12. Schamb. *n.* 9. Pirh. *n.* 46. *et* 48. et statuitur *can. Abbatibus* 41. *can. placuit* 51. *caus.* 12. *quaest.* 2. *et can. in venditionibus* 40. *caus.* 17. *quaest.* 4. *Ratio est*, quia authoritatem praestare in alienationibus rerum ecclesiasticarum est actus ipsis episcopis reservatus, sive jurisdictionis episcopalis.

100

Dub. 2. an authoritatem alienationi praestare pro ecclesiis inferioribus possit capitulum, sede vacante, vicarius generalis, et alii praelati? Resp. *ad* 1. affirmative. Ita gloss. *in clem. un. V. conferantur de rer. permut.* Abb. *in cap.* 14. *de major. et obed. n.* 2. Franc. de Pavinis *de offic. et potest. capit. sed. vac. part.* 1. *quaest.* 10. *n.* 12. Vviest. *hic n.* 71. *Ratio est*, quia authoritatem alienationi praestare est actus, non ordinis, sed jurisdictionis episcopalis, haec autem, sede vacante, in capitulo residet, ut dictum est *tit.* 9. *a num.* 1.

101

Ad 2. distinguendum est inter eum, qui est vicarius episcopi, sede plena, et inter eum, qui est vicarius capituli sede vacante. *Vicarius episcopi sede plena*, authoritatem alienationi praestare non potest; quia decreti, sive authoritatis interpositio in hujusmodi alienationibus exigit mandatum speciale; Sbrozzius *de vicar. l.* 2. *quaest.* 118. *n.* 2. Zerol. *prax. episc. V. vicarius p.* 1. §. 12. Barbos *de offic. episc. alles.* 54. *num.* 106. Pellegrin. *de vicar. gener. episc. p.* 1. *sect.* 2. *subs.* 2. *n.* 55. Vinc. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 76. *n.* 82. Vvies. *hic n.* 72. *At vicarius capituli sede vacante* consensum vice capituli in hujusmodi alienationes praestare potest; quia hic vi generalis suae commissionis potest etiam illa, quae sede plena speciali mandato indigent, ut dictum est *libr.* 1. *tit.* 28. *n.* 30.

102

Ad 3. distinguendum inter abbates, et praelatos, qui habent ecclesias pleno jure sibi subjectas, ita, ut jurisdictionem quasi episcopalem in iis exerceant, et inter eos, qui ita subjectas sibi ecclesias nullas habent. Hi *posteriores* certo praestare authoritatem alienationi rerum ad ecclesias suas pertinentium nequeunt; quia ut *n.* 99. dictum est, actus iste episcopo reservatus est. *Priores* possunt in iis ecclesiis, quas ita pleno jure sibi subjectas habent, cum consensu rectorum; quia tales vices episcoporum gerunt in illis ecclesiis, etiamsi alias non sint exempti; gloss. *in clem.* 1. 1. *V. proprii h. tit.* Abb. *ibid. n.* 7. Franc. *in cap.* 1. *num.* 23. *eod. in* 6. Pirh *hic n.* 48.

103

Dub. 3. qualis episcopus authoritatem alienationi praestare debeat, an ille, in cujus dioecesi sita est ecclesia, vel monasterium, de cujus rerum alienatione agitur, an vero ille, in cujus dioecesi sita est res, vel praedium alienandum? Quatuor sunt sententiae. 1. Baldus *in l. si praedium* 16. *C. de praed. et aliis reb. min.* utriusque authoritatem desiderat, quod utriusque intersit: et videtur istud probari ex *l. si praedium cit. et l. magis puto* 5. §. *illud* 12. *ff. de reb. eor. qui sub tutel.* quarum legum priore judicis loci, in quo res sita, altera judicis domicilii decretum ad alienationem rei immobilis ad minorem pertinentis exigitur. Atqui ecclesiae jure minorum gaudent; *cap. requisivit* 1. *et cap. auditis* 3. *de integr. restit.* ergo etiam in alienatione bonorum ecclesiae intervenire debet authoritas utriusque episcopi, videlicet domicilii, et rei sitae.

104

2. Bartol. *in l. cit* Gomez *tom.* 2. *var. cap.* 14. *n.* 17. Molin. *tract* 2. *de just. D.* 224. *n.* 29. putant sufficere consensum utriuslibet; nam episcopus domicilii illud interponere potest ratione jurisdictionis, quam habet in ecclesiam, in territorio suo positam, et episcopus loci ratione jurisdictionis, quam habet in rem ibi sitam, ut adeo *l. cit.* saltem probent id fieri posse saltem alternative ab alterutro episcopo.

105

3. Gloss. *in can. in venditionibus* 40. *V. eod. caus.* 17. *quaest.* 4. et alii quidam determinate exigunt consensum episcopi loci, in quo res sita est; *arg. l. magis puto cit. et cap. sane* 3. *de for. compet.* ubi cognitio controversiae, quae super re ecclesiastica orta est, prae aliis adstruitur episcopo loci, in quo res illa sita est.

4. Denique, et ss. canonibus conformius sentiunt archidiac. *in can. venditionibus cit. num.* 3. Innoc. et Ancharan. *in cap. pastoralis* 14. *de privil.* Redoan. *de eccl. non alien. rubr.* 30. *cas.* 1. *n.* 38. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. cap.* 30. *num.* 9. Vinc. Petra *tom* 1. *fol.* 75. *n.* 80. *et* 81. Pirh. *hic n.* 49. Vvies. *n.* 74. juxta quos requiritur, et sufficit consensus episcopi, cujus jurisdictioni subest ecclesia, vel monasterium, de cujus rei alienatione agitur; nam illius episcopi consensus ad alienationem rerum ecclesiasticarum requiritur, cujus est curare, ne ecclesia, vel monasterium hujusmodi alienationibus patiatur damnum. Atqui hoc curare ex officio suo debet, non episcopus loci, in quo res sita est, sed ecclesiae, vel monasterii, de cujus rerum alienatione agitur: ergo etc. *Conf.* si

alienatio damnosa esset, dispendium pateretur, non res, de cujus alienatione agitur, sed sola ecclesia, vel monasterium alienans: ergo non rei sitae, sed ecclesiae, vel monasterii episcopus ordinarius cognoscere de causa alienationis, et consentire in illam debet.

106

Dub. 4. an, et cujus superioris consensu opus sit ad alienandas res ecclesiae inferioris, e. g. prioratus, qui a priore aliquo sine proprio conventu administratur, et ita unitus, vel incorporatus est ecclesiae superiori, v. g. monasterio, ut illius bona censeantur esse bona hujus, ideoque talis prior subjectus sit praelato, seu abbati illius monasterii.

Resp. Ut hoc casu bona prioratus sic incorporati alienari possint, opus est consensu tum abbatis, cui ejusmodi prioratus ita subjectus est, tum conventus monasterii, cui est unitus; Suar. *t.* 4. *de relig. l.* 2. *cap.* 27. *n.* 15. Laym. *disp. de reb. eccl. non alien. thes.* 33. Pirh. *hic n.* 5o. Quod eo casu necessarius sit consensus superioris praelati, constat ex *clem. monasterium* 1. *h. tit.* Quod autem accedere debeat consensus etiam capituli, seu conventus monasterii uniti, ratio est, quia ipsemet praelatus non potest dare suum consensum ad alienanda bona monasterii sine consensu capituli, seu conventus sui. Atqui bona talis prioratus, quia incorporata monasterio, censentur esse bona monasterii. Ergo praeter consensum praelati requiritur etiam consensus capituli, seu conventus monasterii, cum illius etiam proprie intersit, num alienatio bonorum prioratus illius fiat, nec ne.

An vero tali casu etiam necessarius sit consensus episcopi, videndum est, quo jure ecclesiae ejusmodi subjectae sint abbati, vel praelato superiori, et tunc decisio facienda secundum dicta *n.* 102.

107

Dub. 5. an praeter consensum superioris ecclesiastici ad alienationem rerum ecclesiasticarum etiam requiratur consensus patroni? Videtur de jure etiam hunc requirendum, ex ratione, quia jus patronatus sicut honorificum, ita etiam onerosum est; nam onus patrono imponit, ut defendat ecclesiam, quae sub patronatu ipsius existit, non tantum adversus potentiores, ne opprimatur, sed etiam adversus rectorem illius, et administratores, si bona ipsius, male alienando dilapidare, aut reditus in alios, quam praescriptos a fundatore usus vellent convertere; *can. filii* 31. *can. decernimus* 32. *caus.* 16. *quaes.* 7. *c. generali* 13. *de elec. in* 6.

108

Verum etsi honestatis, et aliquando utilitatis ecclesiae, et ipsius alienantis ratio suadeat, circa alienationem rerum ecclesiae interro-

gari patronum, ad valorem tamen, et substantiam alienationis ejusdem, vel principis saecularis consensus, regulariter loquendo nequaquam est necessarius. Ita Felin. *in c. cum accessissent* 8. *de const. n.* 20. Abb. *in c. um. ut benef. eccl. sin. dim. conf. n.* 20. Lamb. *l.* 4. *de jur. patr. q.* 2. *art.* 7. *n.* 2. Laym. *tr. de reb. eccl. alien. c.* 4. *n.* 58. Vall. *hic* §. 3. *n.* 2. Vviest. *ib. n.* 82. claris. P. Schm. *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 4. *n.* 89. *et seq.* contra Piasec. *p.* 2. *prax. episc. c.* 5. *art.* 4. *n.* 6. *Ratio est*, quia patroni consensus nuspiam a jure accensetur substantialibus solemnitatibus in alienatione rerum ecclesiasticarum requisitis: imo a concil. Tolet. IV. quod refertur *can. noverint* 6. *caus.* 10. *q.* 1. decretum est, *conditoribus basilicarum in rebus, quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam potestatem competere, sed juxta canonum instituta et ecclesiam, et dotem ejus ad ordinationem episcopi pertinere.*

109

Simili modo regulariter loquendo etiam non est exigendus consensus principis saecularis, in cujus territorio ecclesia, vel bona illius sunt sita; nam per donationem eorum ecclesiae factam fiunt juris ecclesiastici. Et hinc irritum est statutum, quo princeps saecularis aut directe alienationem earum impedit prohibendo, ne res ecclesiasticae in territorio suo sitae alienentur sine suo consensu; vel indirecte, praecipiendo subditis suis, ne easdem emant, ex ratione, quia tale statutum adversatur libertati ecclesiasticae.

110

Dixi ubique *regulariter*; nam tres casus excipi debent. 1. Si in limine fundationis bona ejusmodi in ecclesiam collata sint, cum expressa ea conditione, ne sine patroni consensu alienentur: nam talis conditio a ss. canonibus non improbatur; cons. est observanda. Lamb. *art.* 7. *cit n.* 1. Rosenthal. *tr. de feud. c.* 4. *concl.* 19. *n.* 14. Laym. *de reb. eccl. non alien. c.* 3. *n.* 51. Pirh. *hic n.* 62. Schamb. *n.* 11. Vvies. *n.* 84. P. Schm. *l. cit. n.* 91. 2. Si ecclesiae non sint absolute donata, sed eidem concessa in feudum: nam ita concessa sine consensu domini directi alienari nequeunt, ut *arg. c. transmissæ* 7. *et cap. verum* 8. *de for. compet.* communiter docent canonistae cum relatis. 3. Si patroni aut principes territoriis per speciale privilegium, consuetudinem, vel concordata obtinuerunt, ut sine consensu suo ejusmodi bona non alienentur; Laym. *l. cit. n.* 52. Pirh. *n.* 63. Vviest. *n.* 84. Et talia concordata anno 1583. inita sunt inter Albertum, et Guilielmum Bavariae duces, et ordinarios ejusdem provinciae, mediante nuntio apostolico cum potestate legati a latere ad superiores Germaniae partes delegato: item anno 1592. in arce pragensi inter Rudolphum II. imp. et Urbanum episcopum passaviensem

pro praelatis Austriae teste Konig *hic n.* 25. *fin.* Similia, ut testis est Scham. *hic n.* 11. existunt in regno Bohemiae, in quo etiam ad alienationem bonorum fundationis requiritur consensus regius, ita, ut sine illo non valitura sit alienatio.

111

Sic explicatae responsioni non obest ratio dubitandi; nam vi oneris, quod patrono imminet, de jure ipsi nulla in ecclesiam jurisdictio, vel administratio rerum ejusdem temporalium competit, sed quaedam duntaxat, cura, et inspectio, ne bonorum dilapidatione ecclesia patiatur damnum; nam hoc si adverteret, deberet aut rectorem de hoc admonere, aut si nihil monendo proficeret, eundem praelato ecclesiastico denuntiare. *Proceditque hoc*, etiam in patrono ecclesiastico; quamvis enim hic majus jus, et authoritatem in ecclesia patronata habeat, consensus tamen illius ad rerum ecclesiae alienationem nullo jure requiritur.

112

Denique praecedentibus solemnitatibus jure novo accessit *consensus apostolicus*, quem ad alienationem rerum ecclesiae immobilium, vel mobilium pretiosarum requisivit Gregorius X. *c. hoc consultissime* 2. *h. t. in* 6. et Paulus II. *extrav. ambitiosae eod. int. comm.* Circa constitutionem hanc *extrav.* satis convenit inter DD. 1. ea comprehendi omnes, etiam regulares vi decreti a *s. congr.* jussu Urbani VIII. editi 7. *sept.* 1642. Vinc. Petra *to.* 1. *comm. fol.* 79. *n.* 2. 2. ea prohiberi omnem alienationis speciem, nec illam tantum, per quam dominium directum, sed etiam per quam utile tantum, usufructus, aut jus in re transfertur in alterum, excepta locatione infra triennium, infeudatione, et emphyteuticatione rerum infeudari, aut emphyteuticari solitarum, ut habetur eadem *extrav. V. praeterquam in casibus a jure permissis*, 3. eandem constitutionem non extendi ad res modicas, et ecclesiae inutiles; nam istae adhuc post *extrav. cit.* distrahi a praelatis sine solemnitate possunt, ut a congreg. card. iterato declaratum testis est Fagnan. *in c. nulli* 5. *h. t. n.* 25. Imo nec ad immobilium, et mobilium pretiosarum alienationem consultatione summi pont. opus est, quando iste de facili adiri, et consuli nequit, vel ubi constat alienationem esse necessariam, et in mora periculum est, veluti pro alimonia pauperum, urgente fame, vel alia necessitate, pro redemptione captivorum etc. *can. gloria episcopi* 71. *caus.* 12. *q.* 2.

113

Dub. 1. an consensus apostolicus etiam exigatur ad alienationem, quae fit suadente justa causa, et adhibitis solemnitatibus juris? Negant Redoan. *de reb. eccl. non alien. q.* 36. *n.* 3. *et* 4. Rebuff.

de alienat. rer. eccl. n. 2. cum aliis. Favere istis videtur etiam ratio; nam in *cit. extrav.* prohibentur fieri alienationes sine consensu pontificis, *praeterquam in casibus a jure permissis*, ut ex eadem. *n. praec.* retuli. Atqui a jure permissa est alienatio, si causa justa hanc suadeat, et solemnitates debitae interveniant. Ergo in his non erit opus consensum papae accedere. *Conf.* si etiam in hoc casu necessarius esset consensus papae, exceptio illa, *praeterquam in casibus a jure permissis* nihil operaretur, ac proinde otiosa foret, atque inutilis contra *cap. in his* 30. *de privil.* et communem sensum DD. juxta quos etiam lex poenalis, et odiosa, ne otiosa evadat, late est interpretanda.

114

Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam tenent Ant. Gen. *prax. cur. archiep. Neapol. c.* 85. *n.* 2. Quar. *sum. bullar. V. alienatio n.* 5. Tambur. *to.* 3. *de jur. abb. D.* 13. *q.* 9. *n.* 1. Donat. *to.* 1. *prax. reg. p.* 2. *tract.* 14. *q.* 23. *a n.* 1. Fagn. *in c. nulli* 5. *h. t. n.* 12. *et seq.* Vvag. *in extrav. cit. not.* 4. *in fin.* Pignat. *to.* 6. *cons.* 95. *n.* 10. Mattheuc. *offic. cur. eccl. cap.* 45. *n.* 5. Vinc. Petra *to.* 1. *comm. fol.* 88. *n.* 60. *et seq.* claris. P. Schm. *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 4. *n.* 95. Pirh. *hic n.* 54. Konig *ib. n.* 25. Vvies. *n.* 101. et hoc teste communis DD. cui accedit stylus, et praxis romanae curiae, ut refert Quar. *l. cit. n.* 6. Ratio est, quia hac *constit. extrav.* pontifex consulere volebat indemnitati ecclesiarum, quae bonorum alienationibus a praelatis, et rectoribus suis passim gravissime laedebantur. Atqui si consensus pontificis tantum exigeretur in casibus, in quibus jure antiquo prohibebatur alienatio, parum fuisset consultum indemnitati ecclesiarum; nam praelati, et rectores earum post *extrav. cit.* adhuc potuissent alienationes facere, quas facere ante eandem poterant. Dicendum igitur, post *extrav.* istam res ecclesiae immobiles, et mobiles pretiosas etiam ex justa causa, et cum requisitis a jure solemnitatibus sine consensu pontificio alienari non posse, sed si justa causa alienationem suadeat, hanc pontificis examini, et approbationi relinquendam.

115

Ad argumentum allatum in contrarium dico cum Fagn. *l. cit. n.* 17. verba illa, *praeterquam in casibus a jure permissis* referenda, et restringenda esse ad verba immediate praecedentia, sc. infeudationem, et contractum emphyteuticum, qui ibidem permittuntur, non autem ad omnes alios contractus, qui quomodocunque antea permittebantur praelatis; alias, ut *n. praec.* dictum est, dicta *extravagans* nihil operaretur novi. *Ad conf.* dicta clausula jam habet effectum suum, dum tres casus exceptos a communi prohibitione excludit.

116

Dub. 2. an ad valorem alienationis post *cit. extrav.* praeter assensum apostolicum necessariae sint antiqui juris solemnitates? *Ratio dubitandi est*, quia Paulus II. illius *extrav.* conditor expresse innovavit omnes praedecessorum suorum constitutiones, prohibitiones, et decreta alia, super rerum ecclesiasticarum alienatione edita. Igitur etiam voluit observari solemnitates in iis praescriptas. *Conf.* solemnitates juris, ut totum jus, multis vigiliis, et laboribus in bonum ecclesiarum sunt introductae; ergo non est credibile, quod pontifex, qui jus tuetur, eas solemnitates uno verbo praesertim constitutione eundem finem spectante, subvertere voluerit, ut dicitur *cap. ecclesia* 57. *vers. neque enim de elect. et l. si quando* 35. *princ. c. de inoffic. testam.*

117

Sed his non obstantibus dicendum, pro valida habendam alienationem, quae facta est sine praescriptis a jure solemnitatibus, interveniente tamen causa justa, et consensu pontificis absoluto legitime, et absque ob vel subreptione impetrato. Ita Steph. Grat. *disc. for. c.* 43. *n.* 19. Quar. *sum. bull. V. alienatio n.* 7. Corrad. *prax. disp. apost. l.* 9. *c.* 1. *n.* 22. Sperel. *dec.* 154. *n.* 11. Tamb. *to.* 3. *de jur. abb. D.* 13. *q.* 4. *n.* 9. Vvag. *i2 extrav. ambitiosae cit. not.* 5. Donat. *to.* 1. *prax. reg. p.* 2. *tract.* 14. *q.* 18. *n.* 1. *et q.* 26. *n.* 1. Gibal. *to.* 2. *de neg. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *n.* 7. *cers. an vero.* Vinc. Petra *to.* 1. *comm. f.* 79. *n.* 3. Honor. *hic n.* 27. Pirh. *n.* 55. Konig *n.* 20. Vviest. *n.* 109. estque teste Petra *l. cit.* saepius decisum a rota. *Ratio est*, quia papa plenissimam habet potestatem disponendi de bonis ecclesiasticis, tanquam supremus eorum administrator. Igitur solemnitatibus juris ligari non potest, quin valida sit alienatio ipsius consensu facta, sed ipse consensus, et authoritas papae defectum solemnitatum jure requisitarum supplet.

118

Ex quo sequitur 1. interveniente authoritate, et consensu papae, non esse amplius necessarium tractatum capitularem; quia hujus defectum supplet abunde diligentia eorum, qui potestate sibi a pontifice delegata cognoscere debent de justitia causae, antequam expediatur breve apostolicum, quo potestas alienandi conceditur. *Sequitur* 2. etiam non esse opus consensu superioris immediati; quia ut bene Bald. *in l. illud* 2. *cod. quand. decr. opus non est*, habens verbum superioris non opus habet verbo inferioris. *Sequitur* 3. neque amplius requiri consensum capitularem; quia hic introductus est solum jure ecclesiastico, quo papa non ligatur, cum ipse supra jus, contra jus, et extra jus positivum sit, ut loquitur Bald. *in c. cum*

super 4. *de caus. poss. et propr. cap.* 1. *Sequitur* 4. multo minus requiri subscriptionem capituli, tum ob rationem praedictam, tum quia ejus necessitatem, ut *n.* 92. dixi passim sustulit consuetudo. Hac autem non minorem vim consensus habet ab ipso legislatore datus, utpote cui consuetudo vim suam unice habet.

119

Neque contrarium probat ratio dubitandi allata; nam constitutio Paulina *cit.* intelligi debet, nisi papa in ejusmodi solemnitatibus dispenset: taliter autem dispensare censetur, si licentiam alienandi absolute concedat. Secus, si conditionate tantum, et cum clausula, *si ita est*; tum enim ejus consensus defectum solemnitatum non suppleret, ut recte *l. cit.* notant Quar. *n.* 7. Vvag. *not.* 5. Donat. *n.* 3. Petra *n.* 3. Vviest. *n.* 111. cum aliis. *Ad conf.* jus canonicum compilatum est tum ex constitutionibus pont. quibus aequalem potestatem quilibet eorum successor habet, tum ex decretis conciliorum, quae sunt inferiora pont. ergo impedire non potest pontificem, quin in hujusmodi solemnitatibus dispenset, cum ligare ipsum non possit utpote ab aequali, vel inferiori factum. Deinde quamvis solemnitates istae in bonum ecclesiarum, et ad cavenda istarum damna sint introductae, tamen his sufficienter providetur per accuratum examen justitiae causae, quod ut *n. praec.* dixi, alienationi a delegatis praemittitur.

120

Dub. 3. utrum ad valorem alienationis praeter licentiam summi pontificis requiratur justa causa? Resp. affirmative. Estque hoc ita verum, ut etiam post constitutionem Paulinam *cit.* pro irrita, et nulla haberi debeat omnis alienatio rerum ecclesiae immobilium, et mobilium pretiosarum, etiam papae consensu facta, si illam non exigat necessitas, vel utilitas, aut alia causa justa suadeat. Ita Ant. Genuens. *c.* 106. *n.* 6. Redoan. *de reb. eccl. non alien. q.* 22. *n.* 75. Quar. *V. alienatio n.* 7. *prop. fin.* Donat. *to.* 1. *prax. reg. p.* 2. *trac.* 14. *q.* 26. *n.* 3. Vinc. Petra *to.* 1. *f.* 88. *n.* 60. *et* 65. Pirh. *hic n.* 55. Konig *n.* 20. Vvies. *n.* 104.

Ratio est, 1. quia pontifex non intendit, nec praesumitur agere quidquam velle in praejudicium, vel damnum ecclesiarum. Igitur authoritatem suam ad alienationem rerum ecclesiae interponere non censetur, nisi exigente, vel suadente justa, ac rationabili causa. Deesset igitur in hujusmodi alienatione verus consensus pontificis.

121

2. Pontifex, licet sit supremus rerum ecclesiae administrator, tamen conservare eas tenetur ad promovendum ex earum fructibus divinum cultum, ad solvenda ministeriorum salaria, ad subministran-

da pauperibus alimenta, et ad alias tum ipsarum ecclesiarum, tum egentium necessitates. Igitur pro libitu voluntatis suae ea dissipare, vel usurpare sine peccato non potest: peccatum autem de supremo ecclesiae in terris capite praesumi non debet, sed potius, quod omnia bene, et sancte agat. Igitur praesumi non debet, quod bona ecclesiae sine justa causa alienari velit.

3. Eundem voluntatis defectum arguit praxis; solent enim pontifices ut *n.* 118. innui, antequam consensum alienationi praestent, semper exigere justam causam et an revera subsit, per delegatos in dignitate ecclesiastica constitutos cognoscere. Igitur merito censetur pontifex non consentire, si justa causa non subsit. Imo ut P. Vviest. *hic n.* 108. notat, etiamsi justa causa subsit, si tamen causae cognitio, et inquisitio per delegatos non praemittatur, tam licentia alienandi sic impetrata, quam ipsa alienatio authoritate illius facta invalida est; quia per ejusmodi consensum apostolicum indemnitati ecclesiarum non satis consuleretur.

122

Dub. 4. an *extrav. ambitiosae cit.* sit usu recepta? Resp. DD. hic admodum variare; nam 1. Quar. *summ. bull. V. alienatio n.* 48. Corrad. *prax. dispens. apost. l.* 9. *cap.* 1. *n.* 7. Fach. *l.* 10. *contr. cap.* 98. *princ.* Piasec. *p.* 2. *prax. c.* 5. *art.* 4. *n.* 13. Ciarlin. *controv. for. c.* 10. 5. Matth. *offic. cur. eccl. c.* 45. *n.* 19. volunt eam per totum orbem usu receptam esse integraliter, et quoad omnes suas partes, etiam quoad poenas extrinsecas censurarum. 2. Sylv. *v. alienatio q.* 15. *in fin.* Cajet. *sum. V. excommunic. c.* 75. *fin.* Sarmient. *de reditib. eccl. p.* 1. *c.* 3. *n.* 29. negat ubique receptam esse: quibus assentitur Zyp. *in analys. h. t. n.* 2. ubi docet eam extra Italiam nullibi gentium esse receptam integre praesertim quoad locationes. 3. Navar. *de cens. eccl. c.* 27. *excom.* 25. *n.* 150. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *c.* 10. *vers. atque haec*, Less. *l.* 2. *de just. c.* 24. *n.* 64. Tan. *to.* 3. *D.* 4. *q.* 7. *dub.* 7. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 466. *n.* 10. Vall. *hic* §. 3. *n.* 3. Sanig. *ib. c.* 3. *n.* 2. *in fin.* distinguunt, et quamvis asserant, eam receptam esse in multis locis quoad dispositionem principalem, et intrinsecam nullitatis, contendunt tamen in paucis receptam esse quoad poenas extrinsecas excommunicationis, suspensionis etc.

123

Rectissime monet Sayr. *de cens. l.* 3. *c.* 22. *excomm.* 8. *in fin.* Gutier *qq. canon. l.* 1. c. 8. *n.* 9. Bonac. *tr. de alien. p.* 1. *n.* 6. Donat. *to.* 1. *prax. regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 4. consulendam esse praxin, et consuetudinem locorum, atque ea standum. De viridi hujus constitutionis observantia in urbe romana testatur Alph. a Leone *de*

censur. recollect. 4. *p.* 5. *n.* 2. in civitate et dioecesi florentina Antonius de Petra *de jurisd. episc. tract.* 2. *c.* 2. *n.* 10. in tota Italia, et regnis neapolitano, Lusitaniae, et Hispaniae; Ant. Gen. *prax. cur. neapol. c.* 75. *n.* 1. Melch. Phaebus *lusit. dec.* 88. *n.* 18. Barb. *all.* 93. *n.* 49. Circa Germaniae nostrae observantiam varii sunt doctorum sensus. Vagn. *in extrav. cit. V. inconsulto* putat in multis locis Germaniae validas videri alienationes, quae sine summi pont. consensu fiunt, praesertim a principibus ecclesiasticis, qui propter hanc causam alicubi, saltem in non magni praejudicii alienationibus ad papam recurrere non solent. Engl. *hic n.* 15. et Kon. *ib. n.* 25. similiter sustinent alienationes factas a praelatis non exemptis cum sola licentia episcopi in provinciis ab Italia remotis, ex quibus ad sedem apostolicam difficilior recursus est.

124

Quidquid sit de episcopis, et horum alienationibus pontifice inconsulto factis, alienationes praelatorum regularium, sine consensu a Roma impetrato per consuetudinem contrariam difficulter sustinentur: imo nec per privilegia, quae diversi ordines religiosi a sede apostolica sibi concessa habent, cum iisdem per decretum *S. cong. concil. jussu Urbani VIII.* 7. *sept.* 1624. aperte sit derogatum, et non obstantibus iisdem privilegiis, regularibus cujusque ordinis prohibeatur *omnium rerum, et bonorum immobilium, ac pretiosarum mobilium alienatio - - praeterquam in casibus a jure expressis, absque ipsius congregationis concilii expressa licentia in scriptis, et gratis concedenda, sub poena privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebant, vocisque activae, et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant etc.* ut refertur apud Tamb. *to.* 3. *de jur. abb. D.* 13. *q.* 6. *n.* 8. Neque dici potest, hoc decretum in Germania non esse usu receptum; nam, ut bene advertit P. Jacob. Vvex. *ariadn. p.* 5. *tr.* 3. *contr.* 4. *numer.* 31. inter authores germanos neminem est reperire, qui istud teneat: imo ii, qui post annum 1624. scripsere, praelatis regularibus diligenter inculcant illud decretum non pro sola Italia, sed universis Europae provinciis editum. Unde non est credibile, regulares in Germania decreto huic adeo sibi noto, et inculcato ausos esse resistere, vel eo non obstante, veteribus quibusdam privilegiis inhaerere.

125

Dub. 5. utrum non usus constitutionis paulinae *cit.* excusari in episcopis, et abbatibus possit, non obstante juramento, quo singuli, qui a sede apostolica confirmantur, in sua consecratione, vel benedictione jurant, se bona ecclesiae, vel monasterii sui, incon-

sulto romano pontifice, non alienaturos, et si alienent, poenas, per *cit. extrav.* sancitas, eo ipso velle incurrere, ut habetur *in pontif. roman. p.* 1. *tit. de consecr. episc. et bened. abb.* Videtur quod ita 1. *per cap. ex parte* 2. *de feud.* ubi non obstante juramento de non infeudando de novo, inconsulto roman. pont. recte tamen praelatus in feudum dat rem infeudari solitam. 2. *per cap. ut super* 8. *h. tit.* ubi similiter non obstante juramento, possessiones minus utiles alienantur a praelato, sive etiam commutantur pro utilibus, habito consilio, et assensu partis sanioris. 3. quia ut vult, et authoritate JCtorum romanorum, ante aliquot annos a quodam Germaniae episcopo interrogatorum, firmat Vvagn. *in extrav. cit. V. inconsulto*, juramento illo plus non promittitur, quam quod inconsulto pont. ad nullam alienationem devenire velint, nisi in casibus a jure antiquo permissis: vel ut idem explicat, dici potest, quod juramentum illud habeat conjunctam sibi hanc tacitam conditionem, *si* vel *quatenus extravagans ista usu recepta est.*

126

Sed dicendum probabilius ob istud juramentum non excusari episcopos, aut alios praelatos, si inconsulto pont. in casibus, etiam jure antiquo permissis, sed Paulina hac constitutione prohibitis, alienationem faciant. Ita communior DD. atque inter hos Abb. *in cap. ut super* 8. *h. tit. n.* 17. Sylv. *V. alienatio qu.* 16. Navar. *tract. de alien. rer. eccl. n.* 14. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 1. *quaest.* 9. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *n.* 9. *et* 10. Jacob. Strein. *summ. jur. can. p.* 2. *tit.* 17. §. 3. Jacob Vvex. *ariadn. p.* 5. *tract.* 3. *contr.* 4. *per totam.* Zoes. *hic n.* 18. Pirh. *n.* 57. Vviest. *n.* 118. *Ratio est*, quia omne juramentum servandum est, quod non vergit in dispendium salutis aeternae, nec redundat in alterius praejudicium, vel detrimentum juxta regulam *cap. quamvis* 2. *de pact. in* 6. *cap. cum contingat* 28. *de jurejur. et cap. licet* 2. *eod. in* 6. tale autem est juramentum in quaestione praesenti; ergo etc.

127

Excipitur 1. casus magnae necessitatis, quae tantam dilationem non patiatur, ut papa consuli possit; Layman *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *n.* 9. *fin. Excipitur* 2. si res sit modica, vel ecclesiae parum utilis, nam istas praelatus, etiam, si juraverit se non alienaturum, inconsulto papa, alienare nihilominus potest, quippe quae in hac materia nomine alienationis, solemnitatem, vel consensum postulantis non censentur comprehensae; Laym. *n.* 10. *Excipitur* 3. locatio infra triennium, infeudatio, et emphyteuticatio rerum, infeudari, vel emphyteuticari solitarum; nam istas *extrav. cit.* excipit, cui conforme censetur esse etiam juramentum a praelato praestitum.

128

Argumenta contraria non multum urgent. *Ad* 1. patet ex 3. *except.* de bonis infeudari, vel emphyteuticari solitis dari ratio potest, quia non censentur hujusmodi esse in bonis ecclesiae, nisi eidem sint incorporata. *Ad* 2. ratio data est *in except.* 2. *Ad* 3. juramentum istud se extendit, imo comprehendit casus etiam illos, quibus alioquin licita et permissa fuit praelatis alienatio rerum ecclesiae: quod colligitur ex eo, quia verba juramenti debent aliquid operari: atqui parum, vel nihil operarentur, si eo non obstante, alienatio fieri posset in casu licito, non requisito consensu papae; sic enim non restringeretur, sed eadem maneret potestas praelatorum, quae jure antiquo fuit. Explicatio altera, etsi forte procedat in episcopis, non tamen procedere potest in abbatibus, aliisque regularibus, quibus ex decreto s. congr. card. trid. interp. ut *n.* 124. adnotavi, hodie necessaria ad alienationem rite faciendam ejusdem est sac. congreg. licentia.

§. V.

De effectu alienationis rerum ecclesiasticarum.

SUMMARIUM

129 130 131 *An valida sit alienatio facta ex justa causa, sed sine solemnitatibus juris?*
132 133 134 *An saltem valida sit in foro conscientiae.*
135 136 137 *An supervenientibus solemnitatibus, convalescat in foro externo?*
138 139 *An convalescat etiam pro tempore celebrati contractus?*
140 141 142 143 *An solemnitates servandae sint etiam, quando aliquid legatum ecclesiae est, ut alienare id possit, cum voluerit?*
144 145 *An servata solemnitate, alienari possit, quod relictum est ecclesiae ea conditione, ut nunquam alienetur?*
146 147 148 *An in dubio praesumatur intervenisse solemnitas?*
149 150 *Quod beneficium ecclesiae competat ratione alienationis illegitime factae?*
151 152 153 154 *An alienationem male factam revocare possit ipse praelatus male alienans?*
155 *Et quinam alii praeter istum?*
156 157 *An repetentis rem ecclesiae male alienatam opponi possit exceptio dominii?*
158 159 160 *An obstet praescriptio?*
161 162 *Quid restitui debeat ab eo, ad quem res alienata pervenit?*
163 164 *Quae poenae statutae sint praelatis, et aliis administratoribus male alienantibus?*
165 166 *Quae causae ab his excusent?*
167 168 169 170 *An, quando, et quomodo ecclesia adversus alienationem sit restituenda in integrum?*

Effectus alienationis alius est, quando facta est rite, et secundum juris praescriptum; alius quando non est facta rite. Si rite facta est, transfert dominium rei sic alienatae in eum, in quem alienata est. Si non rite facta est, dat locum revocationi, et poenae a jure male alienantibus positae. Quare tria §. *praesenti* examinanda veniunt. 1. valor alienationis. 2. ejus non rite factae revocatio. 3. male alienantium poenae.

129

Quaeritur 1. an valida sit alienatio rei ecclesiae immobilis, aut mobilis pretiosae, quae facta est ex justa causa, et in casu licito, sine interventu tamen solemnitatum juris? Procedit quaestio jure antiquo, et jure etiam novo in casibus, in quibus consensus pontificis ad alienationem non requiritur, vel in locis, ubi *extrav. ambitiosae* non est usu recepta. Sunt, qui putant, casu, quo aperte se

profert causa justa necessitatis, vel utilitatis in alienatione rei ecclesiasticae, nullam requiri solemnitatem. *Moventur* 1. quia ratio praescribendi dictas solemnitates unica fuit, ne ecclesiae damnum, aut praejudicium paterentur. Atqui hujusmodi damnum, vel praejudicium nullum timendum est, quando causa necessitatis, vel evidentis utilitatis intervenit; ergo etc. 2. ubi in aliquo actu, seu dispositione debet intercedere aliqua solemnitas, quae respiciat certum finem, habito fine, et effectu, propter quem introducitur solemnitas illa, licet revera non interveniat, nihilominus valet actus; atqui solemnitates in alienatione rerum ecclesiae adhibentur in hunc praecise finem, ut liqueat de causa alienationis, an justa illa sit: ergo quando dilucide de illa constat, alienatio etiam sine solemnitate facta valet. 3. a contractu qui invalidus, et nullus est, recedere libere contrahentium uterque potest; quia quod nullum est, nullum habet effectum: atqui contrahens cum ecclesia, licet ecclesia possit recedere a contractu, non tamen ipse potest ab eo recedere, si ecclesia illo stare velit, ut cum communi notat Fagnan. *in cap. nulli h. tit. n.* 46. ergo contractus non fuit omnino nullus, sed infirmus, et claudicans. 4. ut res alienata restituatur ecclesiae, necessaria est rescissio contractus, ut non obscure supponitur *can. apostolicos* 13. *et can. precariae* 44. *caus.* 12. *quest.* 2. atqui rescissioni locus non est, quando actus est ipso jure nullus; *arg. l. in causae* 16. *princ. et generaliter* 3. *ff. de minorib.* 5. Ecclesia gaudet jure minoris: atqui transactio, et actus a minore celebratus valet, si minor conditionem suam meliorem fecit; *l. cum hi* 8. §. *eam transactionem* 6. *ff. de transact.* ergo pariter valebit celebratus a praelato circa res ecclesiae ex justa causa necessitatis, vel majoris utilitatis.

130

Verum his non obstantibus, dicendum, hujusmodi alienationem, absque praescriptis a jure solemnitatibus celebratam, in foro saltem externo, ipso jure esse nullam, et irritam. Ita Covar. *l.* 2. *var. cap.* 17. *n.* 2. Suar. *tom.* 4. *de relig. l.* 2. *cap.* 77. *n.* 20. *et* 21. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 468. *n.* 15. Gilken. *in auth. hoc jus porrectum n.* 96. *C. de ss. eccl.* Bonacin. *de contract. D.* 3. *q.* 8. *p.* 4. *n.* 10. Gonz. *in cap.* 6. *h. tit. n.* 2. Vall. *hic* §. 3. *n.* 5. Honor. *n.* 19. Engl. *n.* 17. Pirh. *n.* 36. Scamb. *n.* 12. Vviest. *n.* 56. claris. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. cap.* 4. *n.* 106. et colligitur ex *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. *cap. irrita* 1. *cap. cum nos* 3. *et cap. tuae nuper* 8. *de his, quae a praelat. cap. siquis* 6. *h. tit. cap. dudum et cap. fin. eod. in* 6. *Clem. monasteriorum, et extrav. ambitiosae ibid.* quibus textibus alienationes contra praescriptum ss. canonum celebratae pronuntiantur omnino irritae. *Ratio est*, quia

solemnitates jure praescriptae pertinent ad formam alienationis rerum ecclesiae : atqui actus, non servata forma, quae dat esse rei, nullus, et pro infecto habetur : *reg. quae contra* 64. *in* 6. *et l. non dubium* 5. *C. de LL.*

131

Neque contrarium efficaciter suadent rationes allatae. *Ad* 1. ratio , ob quam introductae sunt solemnitates juris , et requisitae ad alienationem rerum ecclesiae, non fuit damnum , et praejudicium , quod haec , aut illa ecclesia in hoc, vel illo casu particulari patitur, sed universale periculum multarum damnificationum ecclesiis inferendarum : hoc autem periculum manet, etsi in uno , vel altero casu particulari ex alienatione, sine solemnitatibus debitis celebrata nullum damnum inferatur ecclesiae : igitur etiam ratio exigendi hujusmodi solemnitates manet. *Confirmari* hoc potest a pari cum matrimonio clandestino , quod tridentinum invalidum pronuntiavit ob periculum gravium incommodorum , quae ex ejusmodi matrimoniis clam initis timenda sunt: manet vero invalidum, etsi in particulari aliquo casu ejusmodi incommoda non forent timenda. *Ad* 2. finis , cur ss. canones requisiverint solemnitates, non tantum est, ut liqueat de causa alienationis, an justa sit , sed ut modo dixi , ecclesiarum securitas contra universale periculum damnificationum : quod cum nunquam cesset, nunquam alienatio sine solemnitate juris celebrata valebit. *Ad* 3. is, qui cum ecclesia sine solemnitatibus contrahit, si ecclesia stare velit contractu, resilire non permittitur in poenam fraudis quam intentasse praesumitur , ut notat Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 3. *n.* 6. *ad* 1. *Ad* 4. rescissio illa, de qua textus *cit.* non ad obligationem , et simile juris effectus , sed ad factum dumtaxat referri debet, ita , ut alienatio , quae de jure nulla est, de facto etiam revocetur , et res ecclesiae restituatur , ut cum Turrecr. *in can. cit.* notat Gonz. *in cap. quoties* 2. *de pact. n.* 1. *Ad* 5. distinguendum est inter casum , quo ecclesia non se alteri , sed alium sibi obligat , et inter casum , quo se etiam alii obligat. In primo casu procedit argumentum, in secundo non procedit etiam quoad pupillum, sed hic authoritate tutoris , ecclesia solemnitatibus a jure praescriptis indiget, quamvis si sine his celebratus sit actus , ecclesia secum contrahentem , si velit , obligare possit ad standum contractu.

132

Dub. 1. an alienatio rei immobilis, et mobilis pretiosae , sine solemnitate facta, sit irrita etiam in foro conscientiae interno ? Affirmant etiam in hoc foro irritam esse Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 3. *n.* 6. Matthaeucc. *offic. cur. eccl. cap.* 45. *n.*

20. Konig. *h. tit. n.* 30. clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. cap.* 4. *n.* 108. *et* 109. et alii apud istos satis probabiliter, qui proinde eum, qui bona ecclesiae a praelato etiam juste, v. g. emendo, sine solemnitatibus tamen a jure requisitis accepit, ad restitutionem tum eorum, tum fructuum inde perceptorum, imo etiam ad damna, si in mora restituendi fuit, compensanda obligant, etsi a nemine sit conventus. *Noventur* 1. quia *extrav. ambitiosae* Paulus II. dicit hujusmodi alienationem esse *omnino nullius roboris*, *vel momenti; et Clemen. monasteriorum* 1. *eod.* Clemens V. statuit, si aliter fiant alienationes, *ex concessione ipsius recipientis jus aliquod non acquiri*: acquireretur autem aliquod jus, si valeret in foro conscientiae: ergo etc. 2. regulariter, quod licitum, vel illicitum est in foro interno, est etiam licitum, vel illicitum, validum, vel invalidum in foro externo, et e converso. 3. in tali alienatione deest forma substantialis alienationis, ubi autem forma deficit, actus est ipso jure nullus, cum sine forma actus non subsistat. 4. in eadem deest potestas alienandi, quippe quae non aliter est praelato concessa, nisi adhibitis juris solemnitatibus. 5. effectus, et obligatio legis non cessat etsi finis et ratio legis in particulari cesset.

133

Sed probabilius talis alienatio, si causa justa subnixa sit, in foro conscientiae valet. Assentiuntur Abb. *in cap.* 1. *de in integr. restit. n.* 19. Sylv. *V. alienatio n.* 13. Navar.. *de alien. rer. eccl. n.* 17. *et in tr. de spol. cleric.* §. 2. *n.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 1. *q.* 8. *vers. secundum*, Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *cap.* 16. *n.* 9. *in fin.* Reginald. *prax. tom.* 2. *l.* 30. *tr.* 3. *cap.* 6. *sect.* 2. *n.* 69. *et* 70. Canis *hic n.* 13. Zoes. *n.* 17. Honor. *n.* 20. Pirh. *n.* 36. Schamb. *n.* 12. Vviest. *n.* 19. *Ratio est*, quia talis alienatio jure naturali est valida, cum habeat omnia substantialia, quae de hoc jure requiruntur ad valorem, videlicet mutuum consensum contrahentium, et justam alienandi causam: de jure positivo autem non constat, quod in foro animae sit irritata; imo necesse non fuit eandem irritari in isto foro, quod periculum damnificationum, quae ex hujusmodi alienationibus non solemnibus accidere possunt ecclesiis, sufficienter caveatur, modo irritae sint in foro externo. Quare is, qui ejusmodi rem ecclesiae a praelato, sine requisitis a jure solemnitatibus, ex justa tamen causa, sibi venditam, bona fide emit, retinere illam in conscientia poterit, donec alienationis nullitas declarata sit.

134

Neque contrarium efficaciter probant rationes a parte adversa allatae. *Ad* 1. etiam resignatio beneficii metu facta *cap. ad audientiam* 4. *de his, quae vi etc. et Clem.* 2. *de poenis* dicitur nullius

omnino esse firmitatis, et tamen, ut *lib.* 1. *tit.* 9. *de renuncial. n.* 4. dixi, mero jure valet, licet rescindi possit. Quare dicendum, dum *extrav. et Clem cit.* dicitur, quod alienatio solemnitatibus destituta nullius sit roboris, nec accipienti jus tribuat, solum innui eandem in foro externo pro invalida haberi. *Ad* 2. id verum est, quando forum externum non fundatur in praesumptione aliqua; nam quando in tali praesumptione fundatur forum externum, et secundum illam procedit praeter rei veritatem secreto cognitam, in foro conscientiae, si de veritate contraria constet, praesumptioni falsae praeferri veritas debet. *Ad* 3. solemnitates jure requisitae pertinent quidem ad formam substantialem alienationis spectatae secundum effectus juris positivi, et fori externi, non item secundum jus naturale, et forum internum conscientiae. *Ad* 4. potestas alienandi non deest praelato, saltem si capitulum sciat, et non contradicat, adeoque tacite consentiat in alienationem faciendam. *Ad* 5. id procedit in foro externo, et contentioso, non autem interno conscientiae; nam in hoc lex positiva fundata in praesumptione cessat, si constet de contraria veritate.

135

Dub. 2. an alienatio ob defectum solemnitatum nulla, si hae ex intervallo superveniant, convalescat? *Ratio dubitandi* sumitur a paritate cum pupillo; nam si pupillo contrahenti tutor consensum, seu authoritatem non statim in ipso negotio, sed ex intervallo duntaxat praestiterit, contractus manet invalidus; §. *tutor* 2. *instit. et l. obligari* 9. §. *tutor* 5. juncta gloss. *V. debet ff. de author tutor. Conf.* quia alienatio destituta solemnitatibus, ut dictum est *n.* 130. nulla est ob defectum formae, in iis autem, quae ob defectum formulae nulla, et irrita sunt, ratihabitio nihil operatur juxta Bald. *in l. observare* 4. §. *posthaec* 6. *ff. de offic. procons. q.* 14.

136

Sed his non obstantibus, respondendum est affirmative. Ita gloss. *in cap. cum nos* 3. *V. ratam de his, quae a praelat.* Host. *ibid. V. eodem Abb. n.* 3. Vivian. *in ration.* Barb. *in cap.* 1. *tit. eodem n.* 1. Vvagn. *ibid. in exeges.* Redoan. *de reb. eccles. non alien. rubr.* 30. *cas.* 6. *n.* 10. Sarmient. *de redit. eccl. p.* 1. *cap.* 3. *n.* 1. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 468. *n.* 6. Laym. *de reb. eccl. non alien. cap.* 2. *n.* 23. Pal. *tr.* 12. *D. un. part.* 15. §. 2. *n.* 10. Vincent. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 80. *n.* 10. Pirh. *tit. de his, quae a praelat. n.* 4. Engl. *hic n.* 20. Konig *n.* 22. Vvies. *n.* 89. Fundamentum assertio accipit 1. ex *cap. quoties* 2. *de pact.* ubi Gregorius I. statuit, conventiones, quae superioris consensum exigunt, etsi, hic omissus sit, modo ejusdem ratihabitio superveniat, solidari. 2. ex *cap.*

cum nos cit. ubi dicitur non tenere concessionem rei immobilis ab episcopo factam, non consentiente, vel reclamante conventu, nisi hic ejusmodi concessionem postmodum, sive ex intervallo ratam habuerit. 3. ex *ratione*; quia ratihabitio subsequens est instar mandati, et retrotrahitur ad tempus praecedentis alienationis, modo per illam utilitas ecclesiae procuretur; *reg. ratihabitionem* 10. *in* 6.

137

Ad rationem dubitandi imprimis authoritas superioris ecclesiastici circa alienationem rei ecclesiasticae non tam comparatur authoritati tutoris, quam decreto praetoris circa alienationem rei pupillaris, quod decretum ante, et post factum intervenire potest, ut bene notat Honor. *hic n.* 2. Deinde nec de pupilli contractu universim verum est, quod subsequente ratihabitione tutoris non convalescat; nam *l. obligari cit.* solum procedit casu, quo contractus tendit ad obligandum pupillum, si vero tendat ad obligandum alium in favorem pupilli, voluntas, seu consensus tutoris etiam postea potest accedere; *l. Julianus* 13. §. *si quis a pupillo* 29. *ff. de action. empt.* Denique inter alienationem praelati, et contractum pupilli est lata disparitas; pupillus enim, spectato jure civili, non censetur habere consensum in contractibus, nisi per consensum tutoris veluti informatus sit, et hoc ob defectum judicii, quo pupillus laborare praesumitur: igitur tutoris consensus, sive authoritas intervenire debet in ipso contractu, vel saltem paulo post, et antequam ad alia negotia fiat transitus. Aliud est in praelato; nam huic, ut rem ecclesiae immobilem alienare possit, necessarius est consensus capituli, et superioris, tanquam solemnitas: solemnitas autem, licet ex intervallo primum superveniat, perinde tamen vim suam habet in jure, ac si a principio in ipso alienationis actu intervenisset; Gaill. *l.* 1. *observ.* 47. *n.* 5. Gonz. *in cap.* 2. *de pact. n.* 13. Ex quo cadit, quod additum est in *confirmationem*, et patet in exemplis; nam ad alienationem rei immobilis alicujus minoris tanquam solemnitas pertinet decretum judicis, et ad alienationem feudi a vasallo consensus domini directi, et tamen si judicis decretum, et domini directi consensus ex intervallo superveniat, ratificabitur alienatio, ut docet Bartol. *in l. si quis* 25. §. *jussum ff. de acquir. haered. n.* 5. Bald. *in l. cum ipsa* 4. *C. de contrah. empt.* Vviest. *hic n.* 89.

138

Dub. 3. an alienatio, sine solemnitatibus facta, his supervenientibus, ita ratificetur, ut perinde habeatur, ac si nulla solemnitas defuisset, sed alienatio ab initio fuisset valida? Gloss. *cap.* 1. *V. tractatus h. tit. in* 6. Abb. *in cap.* 3. *de his, quae a praelat. n.* 5. Molin. *tract.* 2. *de just. D.* 468. *n.* 6. Konig *hic n.* 23. ex quorum

sententia ejusmodi alienatio, vel contractus validus quidem fit, sed non nisi a tempore, quo supervenit solemnitas, antea in contractu omissa, ob *reg.* 18. *in* 6. ubi Bonifacius VIII. *non firmatur*, inquit, *tractu temporis*, *quod de jure ab initio non subsistit*; *et reg.* 29. *ff.* ubi Paulus, *quod ab initio vitiosum est*, ait, *non potest tractu temporis convalescere.*

139

Sed distinguendum est inter actum, qui est jure etiam naturali invalidus, et inter illum, qui est invalidus solum jure positivo. *Actus jure naturali invalidus* secundum tempus, quo invaliditas illius duravit, manet invalidus, etiamsi postea accedat ratihabitio; nam haec solum eo casu se extendit ad tempus sequens; Suar. *t.* 4. *de relig. l.* 2. *cap.* 27. *n.* 20. Pirh. *de his*, *quae a praelat. n.* 5. et ratio est, quia impossibile est actum, qui ab initio fuit omni jure invalidus, sic convalescere, ut ab initio semper valuerit, nisi forte secundum fictionem juris. *At si invalidus* fuit jure positivo tantum, probabiliter per supervenientem postea solemnitatem, jure positivo requisitam, ita omnimode confirmari potest, ac si ab initio etiam jure positivo valuisset; quia ratihabitio retrotrahitur ad tempus celebrati contractus, vel actus, ut perinde sit, acsi solemnitates ab initio statim initi contractus fuissent positae: Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 80. *n.* 10.

Ex quo cadit argumentum sumptum ex *reg. jur. cit.* nam actus ejusmodi non convalescit per tractum temporis, sed per supervenientem consensum, et solemnitatem, quae omissa est, positam firmatur in foro externo, qui jam antea validus erat in foro interno.

140

Dub. 4. an solemnitates servandae sint etiam in alienatione legati, quod ea conditione ecclesiae a testatore relictum est, ut quoties illa voluerit, illud alienare, et in proprios usus convertere possit? Affirmant Armill. *V. alienatio quaest.* 19. Quaran. *V. eod. n.* 31. Riccius *prax. decis.* 67. Bonac. *D.* 3. *de contract. quaest.* 8. *p.* 4. *n.* 8. Monac. *form. legal. tit.* 5. *form.* 15. *n.* 19. *Moventur* 1. quia illa conditio est juri contraria; cons. tanquam turpis rejicienda, et habenda pro non apposita; 2. si ecclesiae relictum sit, quod retinere non potest, sub conditione, ut retineat, non est obligata retinere, sed potest illud alienare: ergo similiter relictum sub conditione, ut possit alienari non observata solemnitate, retineri debet, nec alienari non potest servata solemnitate.

141

Sed probabilius tali casu ad alienationem solemnitate ecclesia non habet opus. Ita Pal. *tract.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 14. Marc.

Ant. Maceratens. *l.* 1. *res.* 99. *et resol.* 112. *cas.* 44. Card. de Luca *de alien. disc.* 1. *n.* 128 *Ratio est* 1. quia quilibet potest opponere rei suae modum, et legem, quam vult. 2. Potuisset testator bona haec relinquere tertio, ut pecuniam ex illis distractis comparatam daret ecclesiae. Ergo potuit etiam directe permittere ecclesiae ipsi alienationem. 3. Ista alienatio censetur procedere ex potestate accepta a testatore. Igitur sicut ipse pro libitu alienare illa bona potuit, ita etiam ecclesia poterit.

142

Optime tamen conclusionem hanc limitat Vinc. Petra *tom.* 1. *com. fol.* 102. *n.* 46. ut solum procedat, quando talia bona nondum sunt incorporata ecclesiae; nam post incorporationem, ut alienari possint, solemnitate est opus, et ratio est, quia tunc considerantur ut bona ecclesiastica, et ut talia subjiciuntur *extravaganti ambitiosae cit.* et propterea conditio, quae eo casu alienationem, solemnitatibus non adhibitis, permitteret, foret rejicienda, tanquam adversa juri, et praebens ansam administratoribus defraudandi ecclesiam.

143

Hac limitatione posita, facilis est responsio ad argumenta contraria. *Ad* 1. negatur eam conditionem turpem, et juri contrariam esse: nam ss. canones solum prohibent alienare res ecclesiae, quae illius sunt absolute; secus illas, quae non sunt absolute ipsius, et nondum incorporatae. *Ad* 2. qui legat rem ecclesiae incapaci ejusdem retinendae sub conditione, ut retineat, manifeste ponit conditionem dispositioni ecclesiae contrariam, ac proinde turpem: qualem non ponit, qui rem eidem legat, ut alienet, si voluerit, ante incorporationem; quia solum impeditur alienare, quae ipsi absolute relinquuntur.

144

Dub. 3. quid dicendum de legato relicto ecclesiae sub conditione, ut nunquam alienetur, poteritne, servata solemnitate, alienari? Negant plures DD. relati a Dian. *p.* 10. *tract.* 16. *res.* 8. *et* 85. ea sic alienari posse, si ecclesia habeat alia bona, quibus potest utilitati, pietati, et necessitati consulere; quia tunc servari potest talis conditio, neque est contraria juri concedenti alienationem rerum ecclesiasticarum in casu utilitatis, necessitatis, vel pietatis. *Conf. ex novell.* 120. *cap.* 19. ubi *in princ.* imperator inquit, *res ecclesiae alienari posse pro captivorum redemptione, nisi sub ea conditione possessiones aliqui eis dederint, ut nullo modo has alienent:* ne igitur haec constitutio aliis juribus, concedentibus alienationem ex causa pietatis, utilitatis, necessitatis, contraria

sit, dicendum ea prohiberi alienationem, dum sunt alia bona, quibus satisfieri necessitati, utilitati, vel pietati possit, secus, cum non sunt. Ita isti satis probabiliter.

145

Sed probabilius est alienari posse tale legatum, tametsi ecclesia alia bona habeat, quae alienare possit; Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 2. *quaest.* 4. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. cap.* 30. *n.* 15 Pal. *tract.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 15. Dian. *resol.* 33. *cit.* Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 102. *n.* 47. *Ratio est*, quia testator, cum juri derogare non possit, non potest contrariam isti conditionem apponere, est autem contraria juri conditio, qua prohibetur ecclesia ex causa a jure approbata, et cum hujus solemnitatibus res a testatore acceptans alienare; nam eo casu jus alienationem permittit; ergo etc. Bene tamen hic notat laudatus Petra *n.* 48. stante tali prohibitione testatoris, in impetratione beneplaciti apostolici faciendam mentionem dictae prohibitionis; quia alias non censetur pontifex derogasse voluntati testatoris: et sic ob causam necessariam, ut non possit adiri papa, aliae res potius alienari debebunt, ut testatoris voluntas impleatur, quantum potest.

Ex quo solvitur argumentum contrarium. Ad textum *novell. cit.* dico, non posse hujusmodi legatum alienari pro captivis redimendis, si eo pacto donatum fuit, ut non alienetur, nisi captivi extremam, aut valde gravem patiantur necessitatem; id enim operatur conditio, ut non pro quacunque necessitate alienari legatum possit.

146

Dub. 6. an in dubio praesumantur intervenisse solemnitates in rei ecclesiasticae alienatione? Resp. cum distinctione: vel enim defectus solemnitatis in judicio allegatur ab adversa parte, vel secus. *Si hoc secundum*, praesumuntur omnia rite acta; Felin. *in cap. sicut* 16. *de sent. et re judic. n.* 28. Gaill. *l.* 2. *obs.* 71. *n.* 6. Cravetta *de antiq. temp. pr. p.* 3. *n.* 26. Vvies. *hic n.* 92. clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. cap.* 4. *n.* 110. *Si primum*, ea in dubio non praesumitur, sed regulariter probanda est; Abb. *in cap. ea noscitur* 6. *n.* 9. *de his*, *quae a praelat.* Gonz. *in cap.* 1. *eod. n.* 10. Pirh. *hic n.* 28. *et* 33. Vviest. *n.* 92. *cit.* P. Schmier *l. cit. Ratio est*, quia quod solemnitas extrinseca actui in eodem intervenerit, est aliquid facti, cons. non praesumitur, sed probari debet, vel saltem aliunde de eo constare.

147

Dixi, *probandam esse*, sc. per testes, vel instrumentum publicum notarii manu confectum, in quo asseratur eas intervenisse in

alienatione. Non est autem opus, spectato jure communi, ut de hoc speciale fiat instrumentum, sed sufficit, si mentio de adhibitis solemnitatibus fiat in ipso instrumento alienationis, modo hoc authoritate publica confectum sit, et mentio solemnitatis adhibitae in eo fiat non tantum narrative, sed assertive testando intervenisse; quia solum ea, quae dispositive continentur in instrumento publico, vera esse praesumuntur; Pirh. *n.* 28. Si per testes solemnitas adhibita probanda sit, admittuntur etiam capitulares, cons. domestici, et in causa propria: imo hi aliis praeferri debent, quia ad actus capitulares admittuntur soli, et alias regulare dogma est, in iis, quae melius nota censentur domesticis, quam extraneis, aptiores ad probationem faciendam esse domesticos. *Proceditque hoc*; sive probandum sit intercessisse solemnitates, sive quod non intercesserint; nam etiam si testantur non intercessisse, vel se unanimiter contradixisse, dum in capitulo facta est mentio alienationis, satis probant non esse legitime factam alienationem; Host. *n.* 2.

148

Addidi *regulariter probandum esse, quod intervenerint solemnitates*; nam aliquando probatione non est opus, sed sufficit praesumptio. Et 1. quidem, si intervenerit decretum judicis, et hunc falsis allegationibus circumventum non ostendatur; Durand. *specul. tit. de empt. et vendit.* §. 4. *n.* 5. Honor. *hic n.* 16. Vviest. *n.* 94. P. Schmier *n.* 111. 2. Si de praevio tractatu, et capituli consensu constet; tunc enim praesumptio est etiam intervenisse causam justam, nisi contrarium ostendatur; Vviest. *n.* 95. 3. Si a die alienationis tempus longum, aut longissimum lapsum est; nam si interea nunquam fuit impugnata, omnia cum requisitis solemnitatibus, legitime acta praesumuntur, ex generali regula, quod solemnitates intrinsecae, quae ad contractum sunt necessariae, ex temporis diuturnitate praesumantur, si ex parte ejus, cui praesumptio favet, possessio sciente, et patiente parte adversa detur; Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *n.* 4. Barbos. *alleg.* 95. *n.* 72. Pal. *tract.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 13. Circa tempus, quod ad ejusmodi praesumptionem sufficit, et requiritur, variant DD. Optime sentiunt, qui cum Menoch. Laym. Pirh. determinationem relinquunt arbitrio judicis, prout illa relinquitur in aliis, ubi leges nihil definiunt.

149

Quaeritur 2. quod beneficium ecclesiae competat ratione alienationis illegitime, i. e. sine justa causa, et solemnitatibus juris factae? Resp. Duae ipsi actiones competunt: una personalis adversus praelatum, vel administratorem, qui rem ejus male alienavit, ut damnum ejusmodi alienatione sibi illatum ex proprio, si aliquod

habet, patrimonio resarciat; *can. monemus* 18. *caus.* 12. *quaest.* 2. *et cap. ex praesentium* 3. *de pignor.* Altera realis adversus possessorem rei alienae, ut restituat rem male alienatam: et merito; cum enim alienatio rei ecclesiasticae, sine justa causa, vel canonica solemnitate facta, sit ipso jure irrita, per eam dominium rei in accipientem non censetur translatum: et si etiam translatum esset, ecclesiae favore revocationi obnoxium foret, quod ita acceptum est; *can. et si illi* 39. *caus.* 12. *quaest.* 2. *et cap. episcopi* 4. *h. tit.*

150

Ex his autem duabus actionibus in electione ecclesiae laesae, vel praelati successoris est, utram ex illis intentare velit, ut recte advertit gloss. *in cap. praesentium cit. V. necessitate in fin.* et colligitur *arg. l. fin. C. si tut. vel curat. interven.* ubi id permittitur, minori, et pupillo adversus curatorem, et tutorem. *Proceditque hoc*, etsi actionem jam intentarit adversus unum eorum; nam conveniendo unum, non sibi praejudicat, quo minus convenire valeat alterum, cum silentium ei imponat sola solutio. *Excipitur*, si contra unum v. g. possessorem obtinuit, et rem alienatam recuperavit; tunc enim alter, sive alienans conveniri non amplius potest, cum *bona fides non patiatur, ut idem bis exigatur*, ut habet *reg.* 57. *ff.* non tamen prohibetur adversus eundem agere ad poenam, et satisfactionem pro injuria, ut recte advertit gloss. *in canon. monemus cit. V. reddere.*

151

Dub. 1. a quo rei male alienatae revocatio ecclesiae nomine fieri possit? *Certum est*, fieri posse a superiore alienantis. An vero ab ipso alienante, major est difficultas; nam multiplex in contrarium pugnat ratio, 1. Si praelatus alienationem a se male factam revocare vellet, deberet retractare suum proprium factum, tanquam contra ss. canones gestum. Atqui factum proprium impugnare, eique contravenire nemini licet; *arg. l. post mortem* 25. *ff. de adoption.* 2. In judicio propriam turpitudinem allegans non auditur; *cap. inter dilectos* 8. *de donation.* allegaret autem turpitudinem suam praelatus, si rem ecclesiae, male a se alienatam, revocare vellet; ergo etc. 3. Praelati, saltem inferiores episcopis, et ceteri rerum ecclesiasticarum administratores, si bona ecclesiae immobilia, vel mobilia pretiosa perperam alienent, ipso jure, et facto privantur suis dignitatibus, officiis, et administrationibus; *extrav. ambitiosae vers. inferiores h. tit. int. comm.* igitur etsi repetere alienata vellent, non tamen possent, cum illis obstet defectus potestatis, sive administrationis.

152

Sed retinenda est receptissima apud DD. sententia, quae cum Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *n.* 4. Canis. *in cap.* 5. *h. cit. n.* 12. Vall. *hic* §. 1. *n.* 6. Zoes. *n.* 2. Engl. *n.* 17. Schamb. *n.* 17. Konig. *n.* 29. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. cap.* 4. *n.* 12. docet alienationem perperam factam etiam ab ipso praelato, qui eam fecit, revocari posse. Clarus est juris nostri textus; *cap. siquis* 6. *h. tit.* ibi, *nisi forte et alienator, et qui acceperit celeri restitutione sibi prospexerint: quodsi minori animae suae cura remedium* (restitutionis, et repetitionis) *neglexerint etc.*

*Procedit*que *hoc* 1. etsi publicum instrumentum super ejusmodi alienatione erectum esset; quia quando alienatio non valet, nec instrumentum super illa confectum valet; gloss. *in cap. siquis cit. in not.*

Procedit 2. etiamsi superior alienationem illegitime factam postea confirmarit; quia cum haec sit solum confirmatio in forma communi, nullum valorem de novo tribuere potest actui ipso jure invalido; *cap. siquis* 1. *et tot. tit. de conf. util. et inut.*

153

Procedit 3. etsi alienans jurasset, se rem, quae illegitime alienata est, non repeturum; cum enim juramentum hoc contendat contra utilitatem ecclesiae, illicitum est, et cons. vim obligandi non habet; *cap. pervenit* 2. *de jurejur. Neque obstat*, quod *cap. cit.* episcopus, qui hujusmodi juramentum praestitit, authoritate apostolica ab illo absolutus fuerit, et absolutio alias obligationem supponat; quia, ut recte gloss. *fin. ibid.* absolutio illa non fuit dissolutiva vinculi, sed nullitatis solum declaratoria, quam praemitti honestius fuit ad evitandum scandalum, ne videatur praelatus alienationem revocans agere contra juramentum suum. *Minus obstat* argumentum ductum a paritate cum eo, qui usurario juravit, se soluturum usuras, quem constat juramento suo obligari, nec contravenire eidem posse, nisi id relaxetur; nam juramentum solvendi usuras de re licita, juramentum non repetendi perperam alienata de se illicita est, cons. prius validum, posterius invalidum.

154

Ad argumenta contraria facilis est responsio. *Ad* 1. regula illa, ut recte Zoes. *hic n.* 4. Engl. *n.* 17. Konig. *n.* 29. advertunt, triplicem admitti exceptionem. 1. Nisi actus male gestus sit ipso jure nullus. 2. Nisi agatur de favore, et jure publico, praesertim ecclesiae. 3. Nisi actus non proprio, sed alieno nomine gestus sit: quae exceptiones omnes locum in casu quaestionis inveniunt. *Ad* 2. etiam ista regula, quae turpitudinem propriam alleganti audientiam in judicio denegat, triplici exceptione, quarum quaelibet in casu prae-

senti locum habet, est limitanda, videlicet 1. nisi agatur de favore publico, praesertim ecclesiae. 2. Nisi vertatur periculum animae. 3. Nisi exceptio allegantis turpitudinem suam notorie elidat jus agentis. *Ad.* 3. imprimis *extrav. ambitiosae*, ut *n.* 122. dixi, quoad poenas, vel saltem earum rigorem in paucis locis est usu recepta. Deinde esto, male alienantes dignitatibus, officiis, et administrationibus suis ipso jure excidant, quamdiu tamen adhuc in administratione tolerantur, sicut alia ad officium pertinentia, ita etiam alienationes a se perperam factas revocare, et male alienata repetere poterunt.

155

Dub. 2. an casu, quo superior, vel ipse alienans res illegitime alienatas non repetat, alienationem revocare possint alii, et quinam? Resp. Affirmative; nam 1. revocare eam potest successor; *cap. episcopi* 4. *et cap. ad audientiam* 9. *h. tit.* neque enim improbum antecessoris factum successor ratihabere obstringitur. 2. Capitulum non solum sede vacante, sed etiam plena, *cap. siquis* 6. *h. tit.* et quidem si capitulum in alienationem non consenserit, consultius est, ut potius capitulum repetat, quam praelatus, quppe qui vix citra notam potest repetere; P. Pirh. *hic n.* 67. *in fin.* 3. his deficientibus, alienata repetere, et alienationem revocare quilibet de clero potest, *cap. siquis cit. in fin.* si sint ejusdem ecclesiae; nam horum peculiariter interest. 4. Si nemo ex relatis curam alienata repetendi in se suscipiat, ad repetenda illa, et alienationem revocandam admittuntur etiam laici parochiani ob interesse, quod habent, ne ecclesia parochialis illorum ad inopiam vergat; gloss. *fin. in cap.* 6. *h. tit.* 5. prae aliis laicis revocare alienationem illegitime factam possunt patroni, tum ob onus defendendi ecclesiam, quod ex jure patronatus iisdem incumbit, tum quia illorum interest, ne ecclesia patronatui subjecta depauperetur. 6. prae patronis aliis laicis repetere male alienata potest princeps territorii, si ad hunc finem privilegio munitus sit: quali munita est serenissima domus Bavarica per concordata inter eandem, et dioecesium ordinarios inita 1584. *art.* 1. §. manu die praelaten, vi quorum a praelatis, et aliis inferiorum ecclesiarum administratoribus, si in illarum rebus temporalibus male versentur, vel de eo suspecti sint, administrationis rationem possunt exigere. 7. denique in praedictorum omnium defectu agere contra alienationem perperam factam possunt etiam extranei, non tantum clerici, sed etiam laici; quia jus publicum consistit in sacris, et in sacerdotibus; *can. jus publicum* 11. *dist.* 1. ubi autem agitur de jure publico, quilibet ad agendum admittitur, ut notat gloss. *in can. cit. V. eodem.*

156

Dub. 3. an repetenti rem ecclesiae male alienatam opponi possit exceptio dominii, sive quod ecclesia non sit rei alienatae domina? Resp. distinguendo, an pro rei male alienatae restitutione instituatur possessorium, an petitorium, et rei vindicatio. *Si primum*, exceptio dominii eidem opponi nequit; sed sufficit probare, illam fuisse in bonis ecclesiae, sive ab ista possessam, et contra praescripta ss. canonum alienatam, prout sumitur ex *can. et si illi* 39. *caus.* 12. *q.* 2. *et cap. episcopi* 4. *h. tit. ibi, successor episcopus absque aliqua oppositione ad jus ecclesiae revocabit. Si secundum*, exceptio dominii opponi repetenti potest; nam rem vindicanti incumbit probare dominium; *l. in rem* 23. *princ. ff. de R. V.* neque sufficit, quod ostenderit, eam fuisse in bonis ecclesiae, et ab ea possessam; *l. is qui ff. eod.*

157

Et hinc ne exceptio ista opponi, et restitutio petita eludi possit, utilius erit, si rem male alienatam repetens agat remedio recuperandae *unde vi*; hac enim ratione restitutio fieri debebit, etiam non probato dominio. *Neque obest*, quod hoc interdicto agens praeter possessionem probare debeat etiam spoliationem per textum *cap. consultationis* 10. *ibi, possessionem, et dejectionem.* Nam spoliatio sufficienter probatur, si probetur rem ecclesiae sine justa causa, aut juris solemnitatibus a praelato alienatam fuisse; hoc ipso enim is, in quem ejusmodi alienatione translata res ecclesiae est, spoliator censetur, ut possessorio recuperandae conveniri possit; Berojus *in c. episcopi cit.* §. *et ideo*, Redoan. *de reb. eccl. non alien. q.* 22. §. *sed deinde n.* 8. Vviest. *hic n.* 136.

158

Dub. 4. an repetentibus res ecclesiae male alienatas obstet praescriptio? Certum est non obstare, si emptor, vel alius, in quem ejusmodi res ab ecclesia translatae sunt, scivit eas esse ecclesiae, et distrahi sine justa causa, ac solemnitatibus a jure requisitis; quia talis in mala fide est, cum qua nullo unquam tempore praescribi potest; *cap. vigilanti* 5. *et cap. fin. de praescript. cap. possessor.* 2. *de R. J. in* 6.

Major difficultas est de bonae fidei possessore. Videtur enim, quod neque iste opponere praescriptionem possit. 1. propter authoritatem summorum pont. Gregorii X. et Palii IV. quorum prior *cap. hoc consultissimo* 2. *h. tit. in* 6. alienationibus rerum ecclesiasticarum male factis omnes vires adimit, ita, *ut nec jus aliquod tribuant, nec praescribendi etiam causam parent.* Posterior *constitutione*, quae

incipit *injunctum edita idibus julii* 1555. absolute negat exceptionem praescriptionis earundem repetitioni opponi posse. 2. ob paritatem rei ecclesiasticae cum pupillari ; nam ecclesia , ut saepe dictum , jure minorum, et pupillorum gaudet. Atqui res pupilli pro tota aetate , qua adhuc pupillus est, praescribi nequeunt; *l. sicut* 3. *vers. quae ergo C. de praescript.* 30. *vel* 40. *ann.* 3. ex ratione ; quia praescriptio est quaedam alienatio, cum dominium transferat. Igitur prohibitus alienare etiam praescriptionem pati non potest.

159

Sed dicendum , res ecclesiarum male alienatas a possessoribus bonae fidei (qualis erit emptor falso persuasus in hujusmodi alienatione intervenisse causam justam, et reliquas juris solemnitates) 40. annorum lapsu praescribi posse : adeoque repetenti rem male alienatam a bonae fidei possessore ostabit praescriptionis exceptio. Ita Abb. *in cap. ex transmissa* 10. *de praescript. n.* 8. Covar. *reg. possessor p.* 2. §. 2. *n.* 3. Ricc. *prax. aur. p.* 1. *res.* 32. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 6. *n.* 25. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 10. *n.* 8. Barb. *l.* 3. *jur. eccl. cap.* 28. *n.* 16. Zoes. *hic n.* 21. Vall. §. 3. *n.* 4. Engl. *n.* 22. Vviest. *n.* 39. et hoc teste communis interpp. et DD. Ratio est, quia excepta romana, et aliis, quae privilegium speciale habent , res inferiorum ecclesiarum a bonae fidei possessoribus 40. annis cum titulo praescribi generaliter permittuntur, ut patet ex juris utriusque textibus, et iis, quae dicta sunt *lib.* 2. *tit.* 26. *n.* 34. *et* 101. *de seq.* igitur ab hujusmodi bonae fidei possessoribus intra idem tempus cum titulo praescribi etiam poterunt res ecclesiarum non exceptarum male alienatae.

160

Neque obstant argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. constitutio Pauli IV. *cit.* ut refert Piasec. *prax. episc. p.* 2. *c.* 5. *art.* 4. *n.* 17. ab ejus successore Pio IV. *constit.* incipit *provida* edita 3. *idus sept.* 1560. ad terminos juris communis est revocata; cons. non amplius impedit praescriptionem, cum istam non prohibeat jus commune. Gregorius X. *cap. consultissimo cit.* loquitur de casu speciali, quo ecclesiarum praelati, et rectores ecclesias, earumque bona immobilia, seu jura laicis submittunt , eosque ecclesiarum , rerumque et jurium patronos, advocatos, et defensores constituunt, et tanquam dominos, ac superiores recognoscunt : quae submissio cum non solum alienatio, sed servitus quaedam ecclesiae sit, eamque oppressioni laicorum, et libertatis ecclesiasticae subversioni obnoxiam reddat , merito prohibetur, ut nec praescriptionis adminiculo fulciri possit. *Ad* 2. ex paritate cum pupillo solum sequitur , quod sicut pupillari aetate durante contra pupillum, ita tempore , quo praela-

tus, vel alius administrator male alienans vivit, vel ab administratione remotus non est, praescriptio non incipiat, prout dictum est *lib.* 2. *tit.* 26. *n.* 132. *vers. procedit* 2. et merito; tunc enim legitimo defensore caret, qui res male alienatas repetere possit, aut facile velit. *Ad* 3. praescriptio vim alienationis canonicae, quae sub forma a jure praescripta celebrata est, habet: cons. non prohibita, sed a jure est approbata.

161

Dub. 5. quid restitui debeat ab eo, ad quem res alienata pervenit? Resp. distinguendo inter possessorem bonae, et male fidei. *Bonae fidei possessor* rem restituere debet cum fructibus extantibus, et consumptis post litis contestationem; *l. certum* 22. *C. de R. V.* agere tamen contra praelatum illegitime alienantem potest ad recuperandum pretium; vel si iste de propriis bonis solvendo non sit, illud repetere ei licebit ab ipsamet ecclesia, saltem quatenus facta est locupletior; quia aequitas non patitur aliquem cum alterius damno locupletiorem fieri; *l. nam hoc* 14. *ff. de condict. indebit.* Abb. *in cap.* 6. *h. tit. n.* 13. Sylv. *V. alienat o n.* 14. Molin. *tr.* 2. *de just. D.* 468. *n.* 16. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 10. *n.* 4. Matthaeucc. *offic. cur. eccl. cap.* 45. *n.* 21. Canis. *in cap.* 5 *h. tit. n.* 12. *fin.* Vall. *hic* §. 1. *n.* 6. Honor. *n.* 32. Zoes. *n.* 8. Pirh. *n.* 70. Engl. *n.* 21. Konig *n.* 31. Viest. *n.* 142.

162

At *malae fidei possessor* iniquioris est conditionis; nam 1. praeter rem restituere tenetur ecclesiae fructus omnes, etiam quos ante litem contestatam ad eum pervenisse probatur; *l. si fundum* 17. *C. de R. V.* Matthaeucc. Engl. *supra cit.* 2. perdit meliorationes in re male alienata factas; *can. non liceat* 20. *caus.* 12. *q.* 2. *l. jubemus* 14. §. *sane* 1. *C. de ss. eccl.* Abb. *in cap.* 6. *cit.n.* 6. 3. in poenam amittit pretium; illudque ecclesiae laesae acquiritur; §. *sane cit. et auth. qui res C. de ss. eccl. Excipitur,* si in contractu sibi prospexisset de evictione contra male alienantem; tunc enim pro pretio ab ipso recuperando agere contra eundem potest; *l. si fundum* 27. *C. de eviction.* Vall. *loc. cit.* cum reliquis supra.

163

Quaeritur 3. quae poenae statutae sint praelatis, et aliis administratoribus male alienantibus res ecclesiae, vel monasterii sui? Resp. hic distinguendum esse inter jus antiquum, et novum.

Jure antiquo, si alienatio rei ecclesiasticae contra canones facta est, sequentes statutae poenae sunt. 1. tam alienator, quam is, in quem alienatio facta est, ipso facto incurrebant excommunicationem; *can. apostolicos* 13. *vers. quisquis caus.* 12. *q.* 2. et extendebatur ex-

communicatio haec etiam ad eos, qui alienationi hujusmodi subscripsere, si suo nomine id fecerunt; nam ita subscribens consentire censetur, et ejusdem criminis, ac poenae se reddit consortem; *l. jubemus* 14. §. *oeconomus* 2. *C. de ss. eccl. ibi fieri passus*, ubi gloss. *V. imo ait*, quod *agentes, et consentientes pari tenentur poena, quia pariter deliquerunt.* 2. Si praelatus, vel rector ecclesiae illegitime alienans in revocando alienationem fuisset contumax, etiam a praelatura deponi, et ab officio removeri jubebatur; *can. monemus* 48. junct. glos. *in casu, can. quisquis* 19. *vers. quodsi calliditate*, *can. diaconi* 35. *et ibi glos. in casu caus*: 12. *q.* 2. glos. *in c.* 6. *h. t. V. poenam* 3. Si alienator fuisset religiosus, monasterio, prioratui, ecclesiae, vel administrationi praepositus, et horum jura, reditus possessiones alicui ad vitam, vel quodcunque longum tempus contra sanctiones canonicas concessit, ex decreto conc. Vienn. relato *clem.* 1. *h. t.* poenam suspensionis ab officio ipso facto incurrebat.

164

Hodie per *extrav. ambitiosae h. t. int. comm.* circa male alienantes sequentia sunt constituta. 1. Alienatio extra casus ibi exceptos, inconsulto pont. facta, nullius omnino est roboris, et momenti, h. e. ipso jure irrita, ita, ut ejusmodi res, et bona sic alienata, ad suas ecclesias libere debeant reverti. 2. tam alienans, si sit episcopo, et abbate inferior, quam is qui ejusmodi res male alienatas receperit, incurrunt excommunicationem, quae latae sententiae est, teste Matth. *offic. cur. eccl. c.* 45. *n.* 1. *vers. quinto statuit*; et reservata summo pontifici, non quidem ex *const. extrav. cit.* sed ex trid. *ses.* 22. *c.* 11. *de ref.* ut cum aliis notat Gibal. *to.* 2. *de neg. l.* 4. *c.* 8. *art.* 4. *consect.* 14. *vers. observa* Matth. *l. cit. n.* 19. Monacell. *form. legal. t.* 14. *form.* 4. *n.* 9. *et* 10. et hoc teste est pluries decisum *a S. congr. conc.* 3. Episcopi, et abbates, si contra istius constitutionis tenorem bona ecclesiarum, vel monasteriorum suorum alienaverint, ipso jure interdicti sunt ingressu ecclesiae: et si sub hoc interdicto sex mensibus perseveraverint, ipso facto ab administratione, et regimine ecclesiarum, et monasteriorum suorum suspensi pronuntiantur 4. denique inferiores praelati, commendatarii, et ecclesiarum rectores, beneficiati, et alii administratores, ultra excommunicationem, de qua supra, ipso facto sunt privati beneficiis, et officiis, quorum res, et bona alienarunt, ita, ut illa absque ulla declaratione vacare censeantur. Quas poenas omnes confirmavit S. cong. conc. decreto, jussu Urbani VIII. edito, extenditque dispositionem hujus *extrav.* etiam ad regulares, cum derogatione privilegiorum his concessorum.

165

Dub. 1. quae causae ab his poenis excusent? Resp. 1. excusat *consuetudo locorum*, si videlicet alicubi constitutiones istae non sunt usu receptae, vel non usu abrogatae; Engl. *hic n.* 18. Vvies. *n.* 147.

2. *Actus imperfectio*, si alienans alienationem sine solemnitatibus a jure praescriptis solum attentaverit, aut factam poenitentia ductus ante realem, et pacificam traditionem bonorum revocaverit; quia poenae, et maxime censurae in facientes latae non incurruntur, nisi secutus sit effectus sub illis prohibitus, ut communiter advertunt DD. et colligitur ex *c. perpetuo* 7. *de elect. in* 6. ubi privatio potestatis eligendi non incurritur sola collatione suffragii in indignum, etiam scienter facta, nisi ex ejusmodi suffragiis communis electio indigni sequatur.

3. *Bona fides* alienantis, vel recipientis hujusmodi bona alienata, quod videlicet nesciverint ea pertinere ad ecclesiam, vel monasterium, prout colligitur ex verbis *extrav. cit.* ibi *quicunque alienare praesumpserint*; praesumptio enim denotat dolum, scientiam, et temeritatem; Tamb. *to.* 3. *de jur. abb. D.* 13. *q.* 12. *n.* 11. Gibal. *to.* 2. *de neg. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *consect.* 14. *vers. observa*, Pirh. *hic n.* 56. Vvies. *n.* 151.

166

4. *Ignorantia probabilis*, qua alienans, vel recipiens nescivit talium rerum alienationem esse prohibitam; quia in hujusmodi ignorantibus praesumptio deficit. Extendunt istud non pauci etiam ad eum, qui scivit quidem alienationem esse prohibitam, nescivit autem poenas juris sanctas, ex ratione, quia hujusmodi poenae medicinales a jure specialiter introductae sunt, ut sui horrore absterreant a contumacia, inobedientia, et contemptu potestatis ecclesiasticae: non potest autem ecclesiasticae potestatis contemptor dici, qui comminationem censurae probabiliter ignoravit: ergo etc.

5. Denique ab iisdem poenis excusantur illi omnes, qui alienatione rerum ecclesiasticarum quacunque ex causa gravi peccato excusantur, quia poenae istae sunt valde graves, ac propterea peccato veniali non commensuratae; Quar. *V. alien. n.* 50. Gibal. *l. cit.*

167

Dub. 2. an, et quando ecclesiae laesae ob alienationem rei ecclesiasticae male factam competat beneficium restitutionis in integrum? Resp. distinguendo, an alienatio sit nulla, an vero teneat. *Si primum* restitutione non indiget; quia habet remedium nullitatis. *Si secundum* et ecclesia graviter laesa sit, petere restitutionem in integrum potest; *c. ad nostram* 11. *h. t.*

Petere autem hanc debet intra quadriennium; nam hoc elapso, illa non amplius locum habet; *c.* 1. *de in integr. rest. in* 6. *Excipitur* 1. nisi laesio sit valde enormis; tunc enim etiam post quadriennium succurritur ecclesiae per restitutionem in integrum, praesertim si praelatus, qui alienavit, mortuus sit; Abb. *in c.* 11. *dit. n.* 5. Zoes *n.* 22. Pirh. *n.* 74.

168

Si reus sit laicus, ecclesia restitutionem in integrum petere potest non tantum coram judice laico, sed etiam coram ecclesiastico, ut patet ex *c. cit.* proinde hic casus est specialis, quo actor non sequitur forum rei, sed trahit reum ad suum forum. *Ratio est*, quia in tali alienatione supponitur quaedam deceptio, saltem materialis, et reipsa intervenisse, ideoque late loquendo potest dici quoddam sacrilegium, quod ad ecclesiasticum forum pertinet. *Excipitur*, si bona sint feudalia; tunc enim restitutio in integrum peti debet coram domino feudi.

169

Porro restitutio haec fieri debet, ut inde damnum non patiatur is, contra quem petitur restitutio si hic bonae fidei fuit. Et hinc 1. si ille quippiam in utilitatem ecclesiae expendit, e. g. pretium pro re ecclesiae alienata sibi vendita, potest illud repetere. 2. similiter potest repetere melioriationes, si quas industria sua, et impensis fecit in re ecclesiae sibi alienata. 3. potest item postulare mercedem laboris sui, et industriae collocatae in rem alienatam, et sibi traditam. *Excipitur*, nisi ex perceptis fructibus compensationem pretii, expensarum, laboris jam perceperit.

170

Sumuntur haec omnia ex *c. ad nostram cit. c. requisivit* 1. *de in integr. rest. et l. quodsi* 24. §. *restitutio* 4. *ff. de minor* ubi dicitur quod *restitutio ita facienda sit ut unusquisque in integrum jus suum recipiat*: adeoque, cum aliquis restituitur, omnia debent restitui in pristinum statum, ut neutra pars sit in damno, vel in lucro, ut notat glos. *in c. ad nostram cit. V. sufficere.*

INDEX

RERUM ET VERBORUM

A

Abbas
An teneatur ad residentiam, pag. 67 *et seq.*
Abbatissae
An instituere valeant praesentatos ad beneficia, 310.
Alienatio *vid.* Res ecclesiae.
Archiepiscopus
Debet in provincia sua residere, 67 *et seq.*
Potest conferre beneficia, 140.
Quam potestatem uniendi beneficia habeat, 198.

B

Beneficiarius *vid.* Praebenda
Beneficium ecclesiasticum.
Quid sit pensio, 407.
An pensio sit beneficium, vel saltem nomine beneficii veniat, 408. 409.
Quis imponere pensiones beneficiis possit, 409 ad 412.
Quid requiratur ut pensio beneficio imponi possit, 412 ad 415.
In quibus beneficiis, in quibus istorum fructibus, quando et qua forma pensio constitui possit, 416. 417.
Quisnam obtinere pensionem ex beneficio ecclesiastico possit, 417 ad 420.
Quaenam sit obligatio beneficiarii, in cujus beneficio constituta est pensio ecclesiastica, et pensionarii obtinentis hujusmodi pensionem, 420. 421.
Utrum successor in beneficio pensione onerato teneatur solvere etiam pensiones, quas beneficiarius cedens, aut mortuus praeteritis annis non solverat, 421. 422.
Utrum beneficiarius pensionem beneficio suo impositam redimere, h. e. aliquid dare possit ut obligatio pensionis per hoc extinguatur, 423. 424.
An et qua ratione pensio ab una persona transferri in aliam possit, 424. 425.
Quibus modis pensiones extinguantur, 425 ad 427.
Quid circa reservationem fructuum beneficialium sit jure cautum, 427. 428.
Quibus casibus episcopus reditus beneficii vacantis vel partem eorum possit reservare, 428. 429.

An episcopus ex juxta causa vacantium beneficiorum fructus, aut istorum partem aliquam cum capituli consensu possit reservare, applicandam suae vel capitulari mensae, 429. 430.
Quando episcopus numerum praebendarum diminuere, aut beneficia ecclesiastica omnino extinguere possit, 430. 431.

C

Canonicatus.
Ad quem spectet ejus collatio, 143. 144.
Canonici
An habeant collationem beneficiorum, 141.
An obligentur ad residentiam, 67 *et seq.*
An ut percipiant distributiones quotidianas teneantur cantare in choro, 103.
Capellania
An sit beneficium, 122. 123.
Capitulum
Quid sit, 390.
Quotuplex sit, 390.
Quinam pertineant ad capitulum, 390. 391.
An canonici in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, et omnes religiosi in monasteriis ad capitulum pertineant, 391.392.
An casu quo in aliqua ecclesia, statuto, vel consuetudine receptum est, ut qui vocem in capitulo habent sint aetatis 24 annorum, admissionem ad illud petere possit, qui annum vigesimum quartum nondum impleverit, 392 ad 394.
Quid notandum in convocatione capituli, et quis debeat convocare capitulum, 394.
Quando convocari, et quo loco convenire capitulares debeant, 395.
Utrum ad actus capitulares, v. g. ad tractandum de rei immobilis alienatione convocari, et convenire debeant omnes capitulares, 395. 396.
Quam necessaria sit eorum, qui capitulo interesse possunt, praesentia, 396. 397.
An casu, quo statutum extat, quo ad pertractanda saltem graviora ecclesiae negotia capitulares omnes in loco praesentes vocari jubentur cum clausula, quod aliter tractata, decretaque sint habenda pro nullis, si deinde contra illud statutum aliqui, vel aliquis ex capitularibus non vocentur, tractata, et decreta a ceteris adhuc sint valida, 397.
Qualis, et quot canonicorum consensus debeat esse ut sit legitimus, 397 ad 400.
An ut censeatur major pars capituli consensisse sufficiat si ex 15 capitularibus consentiant octo vel ex 43 viginti duo, 400. 401.
An si capitularium vota sint paria atque ex 20. e. g. decem consentiant in alienationem, decem dissentiant, praelatus suo consensu majorem par-

tem possit efficere, 401. 402.
An connumerari etiam debeant ii, qui contempti sunt, seu non vocati cum vocari ad capitularem actum debuissent, et comode potuissent, 402.
Quae sit vis majoris partis in actibus capitularibus, 402. 403.
Quando pars minor contradicere decreto partis majoris possit, 403.
Quomodo contradicere pars minor debeat, quod id quod a majore decretum est, in damnum collegii, vel ipsius contradicentis aut alterius tertii tendat, 403.
An contradicens appellare etiam ad superiorem possit, 403. 404.
An casu, quo appellari a contradicente potest necesse sit appellare, 404.
An major pars capituli decernere aliquid in prejudicium partis minoris valeat, 404. 405.
Sede episcopali vacante quam potestatem dispensandi in pluralitate beneficiorum capitulum habeat, 183.
Eadem sede cavante an et qualem potestatem beneficia uniendi habeat, 196. 197.
An eadem sedis vacatione possit conferre beneficia, 141.
An potestas instituendi transeat ad capitulum sede episcopali vacante, 308.
Vid. Sedes vacans, Res ecclesiae, Clericus, Praebenda.
Cardinalis
Quae beneficia conferre possit, et quo jure, 140. 141.
Charitas christiana
An et quando excuset beneficiarium a residentia, 87.
Choabitatio clericorum cum mulieribus, *vid.* Clericus
Clericus.
In quo consistat rectitudo intentionis, 3.
Qualis debeat esse intentio promovendi ad beneficium parochiale, 3. 4.
An necessarium sit ut intentio suscipiendi sacerdotium sit constans, 4.
An promovendus ad beneficium parochiale debeat etiam habere animum illud perpetuo retinendi, 4. 5.
An qui parrochiale beneficium sine sacerdotii intra annum recipiendi intentione acceptat, fructus ex illo provenientes et perceptos restituere debeat ante sententiam, 5.
An supradicta intentio recipiendi sacerdotium adesse debeat etiam in receptione dignitatum quibus animarum cura connexa est, ita ut si aliquam ex his recipias non intendens promoveri, tenearis et dignitatem dimittere, et fructus restituere non expectata sententia, 5. 6.
Quid dicendum de recipiente beneficium simplex quod ordinem sacrum annexum habet, si illud recipiat absque animo recipiendi illum ordinem, 6.
Qualem culpam committat is qui recipit beneficium simplex animo non ascendendi ad or-

dines, sed potius relinquendi statum clericalem, postquam aliquo tempore fructus illorum perceperit, 7.
An et quomodo peccet is qui primam tonsuram et minores ordines recipit sine intentione in clericatu perseverandi, 8. 9.
Quanta in clerico requiratur animi et conscientiae puritas, 9.
Quomodo fides et probitas ministri necessaria sit ad sacramentorum administrationem, 9. 10.
De quibus ministris lex ista existendi in statu gratiae, dum administratur sacramentum intelligenda sit, 10.
An immunitas conscientiae a peccato mortali clericis necessaria sit ad alios actus ordinum exercendos, qui non sunt confectio sacramenti, 10. 11.
An clericus peccati mortalis sibi conscius, sacramenti administrationi praemittere teneatur confessionem sacramentalem, vel satisfaciat, si ante illam eliciat contritionem, 11, 12.
In quo consistat morum ac vitae integritas juxta ss. canones in clericis requisita, 13. 14. 15.
Utrum judex acceptare saltem licite possit munera, si haec liberaliter et sponte eidem offerantur, 15.
An delegatus pro labore judicandi, munus aut salarium a partibus litigantibus possit accipere, 15. 16.
Quibus casibus judex vel delegatus, vel ordinarius accipere aliquid possit a litigantibus, 16.
An per consuetudinem introduci possit, ut judices saeculares, eorumque assessores a partibus pro labore aliquid certum loco salarii exigere, et accipere possint, 16. 17.
Quid dicendum de redemptione indebite vexationis quae a judice, causae cognitionem vel sententiam differente, infertur, 17. 18.
An et quando quae data sunt judici, ab hoc restitui debeant, 18.
Qualis esse debeat habitus et vestitus clericorum, 19.
An isti possint nutrire comam aut barbam, *ibi.*
An ipsis interdicta sit gestatio armorum, *ibi.*
Qualis debeat esse vestis clericorum, 19. 20.
Quibus casibus habitus et tonsuram clericus licite vel saltem impune non deferat, 20. 21.
An etiam clerici prima tonsura aut minoribus tantum initiati habitum clericalem deferre teneantur, 21. 22.
An clericus in minoribus habitum cum tonsura clericali semel dimissum reassumens, recuperet privilegium fori, 22. 23.
An si ejusmodi clericus minor postquam privilegium fori per habitus dimissionem amisit, commiserit delictum, postea reassumpto habitu, privilegium amissum recuperet, 23. 24.

An per diuturnam consuetudinem induci possit ut in sacris constituti clericaliter non incedant, 24.
An clericus arma gestans, quae lege vel statuto saeculari simpliciter vel certo tempore aut loco prohibita sunt, spoliari iisdem a ministris curiae saecularis possit, *ibi.*
Quae sit obligatio clericorum in ordine ad divina officia, 25.
Quae negocia, officia, et exercitia sint prohibita clericis, 25. 26.
An clericus in sacris constitutus, si insuper habita ecclesiae monitione, joculatorem, lanionem etc. agere pergat et factus sit incorrigibilis, fori privilegium amittat ipso jure, 26. 27.
An qui se clericum asserit id probare debeat, 27.
Quomodo probandus sit clericatus, 28.
Cuinam judici competat clericatus discussio, si dubitetur num is qui, e. g. ob delictum ab executoribus judicis saecularis captus est, sit clericus, 29. 30.
An et quatenus clericis liceat vel non cohabitare cum mulieribus, 30. 31.
An sicut cum consanguineis ita etiam cum affinibus cohabitare clerici licite possint, 31. 32.
An licentia cohabitandi personis conjunctis sanguine se extendat etiam ad episcopos, et alios similes praelatos saeculares ecclesiasticos, 32.
Quousque clericis cohabitatio cum mulieribus sibi conjunctis sit licita, 32. 33.
Utrum clerici concubinarii, in ss ordinibus constituti compelli possint non solum ad dimittendas concubinas, vel alias personas suspectas, sed etiam ad juramentum praestandum de iis non amplius recipiendis, 33.
Quis sit judex competens foeminarum si delinquant cum clerico contra decorem ordinis clericalis, 33. 34.
Quae poenae statutae sint clericis qui cohabitant cum mulieribus suspectis, aut omnino concubinarii sunt, 34. 35.
Quid requiratur ut incurrantur et recte infligantur hae poenae, 35. 36.
Quosnam clericos poenae relatae tangant, 36. 37.
An statutam a concilio privationis poenam clericus concubinarius incurrat, ita ut fructus amissos statim et ultro restituere teneatur, 37.
Utrum clericus concubinarius ipso jure incidat in suspensionem proprie dictam, 37 ad 39.
An et qualiter sacerdos vel clericus concubinarius seu fornicarius vitandus sit in missis et aliis officiis divinis, 39.
An quando tridentinum dicit clericos si post primam monitionem concubinas, vel alias suspectas mulieres non dimittant, ipso facto privari tertia parte fructuum, hoc fructuum nomine comprehendantur etiam

distributiones quotidianae, 39. 40.
An clerici qui in minoribus ordinibus tantum constituti sunt, dimisso clericatu, matrimonium possint contrahere, et si possunt an possint omnes, 40. 41.
An clericus in minoribus ordinibus constitutus si contrahat matrimonium, capax et habilis sit ad beneficia ecclesiastica obtinenda, 41. 42.
An clerici minores si matrimonium contrahant, beneficia ecclesiastica amittant ipso jure, an vero solum per sententiam judicis iisdem privandi sint, 42 ad 44.
Quousque extendi debeat memorata privatio beneficiorum, 44. 45.
An per matrimonii contractum clericus minor matrimonium contraens etiam amittat pensiones, quae antea obtinuit ab ecclesia, 45.
An clericus in minoribus constitutus beneficia, pensiones ecclesiasticas et similia jam ipso facto amittat etiam per contractum matrimonii, quod ob defectum vel impedimentum aliquod invalidum est, 46. 47.
An episcopus cum clericis conjugatis dispensare possit ad beneficia obtinenda vel retinenda, 48. 49.
An et quomodo matrimonium incompatibile sit cum ss. ordinibus, 49. 50.
An et quomodo ss. ordines obstent licito usui patrimonii, 50. 51.
An aliquando permissum fuerit in universali ecclesia post susceptum presbyteratum uti uxoribus prius ductis, 51. 52.
Quo jure, divino an humano clericis latinae ecclesiae coelibatus injunctus sit, 52. 53.
Utrum obligatio qua tenentur clerici ss. ordinum ad continentiam servandam oriatur ex mera constitutione ecclesiae praecipientis continentiam, an etiam ex voto, quod ecclesia annexuit ordini sacro, 53. 54.
An ecclesia potuerit votum continentiae tacitum annectere ss. ordinibus, 55.
Quae sit poena eorum qui post susceptum libere sacrum ordinem, insuper habito voto continentiae, et praecepto illius, temere praesumunt uxores ducere, 55. 56.
An clericus in majoribus constitutus, si matrimonium de facto contrahat privationem beneficiorum quae habuit incurrat ipso jure, an vero iis solum privandus sit per sententiam, 56 ad 58.
Utrum clericus conjugatus adhuc gaudeat privilegiis clericalibus, 58. 59.
In quibus causis privilegio fori gaudeant clerici conjugati, conditionibus supra positis instructi, an in criminalibus solum, an etiam in civilibus, 59 ad 61.
An sicut judex saecularis, juxta dicta, causas mere civiles clericorum conjugatorum po-

test cognoscere, ita etiam super iisdem possit illos capere, et in carcerem conjicere, 61. 62.
An clericus conjugatus servans omnes conditiones requisitas, amittat privilegium canonis, et fori, si negotiationibus vacet, 62.
An clericus in minoribus, qui matrimonium contraxit cum una et virgine si tonsuram et vestes clericales quas deposuerat, mortua uxore reassumat, et iterum incipiat vivere clericaliter, privilegia clericalia amissa recuperet, 62. 63.
An privilegia clericis conjugatis competentia recuperet etiam quando matrimonium nondum solutum est per mortem uxoris, si habitum et tonsuram reassumat, et de episcopi deputatione alicui ecclesiae deserviat, 63.
An clericus si ante conjugium deliquit, post conjugium autem habitum et tonsuram non deferat, respectu illius delicti gaudeat privilegio fori, 63. 64.
Quid sit residentia, 64 ad 66.
Quotuplex sit residentia et obligatio residendi, 66. 67.
Quinam obligentur ad personalem residentiam in suis ecclesiis, 67. 68.
Quo in loco beneficiarius residere debeat ut obligationi residendi satisfaciat, 68 ad 70.
Ad quod tempus episcopi, parochi, et alii clerici ab ecclesiis suis licite abesse possint, 70. 71.
An etiam ad absentiam duorum mensium necesse sit ut a parochis licentia episcopi impetretur, 71 ad 73.
Quanto tempore in singulis ecclesiis residere teneatur canonicus, qui in diversis ecclesiis cathedralibus duos canonicatus obtinet, 73.
Utrum episcopus, qui extra suam dioecesin ex dispensatione sedis apostolicae canonicatum in aliqua ecclesia obtinet, fructus ex hoc lucrari possit, etiamsi solum resideat in sua ecclesia cathedrali, 73 ad 75.
Quo jure clerici beneficiati teneantur ad residentiam, 75 ad 77.
An dispensatione tolli aliquando obligatio residendi possit, 77. 78.
An per consuetudinem induci possit, ut praelati aliique clerici non teneantur personaliter residere in ecclesis, vel beneficiis suis, 78 ad 81.
Quae poenae decretae sint episcopis non residentibus, 81.
Quae in parochos et alios curatos si ab ecclesiis et ovibus suis ultra duos menses sine rationabili et justa causa absque ordinarii sui licentia absint, 81. 82.
Quam poenam incurrant abbates, et praepositi regulares si ultra duos vel tres menses absque juxta et rationabili causa absint, 82. 83.

Quid decretum sit circa canonicos et alios qui in ecclesia cathedrali vel collegiata dignitatem, canonicatum, praebendam aut portionem obtinent, et ultra tres menses sine legitima facultate non resident, 83.
Quae sit poena conferentis beneficium curatum vel dignitatem ei qui non potest personaliter in illis residere, 83. 84.
An episcopi et ceteri curati fructus propter absentiam amissos ecclesiae vel pauperibus applicare debeant ante omnem sententiam, 84.
An beneficiarius si postquam sine juxta causa et absque licentia sui praelati discessit a beneficio, impedimentum eidem incidat, quominus redire possit, v. g. ob periculum pestis grassantis in loco beneficii, vel hostium incursum etc. privari beneficio possit, 84. 85.
Quomodo citandus sit beneficiarius a loco beneficii sui absens, ut veniat ad residendum, 85.
An loco triplicis citationis sufficiat una peremptoria, si in hac tantum temporis assignetur pro uno termino, quantum tum alias pro tribus, 85. 86.
Quando beneficiarium a residentia excuset *christiana charitas*, 87.
Quando censeatur esse necessitas adeo urgens, ut excuset a residentia, 87. 88.
Quando beneficiarios a residentia excuset obedientia debita, 88. 89.
Quinam clerici beneficiarii occupari possint in servitio papae vel episcopi, ut fructus praebendarum suarum etiam absentes lucrentur, 89. 90.
Utrum episcopus in servitio suo occupare possit etiam canonicos ecclesiarum collegiatarum, 91. 92.
An etiam alii praelati inferiores episcopo canonicos suae ecclesiae assumere possint, et occupare in suo obsequio, ita ut absentes etiam beneficii sui fructus percipiant, 92.
Utrum legatus papae canonicos cathedralium vel collegiatarum ecclesiarum suae provinciae possit assumere in servitium suum cum eo privilegio, ut etiam absentes pro praesentibus habeantur quoad fructus percipiendos, 92. 93.
Num a residentia excusentur clerici, qui inserviunt principibus saecularibus, 93.
Quibus casibus ratione utilitatis ecclesiae vel reip. excusetur clericus a residentia, 93. 94.
Quid requiratur ut clericus studiorum causa a sua ecclesia abesse possit, et fructus tamen percipere, 94.
An hoc privilegium concessum sit etiam clericis curatis, 94 ad 96.
An ordinarius debeat dare licentiam beneficiariis, quando ad studia adire volunt, 96.
Quis casu quo, praeter causam legitimam requiritur licentia non residendi, sive ab ecclesia

seu loco beneficii residendi, dare beneficiario eandem possit, 97.
An praeter relatas causas adhuc aliae sint, ex quibus abesse ab ecclesiis clerici beneficiarii possint, et tamen fructus percipere, 97. 98.
An beneficiati religionem ingressi tempore novitiatus fingantur residentes, et annuos fructus lucrentur, 98. 99.
An is qui juravit, quod continuo in ecclesia sua residere velit, si postea ex aliqua de causis relatis se absentet, incurrat perjurium, 99.
Quid sint distributiones quotidianae, 100. 101.
Quomodo distinguantur a fructibus praebendarum et beneficiorum, 101. 102.
Quibus debeantur distributiones quotidianae, 102. 103.
An canonici et alii praebendarii, ut recipere distributiones quotidianas possint, teneantur psallere seu cantare in choro, vel contra sufficiat si privatim vel domi horas recitent, psallentibus autem assistant in choro, 103.
Quibus accrescant distributiones quotidianae quas canonici ob absentiam in divinis amittunt, 103 ad 105.
An distributiones absentium lucrentur etiam illi, qui ex justa causa infirmitatis, corporalis necessitatis, vel evidentis ecclesiae utilitatis absentes sunt, 104.
Quae sint causae ob quas distributiones quotidianae absentibus quoque dari et competere possint, 105. 106.
Quando censeatur adesse rationabilis et justa necessitas, ut illam patiens excusetur ab assistentia chori, et nihilominus distributiones lucrari possit, 106 ad 109.
Qualis debeat esse utilitas ecclesiae, ut absenti jus tribuat percipiendi distributiones, 109.
Quandonam utilitas ecclesiae sit ita gravis et evidens ut absens distributiones lucrari possit, 110.
An praeter casus relatos ii qui divinis officiis non intersunt recipere distributiones quotidianas possint, 111. 112.
Utrum statuto induci possit ut fructus et distributiones quotidianas lucrentur etiam illi, qui tribus mensibus, vel ultra illos absunt, pro tempore quo absunt, 112. 113.
An possit induci consuetudine ut absens distributiones lucretur, 113. 114.
Utrum distributiones quotidianae canonicis qui sunt in servitio papae vel episcopi, aut alia ex causa legitime impediti sunt debeantur jure comuni, praecisa speciali consuetudine, statuto, vel privilegio, 114. 115.
An qui in eadem ecclesia ex privilegio vel consuetudine obtinet duo beneficia, simplices tantum, an vero duplices di-

stributiones quotidianas debeat recipere, 115. 116.
An absens a choro distributiones lucretur, si alii canonici quibus distributiones absentium competunt, illas eidem donent vel remittant, 116. 117.
An clericus ob senium, infirmitatem, mutilationem amittat beneficium suum vel saltem fructus illius, 287. 288.
Quid et quotuplex sit coadjutoria, 288. 289.
An constitutioni coadjutoris sit locus etiam casu quo clericus ad officium, beneficio suo annexum, ob lepram, amentiam, etc. perpetuo inhabilis factus est, 289. 290.
Cui debeantur fructus beneficii, in quo coadjuto datus est coadjutor, 290 ad 292.
Quis assignare seu dare coadjutorem possit, 292 ad 295.
Quae sint causae ob quas episcopo, parocho, vel alii beneficiato aut praelato coadjutor assignari possit, 295.
Qualis debeat esse coadjutor datus episcopo, vel beneficiario, 296. 297.
Quod sit officium coadjutoris episcopo vel alteri praelato, rectori, seu parocho propter senium aut infirmitatem assignati, 298. 299.
Quid dicendum de coadjutore perpetuo, cum futura successione et libera administratione dato, 299.
Quae sint obligationes coadjutorum, 299. 300.
An coadjutori in ecclesia, capitulo, et aliis locis eadem sedes et praerogativa competat, quae principali, 300. 301.
Quamdiu duret coadjutoris officium, 301. 302.
An coadjutor datus cum jure successionis in dignitate vel beneficio succedat, si coadjutus ante coadjutoriae litteras obtentas cedat, vel decedat, 302. 303.
Coadjutor *vid.* Clericus, Praebenda.
Coelibatus
An jure divino vel humano clericis latinae ecclesiae injunctus sit, 52.
Collatio
An sit adsignatio seu concessio beneficii vacantis facta ab habente potestatem, 109. *vid.* Praebenda.
Collatio alternativa beneficiorum *vid.* Praebenda, Praelatus.
Commenda
An sit beneficium, 122.
Concordata Germaniae
Quae disponant de reservationibus beneficiorum summo pontifici, 221 *et seq.*
Quae sit vis concordatorum, 234.
An concordatis contraveniri aut derogari ab alterutra concordantium parte possit, 236.
Reliqua observanda, 236 ad 240.
Concubinatus clericorum, *vid.* Clericus.
Confessio sacramentalis

An clericus peccati mortalis sibi conscius illam praemittere debeat administrationi sacramenti, vel satisfaciat si ante illam eliciat contritionem, 11.
Constitutio pensionis, *vid.* Praelatus.

D

Delegatus
An a partibus litigantibus aliquid acceptare possit, 15. 16.
Dignitas.
Ad quem spectet collatio dignitatum ecclesiae cathedralis et collegiate, 143 ad 145.
Dismembratio beneficii
Quid sit et quid requiratur ut legitime fiat, 207.
Dispensatio, vid. Clericus, Praebenda, Beneficium.
Distributiones quotidianae.
Quid sint, 100.
Quando distinguantur a fructibus beneficiorum et praebendarum, 101.
Quibus debeantur, 102. 103.
Quibus accrescant illae, quas aliqui ob absentiam amittunt, 103.
An distributiones absentium lucrentur etiam legitima causa impediti, 104.
Quibus de causis distributiones absentibus competere possint, 105 *et seq.*
Reliqua observanda, 108 ad 117.
Divisio beneficiorum
Quid sit et quo pacto beneficia ecclesiastica dividi et secari in duo possint, 209.

E

Episcopus
An possit dispensare cum clericis conjugatis ad beneficia obtinenda vel retinenda, 48 *et seq.*
An obligetur ad personalem residentiam in dioecesi, 67.
Utrum qui extra suam dioecesin ex dispensatione sedis apostolicae canonicatum in aliqua ecclesia obtinet, fructus ex hoc lucrari possit, etiamsi solum resideat in sua ecclesia cathedrali, 73 *et seq.*
Quae poenae decretae episcopis non residentibus, 81 *et seq.*
Utrum episcopus in servitio suo occupare possit etiam canonicos ecclesiarum collegiatarum, 91.
An teneatur dare licentiam beneficiariis quando ad studia adire volunt, 96.
An possit dare licentiam non residendi parochis, 97.
An regulares promoveri possint ad dignitatem episcopalem, 129 *et seq.*
Qualis vicarius poni possit ab episcopo in beneficio non plenissime unito, 204
Ad quem episcopum pertineat institutio clerici in ecclesia quae in duarum dioecesium confinibus sita est, 313.
An consuetudine induci possit ut episcopus negotia ecclesiae tractet et jurisdictionem exerceat, non requisito consilio vel consensu capituli, 385.

An cum de novo monasterio erigendo agitur, episcopus ad hoc, opus habeat consensu capituli, vel solo ejusdem consilio, 385.
An episcopus pertineat ad capitulum, 391.
An et quam pensionem episcopus imponere beneficio possit, 410 *et seq.*
Quibus casibus episcopus reditus beneficii vacantis, vel partem eorum possit reservare, 428. 429.
An ex justa causa vacantium beneficiorum fructus aut istorum partem aliquam cum capituli consensu possit reservare applicandam suae vel capitulari mensae, 429. 430.
Quando numerum praebendarum diminuere aut beneficia ecclesiastica omnino extinguere possit, 430. 431.
Quid episcopus possit circa translationem beneficiorum, 442 *et seq.*
Quaenam res ecclesiasticae ab episcopis, praelatis et aliis ecclesiarum rectoribus libere alienari nequeant, 444 *et seq.*
An consensus capituli cathedralis episcopo sit necessarius etiam in alienatione rerum pertinentium ad ecclesias cathedrali inferiores, 469.
An et in quibus beneficiis episcopus dispensare possit, 182. 183.
An et qualem potestatem uniendi beneficia et ecclesias habeat, 194 ad 196.
An possit conferre beneficia et quo jure, 140 ad 142.
An etiam vacantia in propria dioecesi, existens extra dioecesim suam, 145.
Vide Institutio, Clericus, Praebenda, Res ecclesiae.

H

Habitus clericorum
Qualis esse debeat, 19.
Honestas clericorum *vid.* Clericus
Hospitale
Quae hujus cum beneficio connexio, 124.

I

Immunitas conscientiae
An necessaria sit clericis ad actus ordinum exercendos, 10. 11.
Infirmitas
Excusat a residentia, 88.
Institutio
Quid et quotuplex sit, 304. 305.
Quid faciendum ordinario si plures ad idem beneficium sint praesentati, 305. 306.
An valida sit institutio, si facta sit neglecto praesentato, vel etiam absque consensu, et praesentatione patroni, 306.
An valeat institutio facta ad praesentationem patroni tantum existimati, qui revera patronus non est, 306. 307.
An necessaria sit institutio praesentato, vel nominato ad be-

neficium, ut is occupare illud vel administrare possit, 307. 308.
Ad quem spectet jus instituendi clericos in beneficiis ecclesiasticis, 308.
An potestas instituendi transeat etiam ad capitulum sede episcopali vacante, 308.
An potestas instituendi competat etiam vicario generali episcopi vel capituli, sede vacante, 309.
An potestas instituendi pertinere etiam possit ad praelatos alios episcopo inferiores, 309. 310.
An praesentatos instituere valeant abbatissae, et similes monialium praepositae, 310. 311.
An jus instituendi clericos ad beneficia possit competere etiam laicis, 311.
An qui jus habet instituendi, seipsum possit instituere si a patrono praesentetur, 312.
Ad quem episcopum spectet institutio clerici in ecclesia quae in duarum dioecesium confinibus sita est, 313.
Quinam, et quales instituendi sint in beneficiis, 313. 314.
Quot in collegiis clericorum instituendi sint canonici, et ecclesiae ministri, aut in monasteriis monachi, vel moniales 314. 315.
An si reditus ecclesiae notabiliter decrescant, ut non sufficiant tanto numero canonichorum, vel monacarum alendo, numerus illorum possit imminui in ecclesia etiam numerata, 315. 316.
Quo tempore institutio fieri possit intra quatuor, vel sex menses a jure indultos ad praesentandum, 317.
Quo die, et loco facienda sit institutio, 317 ad 319.
Quomodo facienda sit institutio, 319.
An necessario edictum institutioni sit praemittendum, 319.
Quando edictum antecedens institutionem non sit necessarium, 320. 321.
Qui sit effectus edicti praecedentis institutionem, 321.
An ad institutionem opus sit scriptura, 321.
Ad quem pertineat institutio authorizabilis, 322.
An, et quibus, praeter episcopum, institutio authorizabilis competat vel competere possit, 322. 323.
An etiam consuetudine, vel potius praescriptione acquiris jus institutionis authorizabilis possit, 323. 324.
An casu quo in capellae, vel beneficii curati fundatione adjecta conditio est, ut clerici pro cura animarum instituendi approbatio competat praelato cuidam inferiori, in eam se intromitti nihilominus possit episcopus, 324.
An institutioni necessario sit praemittendum examen instituendi, 325.

Ad quem de jure pertineat institutos mittere in possessionem beneficiorum, 326. 327.
Quis superior ecclesiasticus mittere in possessionem beneficiorum de jure possit, 327.
Quid requiratur ut legittime fieri possit missio in possessionem, 327. 328.
Quomodo fieri missio in possessionem debeat, 328. 329.
An possessio beneficii apprehendi possit per procuratorem, 329.
An eadem investitura, qua dignitatum, et beneficiorum possessio acquiritur, acquiratur etiam possessio rerum et jurium ad ea pertinentium, 329. 330.
Qui sit effectus missionis in possessionem beneficii, 331.
Quanti temporis debeat esse possessio ut titulus inducatur, 331. 332.
An is qui per canonicam institutionem obtinuit beneficium, ejus possessionem apprehendere propria authoritate possit, 332. 333.
Qua poena ille sit afficiendus, qui possessionem beneficii cujus titulum habet propria authoritate adiit, 333.

Judex
An acceptare possit munera, 15. 16.
An debeat reddere accepta, 18.

L

Laicus
An possit habere potestatem conferendi beneficia, 146. 147.
An possit instituere, 311.

Legatus a latere
Quam potestatem dispensandi in pluritate beneficiorum habeat, 183.

Legatus pontificius
Quid possit circa uniones beneficiorum, 197. 198.

Lusus alearum, et taxillorum
Vetatur clericis, 26, 27.

M

Matrimonium clericorum
Tollit jus ad beneficia, 44 *vid.* a pag. 40 ad 64.

Milites laureati
Possunt per privilegium retinere pensiones ecclesiasticas, 45.

Minister *vid.* Clericus

Monasterium
An cum de novo monasterio erigendo agitur episcopus opus habeat consensu vel consilio capituli, 385. 386.

Morum integritas
In quo consistat, 14. 15.

O

Ordinarius
An aliquid acceptare possit a litigantibus, 16.

P

Papa
Potest conferre beneficia, 140.

Quomodo conferre possit ac soleat, 141. 142.
An debeat observare regulas in conferendis beneficiis, 158. 159.
Quam potestatem dispensandi in pluralitate beneficiorum habeat, 181. 182.
Potest dispensare conjugatos ut pensionem ecclesiasticam retineant, 45.
Item potest dispensare clericos circa residentiam, 97.
An possit reservare beneficium aliquod sibi aut illud per manus appositionem affectum reddere, 213.
Quaenam beneficia reserventur papae in concordatis Germaniae, 221 *et seq.*
Episcopis et horum superioribus coadjutorem dare ordinaria potestate solus papa potest, 292.
Licentiam transferendi pensionem dare item solus potest, 425.
An papa res ecclesiarum sine solemnitate per canones requisita alienare possit, 443.
Vide Clericus, Praebenda, Institutio, Res ecclesiae.

Parochi
Obligantur ad residentiam, 67.

Patriarca
Potest conferre beneficia, 140.
Obligatur ad residentiam, 67.

Patronatus, *vid.* Praebenda

Pensio
Quid sit, 407. 408.
An sit beneficium, aut saltem nomine beneficii veniat, 408. 409.
Quis imponere pensiones beneficiis possit, 409.
An et quam pensionem episcopus imponere beneficio possit, 410 *et seq.*
Quid requiratur ut pensio beneficio imponi possit, 412.
In quibus beneficiis, in quibus istorum fructibus, quando et qua forma pensio constitui possit, 416. 417.
Quisnam obtinere pensionem ex beneficio ecclesiastico possit, 417 ad 420.
Alia observanda circa materiam, 420 ad 428.

Pestis
Excusat a residentia, 88.

Praebenda
Quid nomine praebendae hoc loci veniat, 118. 119.
Quid sit praebenda seu beneficium ecclesiasticum, 119 ad 121.
Unde dignoscatur aliquid esse beneficium ecclesiasticum, 121. 122.
An commenda sit beneficium, 122.
An capellania sit beneficium, 122. 123.
Utrum praestimonia sint beneficia, 123.
Quid dicendum de hospitalibus 124.
An beneficia sint praeceptoriae, seu commendae ordinum militarium s. Joannis Jerosolymitani, s. Mariae Theutonicorum etc. quae equitibus istorum assignari solent, 124. 125.
Divisio beneficiorum ecclesiasticorum, 126.
Quale praesumendum sit esse

beneficium aliquod saeculare an regulare, 127.
Quid requiratur ut via praescriptionis beneficium saeculare transeat in regulare, aut vicissim, 127 ad 129.
Utrum beneficiis saecularibus praefici possint clerici regulares, aut vicissim regularibus beneficiis saeculares, 129. 130.
An regulares adhuc hodie absque dispensatione apostolica capaces sint ecclesiarum parochialium saecularium, 130 ad 133.
An et quatenus regulares administrare per seipsos possint parochias ecclesiis vel monasteriis suis unitas, 133. 134.
Beneficium simplex quid, 134.
An sit et dicatur beneficium duplex quod specialem aliquam qualitatem adjunctam habet, 134. 135.
Quod advertendum circa beneficia duplicia, 135.
Quae sint beneficia manualia, quae titularia, *ibi*.
Qualia in dubio praesumi debeant esse beneficia, manualia an titularia, 135. 136.
An revocatio beneficii manualis ita libera sit ut neque jure expressam, neque aliam rationabilem causam exposcat, 136. 137.
Quid intelligatur nomine beneficii collativi, electivi, mixti, patrimonialis, et non patrimonialis, 137. 138.
Quid et quotuplex sit collatio, 139. 140.
Quibus jus et potestas beneficia ecclesiastica conferendi competat, 140. 141.
Quomodo pontifex beneficia ecclesiastica conferre possit, 141. 142.
Qualem potestatem conferendi beneficia habeant episcopi, 142. 143.
Ad quem spectet collatio praebendarum, canonicatuum, et dignitatum etc. ecclesiae cathedralis, vel collegiatae, 143 ad 145.
An beneficia vacantia in propria dioecesi, conferri possint ab episcopo existente extra dioecesim suam, 145.
Quis praeferri debeat quando unum et idem beneficium collatum est duobus, uni a papa, alteri ab episcopo, 145. 146.
An potestas beneficia conferendi competat laicis, 146. 147.
An is qui est in possessione juris conferendi beneficia licite et valide ea conferre possit, ita ut ab eo qui ejusmodi possessor fuit, provisus a beneficio removeri nequeat etiam casu, quo postea pronuntietur proprietatem, sive ipsum jus conferendi penes alium fuisse, 147. 148.
Quibus beneficia ecclesiastica conferri possint, vel non, 148. 149.
An et quale jus per collationem alicui factam requiratur in beneficio, 149. 150.
An episcopus vel collator beneficii praefigere collatario termi-

num possit, intra quem collationem acceptet, 150.
An ad obtinendum beneficium et ejus possessionem, necessaria sit praesentia illius cui confertur, 151. 152.
An beneficium conferri possit novitio religionis, 152. 153.
An in beneficio succedere aliquis possit etiam jure consanguinitatis, 153. 154.
Quomodo fieri debeat collatio beneficiorum, 154 ad 156.
An valeat collatio beneficii facta sub modo pacto onere, 156. 157.
An possit aliquis licite recipi in canonicum sine beneficio vel praebenda, 157. 158.
Qua forma conferri debeant beneficia parochialia, 158.
An formam et modum actenus descriptum in beneficiis conferendis debeat etiam observare papa, 158. 159.
Quae dicantur beneficia compatibilia quae incompatibilia, 160. 161.
An de jure communi dentur aliqua beneficia inter se compatibilia in eodem subjecto, 161 ad 163.
An aliquis obtinere et retinere simul possit duo beneficia simplicia saecularia, 163 ad 165.
An possit aliquis cum beneficio simplici, ad congruam sustentationem sufficiente, obtinere et retinere simul aliud simplex ad sustentationem non sufficiens, et quoad residentiam ac servitium compatibile, 165. 166.
Quid circa obtentionem et retentionem plurium beneficiorum possit consuetudo, 166. 167.
An quis absque dispensatione apostolica obtinere simul et retinere possit etiam plura beneficia simplicia quam duo, 167. 168.
Ex qua causa ss. canones beneficiorum pluralitatem horreant, 168. 169.
An et quo jure per assecutionem beneficii secundi vacet prius incompatibile, 169. 170.
Quaenam beneficia vacent ipso jure per adeptionem alterius, 170 ad 172.
An beneficium simplex per adeptionem alterius simplicis ipso jure vacet, si hoc cum illo, ratione personalis residentiae sit incompatibile, 172 ad 174.
An casu quo quis post duo vel tria beneficia incompatibilia, dispensatione obtenta, postmodum aliud incompatibile sine legitima super hoc impetrata dispensatione acceptat, ex prius obtentis vacent omnia, an unum tantum, ac nullum, 174.
Quid requiratur ut prius beneficium per adeptionem alterius incompatibilis vacet ipso jure, 175. 176.
Quibus casibus per adeptionem pacificam beneficii secundi non vacet incompossibile prius obtentum, 177. 178.
Quando vacare incipiat beneficium primum per assecutionem alterius incompatibilis, 178.
Quod sit officium episcopi vel

collatoris in casu vacantis hoc modo beneficii, 179. 180.
Quibus casibus liceat plura beneficia obtinere simul absque dispensatione, 180.
Quae sint causae justae dispensandi in pluralitate beneficiorum, 181.
Quam potestatem dispensandi in pluralitate beneficiorum habeat pontifex, 181. 182.
An et in quibus beneficiis dispensare possit, 182. 183.
Quam potestatem dispensandi in pluralitate beneficiorum habeat legatus a latere, capitulum sede episcopali vacante, vicarius generalis episcopi, reges et principes quibus jus conferendi beneficia per speciale privilegium apostolicum competit, 183. 184.
Quid circa dispensationes in pluralitate beneficiorum notandum sit, 184.
Quousque extendi debeat dispensatio facta ad pluralitatem beneficiorum, 184. 185.
Quid et quotuplex sit beneficiorum unio, 185. 186.
Quibus modis fieri possit ecclesiarum et beneficiorum unio, 186 ad 190.
Qualis sit unio favorabilis an odiosa, 190. 191.
Quae beneficia et ecclesiae sibi invicem uniri possint, 191 ad 193.
Quis potestatem habeat uniendi beneficia, 194.
An et qualem potestatem uniendi beneficia et ecclesias habeat episcopus, 194 ad 196.
An et qualem potestatem beneficia uniendi habeat capitulum cathedrale, sede episcopali vacante, 196. 197.
Quid possit legatus pontificius circa uniones beneficiorum, 197. 198.
Quam potestatem uniendi beneficia habeant archiepiscopus, vicarius generalis episcopi, et ceteri praelati inferiores episcopo, 198.
Quid requiratur ad unionem beneficiorum legitime instituendam, 199.
Quaenam sint causae justae, quae unioni faciendae intervenire necessario debeant, 200. 201.
Quid circa consensum sit notandum, 201. 202.
An pro valore unionis requiratur consensus beneficiati seu rectoris ecclesiae vel beneficii ab episcopo uniendi etc. 202.
Quid juris seu potestatis habeat praelatus vel ejus monasterium, ecclesia cathedralis aut collegiata, cui ecclesia parochialis vel aliud beneficium est incorporatum, seu unitum, 202 ad 204.
Qualis vicarius poni debeat ab episcopo in beneficio non plenissime unito, 204 ad 206.
An et quomodo unio facta probari debeat, 206.
A quo et ex quibus causis unio ecclesiarum vel beneficiorum semel facta dissolvi seu revocari possit, 206. 207.
Quid sit dismembratio beneficii

et quid requiratur ut legitime fiat, 207 ad 209.
Quid sit divisio beneficiorum et quo pacto beneficia ecclesiastica dividi et secari in duo possint, 209. 210.
Quid sit reservatio beneficiorum, 211. 212.
Quid sint *beneficia affecta* et quomodo *reservatio* differat ab *affectione*, 212. 213.
An pontifex possit reservare beneficium aliquod sibi, aut illud per manus appositionem affectum reddere, 213. 214.
Quis sit effectus reservationis beneficiorum, 214. 215.
Quotuplex sit reservatio beneficiorum, 215 ad 217.
Quaenam beneficia sint reservata per constitutiones extravagantes, 217 ad 221.
Quaenam beneficia reserventur papae in concordatis Germaniae, 221. 222.
Quaenam dignitates et beneficia in specie per concordata Germaniae sint reservata summo pontifici, 222 ad 230.
Quaenam sit observantia concordatorum quoad reservationes in iis comprehensas, 230 ad 232.
An reservatae sint dignitates et beneficia vacantia per privationem ob crimen ipso jure inductam, 232.
An cathedralis ecclesiae decanus aut canonicus electus in episcopum, antequam a sede apostolica confirmetur, decanatum suum vel canonicatum resignare valeat in manibus capituli et hoc illum conferre, 233. 234.
An si electus confirmationem electionis accepit adhuc beneficia sua resignare in manus capituli possit quando nondum est consecratus nec adeptus pacificam ac fructuosam possessionem episcopatus, 234.
Quae sit vis concordatorum, 234 ad 236.
An concordatis derogari vel contraveniri ab alterutra concordantium parte possit, 236 ad 238.
An concordatis per contrariam consuetudinem vel praescriptionem derogari possit, 238 ad 240.
Quae sit gratia alternativae, 241.
Quae requisita ut ea gaudeant ordinarii, 242. 243.
Quibus modis ea cesset, 243.
Quaenam beneficia per *reg.* IX. *et concord.* §. *de ceteris cit.* alternativae subjecta sint, 243. 244.
Quaenam beneficia excepta sint ita ut in aliis alternativa non habeat locum, sed quovis mense ab ordinario loci, vel aliis collatoribus conferri possint, 244 ad 246.
Quaenam beneficia patronata non cadant sub alternativa, 246. 247.
An alternativae subjecta sint beneficia vacantia per resignationem, 247 ad 249.

An alternativa porrigatur ad beneficia fundata et erecta post inita concordata, 249. 250.
Quae dignitates sub alternativa cadant, 250.
Utrum alternativae subjaceant vicariae beneficiorum parochialium, 250. 251.
Utrum alternativae subsint ipsa beneficia parochialia, 251. 252.
Quid dicendum de beneficiis monocularibus, 252.
Quid de patrimonialibus et iis quae ex fundatione privilegio vel consuetudine certo personarum generi conferri debeant, 252. 253.
Quid dicendum de praxi et modo alternandi in collatione beneficiorum, 253. 254.
Ad quem collatio spectet si non constet verisimiliter ante, an post noctis medium decesserit beneficiarius, si domi reperiatur mortuus in lecto, occisus in via, submersus aquis etc., 254 ad 256.
An et quousque ordinarius exspectare debeat provisionem apostolicam beneficii vacantis mense papali, 256.
An casu quo intra trimestre a pontifice de beneficio ita vacante sit facta provisio, provisus vero post trimestre novae vacationis in loco beneficii non appareat coram ordinario, iste conferre beneficium hoc possit alteri, et a papa provisum excludere, 156. 257.
Intra quod tempus is qui de beneficio vacante mense papali provisus Romae est, gratiam sibi factam publicare seu intimare debeat, 257. 258.
An sicut cum beneficium vacat mense papali, si papa illud intra trimestre non contulerit, conferri illud potest ab ordinario, ita vacans mense ordinarii, si ab hoc illo mense non conferatur fiat deinde collationis, 258.
Quando incipiat trimestre, sedi apostolicae competens pro conferendo beneficio vacante in mense papali, 258.
Quomodo accipiendi et numerandi sint menses vi alternativae concessi papae et ordinariis, 259.
An trimestre sedi apostolicae reservatum pro beneficiis suo mense vacantibus, currat etiam sede illa vacante, 259. 260.
An casu quo collatio beneficii mense papali vacantis intra trimestre facta est a papa, sed invalide ob impedimentum occultum, lapso trimestri cesset reservatio, et collatio ejus fieri ab ordinario possit, 260.
An Germaniae ordinarii trimestre etiam exspectare debeant ut conferre possint beneficia, quae vacant in curia, et intra mensem a sede apostolica non sunt collata, 260. 261.
Quid sint praeces primae seu primariae, 262. 263.
Unde hoc jus primariarum precum imperatori competat, 263 ad 266.

Quam antiqui usus et quantae efficacie sint preces primariae, 266 ad 268.
An preces hae imperatoriae sint juri consentaneae, iisque locus sit adhuc hodie, 268. 269.
An privilegio primariarum precum uti imperator electus possit etiam ante coronationem vel confirmationem suam, et ad vacantia vel vacatura beneficia, indulto pontificio nondum impetrato, personas idoneas nominare, 269 ad 271.
Ad quas terras seu provincias sese extendant preces, 272.
Ad quae beneficia se preces istae extendant, 273 ad 276.
Quid observandum ut preces primariae rite interponantur et locum effectumque inveniant, 276 ad 279.
A quo constituendi executores primarum precum, inter quales, et quae illorum potestas, 279. 280.
An imperator postquam unum nominavit ad beneficium possit variare et resilire nominando alium, 281. 282.
An si preces alicui concessae non sint sortitae effectum, alium nominare imperator possit, 282. 283.
An unus idemque nominari possit ad plura beneficia in diversis ecclesiis constituta, 283.
An si precista neglexit beneficium primum vacans in ecclesia ad quam impetravit preces, valeat adhuc petere secundum vacans, 284.
An casu quo beneficium in ecclesia, ad quam preces precista habet, vacat per obitum Petri, precista autem dicat illud vacare per obitum Pauli, et sibi conferri petat, valeat acceptatio hoc modo facta, 284. 285.
An casu quo Titio petenti, ut sibi vi precum, quas obtinuit conferatur beneficium aliquod vacans, objicitur, illud primis precibus non esse obnoxium, is precibus omissis, ad ordinariam provisionem transire et ab ordinario collatore illud petere et recipere valeat, 285.
An tempus unius mensis, quod precistae datur ad acceptandum beneficium, currat etiam contra minorem 25 annis vel alium legitime impeditum, 285. 286.
An casu quo post datam et a precista admissam gratiam nominationis, antequam beneficii collatio fiat, imperator moritur, ea gratia maneat et executioni danda sit, 286.
Quando dicatur vacare beneficium, 334. 335.
Quando beneficia vacent per mortem naturalem beneficiati, 335. 336.
Quibus casibus beneficium vacet ex dispositione juris, 336.
Quod sit discrimen inter privationem beneficii ipso jure decretam, et inter eam quae per

judicis sententiam inferenda est, 337. 338.
An et quomodo vacare debeat beneficium ut alteri. conferri possit, 338. 339.
An semper necessarium sit vacans esse beneficium ut conferri illud alteri possit, 339. 340.
An promitti saltem beneficium non vacans possit in casu, quo illud per obitum, renuntiationem etc. vacaverit, 340 ad 342.
An hujusmodi promissio convalescat, quando accedit consensus ejus, qui beneficium obtinet, de quo ad casum vacaturae contingentis fit promissio, 342 ad 344.
An valeat promissio de conferendo alicui beneficio in genere, *cum poterit*, *vel cum occasio se obtulerit*, 344. 345.
An non saltem valeat juramentum promissioni beneficii nondum vacantis adjectum, 345 ad 347.
An et quatenus per trid. sublatae sint gratiae exspectativae et mandata de providendo, 347. 348.
Intra quod tempus conferri debeant beneficia vacantia, 348. 349.
Quando tempus semestre ad conferendum beneficium a jure praefixum incipiat currere, 349. 350.
Quale sit tempus quod praefixum est collationi beneficiorum, continuum an utile, 351.
Quae sit poena non conferentium beneficia vacantia intra tempus a jure praescriptum, 351. 352.
Quid requiratur ut jure devoluto beneficium vacans conferri possit, 352. 353.

Praebendarii
An ut recipiant distributiones quotidiana, teneantur cantare in choro 103.

Praelatus
Pleno jure exemptus obtinet jurisdictionem quasi episcopalem et potest conferre beneficia, 140.
Quinam actus a praelato exerceri debeant cum consensu capituli, 379 ad 383.
Quinam actus fieri debeant cum consilio capituli, 384.
Quibus in partibus episcopus negotia tractare possit sine capituli consilio, 384. 385.
An consuetudine induci possit ut episcopus, vel alius praelatus negotia ecclesiae tractet, et jurisdictionem exerceat non requisito consilio, vel consensu capituli, 385.
An cum de novo monasterio erigendo agitur, episcopus ad hoc opus habeat consensu capituli, vel solo ejusdem consilio, 385. 386.
Quid intersit, an capituli consilium dumtaxat exigatur, an vero ejusdem consensus, 386. 387.
An quando ex lege, vel mandato imponitur alicui obligatio ad agendum cum consilio al-

terius, actus factus non requisito consilio sit semper nullus, 387. 388.
Vid. Sedes vacans Institutio, Clericus, Praebenda, Res ecclesiae.
Praelatus inferior
Quam potestatem uniendi beneficia habeat, 198.
Praepositi
Tenentur morari in praebenda sua, 67.
Praestimonia
An sint beneficia, 123.
Preces primae, seu primarie
Quid sint, quem effectum habeant et vim, et quae in materia observanda, 262 ad 286. *vid.* Praebenda
Primas
Potest conferre beneficia, 140.
Obligatur residere in provincia sua, 67.
Priores
Debent morari in suo beneficio, 67 *et seq.*
Princeps
Quam potestatem dispensandi in pluralitate beneficiorum habeat, 183. 184.
Privilegium fori
An hoc gaudeant clerici conjugati, 59.

R

Regulares
An promoveri possint ad dignitatem episcopalem, 129 *et seq.*
Res ecclesiae
Quid rei nomine hic intelligatur, 432 ad 434.
Quid nomine ecclesiae, 434. 435.
Quomodo hic accipiendum sit nomen alienationis, 435.
Quinam contractus et actus in specie nomine alienationis prohibeantur clericis circa res ecclesiarum, 436. 437.
An alienationis hoc titulo prohibitae nomine etiam veniat repudiatio haereditatis; vel legati, quo res immobilis vel mobilis praetiosa ecclesiae, aut monasterio, relicta est, 438 ad 441.
Quali hypothecae subjici res ecclesiasticae nequeant, speciali solum an etiam generali, 441. 442.
An nomine alienationis hic prohibitae etiam comprehendatur translatio bonorum vel redituum unius ecclesiae particularis ad aliam ecclesiam, 442. 443.
An alienationis hic prohibitae nomine etiam veniat constitutio servitutis realis, vel personalis in re prohibita alienari, 443.
An papa res ecclesiarum sine solemnitate per canones requisita alienare possit, 443.
Quaenam res ecclesiasticae ab episcopis, praelatis, et aliis ecclesiarum rectoribus libere alienari nequeant, 444 ad 448.
Quaenam res ecclesiae libere et sine juris solemnitatibus alienari possint, 448 ad 450.
An a praelatis sine solemnitate a jure requisita alienari possint res ecclesiae immobiles exigui valoris, 450 ad 452.

An praelatus libere alienare possit bona ita alienari permissa, non obstante juramento, quo obstringitur ad res ecclesiae, vel monasterii, aut mense suae, inconsulto papa, non alienandas, 452. 453.
An etiam pecunia accensenda sit rebus quae sine solemnitate alienari nequeunt, 453 ad 455.
Quibus casibus res ecclesiae ne quidem adhibitis solemnitatibus jure canonico requisitis alienari possint, 455.
Quaenam sint causae juxtae ex quibus ejusmodi res alienari possint, 456 ad 459.
Quid observandum sit, ut ex causa necessitatis rite fiat alienatio bonorum ecclesiae immobilium, vel mobilium pretiosarum, 459. 460.
An praeter causam necessitatis etiam requiratur beneplacitum apostolicum, ut sustineatur alienatio rei immobilis vel mobilis praetiosae, 460.
Qualis utilitas esse et quomodo constare de ea debeat, ut sufficiens sit causa alienationis, 460. 461.
An ut alienatio reputetur ecclesiae utilis, exigatur ut illa fiat locupletior, sive ejus causa evadat melior, re immobili distracta, quam ea retenta, 461 ad 463.
Utrum alienatio rei ecclesiae immobilis, aut mobilis praetiosae valida sit, fiat quidem cum debitis solemnitatibus, sed tamen sine juxta causa, 463.
An valida sit alienatio quae facta est ex causa legitima tantum existimata, et juris solemnitatibus observatis, 464.
Ubi tractatus ad alienationem sit necessarius, 466.
Utrum ad tractatum hunc vocandi sint omnes, qui habent vocem in capitulo, 466.
Quot tractatus alienationi faciendae praemitti debeant, 466. 467.
In qua alienatione requiratur tractatus, 467. 468.
Quando consensus capituli, vel conventus ad alienationem faciendam sit necessarius, 468.
An consensus capituli cathedralis episcopo sit necessarius etiam in alienatione rerum pertinentium ad ecclesias cathedrali inferiores, 469. 470.
An capituli consensus, quando ad alienationem faciendam requiritur debeat esse expressus, 470. 471.
An exigatur consensus capituli congregati, 471. 472.
Quinam consentire in alienationem debeant, 472. 473.
Quando necessaria sit subscriptio capituli, vel conventus, 473.
An consuetudine induci possit, ut subscriptio capituli, neque in donatione, emptione, permutatione rerum ecclesiae sit necessaria, 473. 474.
An sicut subscriptionis, ita, et aliarum sollemnitatum ad alienationem veram requisitarum, necessitas per consuetudinem tolli possit, 474.

An subscriptio, ubi consuetudo juri scripto non derogavit, solum necessaria sit ad probationem consensus a capitulo praestiti, an vero etiam ad valorem, et substantiam alienationis, 475.
An alienationi a praelato cum majoris partis capituli consensu decretae subscribere teneantur etiam ii qui suo consensu illam non approbarunt, 475. 476.
A quo superiore sit requirendus consensus ad alienationem rerum ecclesiae immobilium, vel mobilium pretiosarum, 476. 477.
An authoritatem alienationi praestare pro ecclesiis inferioribus possit capitulum, sede vacante, vicarius generalis, et alii praelati, 477.
Qualis episcopus authoritatem alienationi praestare debeat, an illae in cujus dioecesi sita est ecclesia, vel monasterium de cujus rerum alienatione agitur, an vero illae in cujus dioecesi sita est res, vel praedium alienandum, 478. 479.
An et cujus superioris consensu opus sit ad alienandas res ecclesiae inferioris, e. gr. prioratus, qui a priore aliquo sine proprio conventu administratur, et ita unitus, vel incorporatus est ecclesiae superiori v. gr. monasterio ut illius bona censeantur esse bona hujus, ideoque talis prior subjectus sit praelato seu abbati illius monasterii, 479.
An praeter consensum superioris ecclesiastici ad alienationem rerum ecclesiasticarum, etiam requiratur consensus patroni, 479 ad 481.
An consensus apostolicus etiam exigatur ad alienationem, quae fit suadente justa causa, et adhibitis sollemnitatibus juris, 481. 482.
An ad valorem alienationis post cit. extrav. praeter assensum apostolicum, necessariae sint antiqui juris sollemnitates, 483. 484.
Utrum ad valorem alienationis praeter licentiam summi pontificis requiratur justa causa, 484. 485.
An extrav. *ambitiosae* cit. sit usu recepta, 485.
Utrum non usus constitutionis paulinae cit. excusari in episcopis et abbatibus possit non obstante juramento, quo singuli, qui a sede apostolica confirmantur, in sua consecratione, vel benedictione jurant, se bona ecclesiae vel monasterii sui, inconsulto romano pontifice, non alienaturos, et si alienent, poenas per cit. extrav. sancitas, eo ipso velle incurrere, 486 ad 488.
An valida sit alienatio rei ecclesiae immobilis, aut mobilis pretiosae quae facta est ex justa causa, et in casu licito sine interventu tamen solemnitatum juris, 489 ad 491.
An alienatio rei immobilis et mobilis pretiosae sine solemni-

tate facta sit irrita etiam in foro conscientiae interno, 491 ad 493.
An alienatio ob defectum solemnitatum nulla, si hae ex intervallo superveniant, convalescat, 493. 494.
An alienatio sine solemnitatibus facta, his supervenientibus, ita ratificetur, ut perinde habeatur ac si nulla solemnitas defuisset, sed alienatio ab initio fuisset valida, 494. 495.
An solemnitates servandae sint etiam in alienatione legati, quod ea conditione ecclesiae a testatore relictum est, ut quoties illa voluerit, illud alienare, et in proprios usus convertere possit, 495. 496.
Quid dicendum de legato relicto ecclesiae sub conditione, ut nunquam alienetur, poteritne, servata solemnitate alienari, 496. 497.
An in dubio, praesumantur intervenisse solemnitates in rei ecclesiasticae alienatione, 497. 498.
Quod beneficium ecclesiae competat ratione alienationis illegitimae, i. e. sine justa causa, et solemnitatibus juris factae, 498. 499.
A quo rei male alienatae revocatio ecclesiae nomine fieri possit, 499 ad 501.
An casu, quo superior vel ipse alienans res illegitime alienatas non repetat, alienationem revocare possint alii; et quinam, 501.
An repetenti rem ecclesiae male alienatam opponi possit exceptio dominii, sive quod ecclesia non sit rei alienatae domina, 502.
An repetentibus res ecclesiae male alienatas obstet praescriptio, 502 ad 504.
Quid restitui debeat ab eo, ad quem res alienata pervenit, 504.
Quae poene statutae sint praelatis, et aliis administratoribus male alienantibus res ecclesiae vel monasterii sui, 504 ad 506.
An, et quando ecclesiae lesae ob alienationem rei ecclesiasticae male factam competat beneficium restitutionis in integrum, 506. 507.
Reservatio beneficiorum
Quid sit, 211. 212.
Observanda in casu, 212 ad 240.
Vid. Praebenda
Residentia clericorum
Quid sit, et quas obligationes producat, 64 ad 117.
Qui obligentur ad personalem residentiam, 67 *et seq.*
Rex
Quam potestatem dispensandi in pluralitate beneficiorum habeat, 183. 184.

S

Sacerdotium *vid.* Clericus.
Sacramenta.
Quomodo probitas ministri necessaria sit ad sacramentorum administrationem, 9.

Sedes vacans.
Quaenam causae et negotia pertractari a capitulo sede vacante possint, 355 ad 358.
An potestas et jurisdictio praelati sede vacante etiam transeat ad conventus et capitula regularia, 358.
An capitulum ea quae ad jurisdictionem, et administrationem episcopalem pertinent, sede vacante per seipsum, an per alium et per quam tractare debeat, 359. 360.
Penes quem in actu secundo sit potestas competens capitulo regulari vacante sede, 360.
An et quae potestas capitulo sede vacante competat circa beneficia, 360. 361.
Quid capitulum sede vacante possit quoad collationes beneficiorum necessarias, 361 ad 363.
An capitulum sede vacante conferre possit beneficium, quod ad collationem episcopi quidem spectat, sed non omnino liberam, quod in erectione illius cautum sit, ut illud episcopus conferat cum consilio vel consensu capituli, 363. 364.
An capitulum sede vacante possit admittere resignationes beneficiorum, quae ad collationem episcopi pertinent, 364. 365.
Utrum capitulum, sede vacante possit unire ecclesias et beneficia, 365. 366.
An capitulum sede vacante, ecclesias unitas possit dissolvere, 366. 367.
An ad capitulum sede vacante transeat facultas supprimendi canonicatum vel prebendam ut per hujus reditus augeantur proventus aliarum praebendarum, quae ad sustentationem beneficiati sufficientes reditus non subministrant, 367.
Quinam actus in specie vi jurisdictionis ad se translatae capitulo sede vacante competant, 367 ad 370.
An capitulum sede vacante, pro morum reformatione constituere possit dioecesis visitatorem, 370. 371.
An capitulum visitare etiam possit monasteria monialium exempta, 371. 372.
An capitulum, sede vacante, succedat episcopo in concessione indulgentiarum, 372. 373.
An sede vacante capitulum cognoscere etiam possit de crimine haeresis, 373.
An et qualis jurisdictio, sede vacante competat capitulo ecclesiae metropolitanae, 373. 374.
An capitulum, sede vacante, debeat vocari ad synodum provincialem, 374.
Quid capitulum, sede vacante possit circa alienationem bonorum et rerum ecclesiae, 374 ad 376.
An capitulum, sede vacante, judicium sive litem super ecclesiae bonis et juribus inchoare, aut a praelato defuncto ante obitum jam inchoatam sive agendo sive respondendo prosequi possit, 376.

An de nullis ecclesiae cathedralis vacantis juribus, et rebus judicium agitari possit, 376. 377.
An capitulum sede vacante, bona ad mensam episcopalem pertinentia, ad suam sive capitularem mensam transferre sine sedis apostolicae authoritate possit, 377.
An capitulum sede vacante, succedat etiam in jurisdictione feudali, 378.
Studiorum causa.
An excuset a residentia, 94.

U

Unio beneficiorum, vel ecclesiarum, *vid.* Praebenda, Praelatus.

V

Vestitus clericorum
Qualis esse debeat, 19. 20.
Vicarius generalis
Quam potestatem dispensandi in pluralitate beneficiorum habeat, 183. 184.
Quam potestatem uniendi beneficia habeat, 198.
An ipsi competat facultas instituendi sede episcopali vacante, 369.
Vita clericorum, *vid.* Clericus

FINIS

TOMI TERTII PARTIS PRIMAE.

REIMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. Sac. Pal. Ap. Mag.

REIMPRIMATUR

Joseph Canali Archiep. Colossensis Vicesger.

20296